THOMÆ ERASTI
PHILOSOPHI ET MEDICI CELEBERRIMI
EXAMEN
DE SIMPLICIBUS, QUÆ AD COMPOSITIONEM THERIAcæ Andromachi requiruntur;

Scriptum ad Dominum STEPHANUM SPRENGERUM:

Unà cum CONRADI HOFFMANNI, Philosoph. & Med. Doct. Analysi ejusdem compositionis collatione factá cum Methodo Med. & Methodo componendi Medicamenta; Quâ ostenditur summum artificium, quo senior Andromachus in hac compositione omnium præstantissima est usus.

Primò in lucem datum.

Item, JOHAN. BAPTISTÆ Silvatij, JOH. PETRI F. Mediol. Med. Tractatus de COMPOSITIONE ET usu THERIACÆ Andromachi:

Cum Indice gemino: altero Capitum generaliore; altero Rerum & Verborum specialiore, locupletissimo.

LVGDVNI,

CIƆ IƆ CVII.

INDEX

CAPITVM

GENERALIOR.

LIBRI PRIMI.

LIBRI SECUNDI.

INDEX.

FINIS.

INDEX SPECIALIOR RERUM ET VERBORUM HOC IN TRACTATU CONTENTORUM.

morsus

Ictæ

L

M.

contra

FINIS.

THOMÆ ERASTI EXAMEN SIMPLICIVM, QVÆ AD COMPOSITIONEM THERIACÆ Andromachi requiruntur, ſcriptum ad Dn. STEPHANUM SPRENGERUM.

QVÆ OBITER ANTE aliquot dies de ſimplicibus dixi, quæ pro Theriaca præparanda nobis examinanda propoſuiſti, ea nunc paulò diligentiùs meditata & ſcripto comprehenſa, petenti tibi, exhibere placuit. NIHIL iam de Theriaca per ſe dicam, talisne præparari poſſit, qualis illa fuit, quam Romanis Imperatoribus Andromachus

& Galenus &c. præpararunt; sed de simplicibus quibusdam Medicamentis, quid sentiam, præsertim verò de substituendis in locum quibus caremus, tantùm exponam.

Trochysci Scyllæ.

De Trochiscis Scyllæ nil habeo quod dicam; licet nostra Scylla non sit vera scylla, sed Pancratium potius, ex Mathioli sententia, Dioscoridis esse videatur. Vires tamen easdem propè obtinet. Credimus etiam Orobum referre, semen hoc ita in officinis vocatum.

Pastilli Viperarum.

Viperarum Pastilli, quia ex Italia sunt allati, meritò rectè apparati creduntur; de Pastillis Hedychroi dicitur suprà.

Piper.

Piper, ut cætera omnia, sit præstantissimum, vegetum, acre, plenum, non cariosum.

Opium Theb.

De Opio si iudicandum est ex Dioscoridis lib. 4. cap. 60. certum est, nostrum vix vlla in re legitimum referre opium. Nostrum Meconium est, non opium, atque vtinam non sit Meconium pessimè adulteratum. Si absque adulterio haberi posset, Meconium posset pro opio substitui, & parari poterat æstate à nobis si de Theriaca præparanda certiores

res

res fuissemus redditi. In hoc medicamentum quia multum est positum, iudico multa esse consideranda, & diligenter curandum, ut quam optimum Meconium saltem minimeq; adulteratum nanciscamur, antequam conficiatur Antidotus.

Scordium nostrate sumi poterit vtpote recentius, quoniam quod aliunde aduehitur & satis est pollens, si modo sit verum & collectum in Anno calido & sicco non pluuioso & humido. Scordium.

Semen Napi debet sumi iuxta Galenum Sylvestris. Mathiolus indicat Domesticum & dulce sumi debere; quippe Andromachum dulce vocare. Filium autem & Damasatem non addere sylvestre. Item Dioscorid. & Plin. Domesticum non Syluestre commendare contra venena. Sed non magni referre arbitror, utrum ponatur. Ego sane cum Galeno Syluestre propter acrimoniam prætulerim domesticæ ut ignauiori. Nõ sequitur venenis non resistere, quia Dioscorides, lib. 4. hanc ei facultatem non adscripserit: nec sequitur Syluestris Napi semen Antidotis non misceri, quia Semen Napi.

domeſticum miſceri ſcripſit. Sed hic facilè aſſentior aliis.

Cinamomum.

De Cinamomo res mira videtur Scaligero, & quidem rectè ſi quid hîc iudicare valeo, non vllo iam in angulo terrarum reperiri, cum notior hodie ſit Orbis vbi aromata naſcuntur, quàm Romanis fuerit hic noſter. Certum eſt, Romanos illarum terrarum nullam noſtræ ætatis hominis magnam habere notitiam, omnia perluſtraſſe, cuncta obſeruaſſe, imò inueſtigaſſe, nec tamen Galeni Cinamomum reperiſſe. Itaque aut deſiit etiam Cinamomum, aut non colitur vel diſtrahitur amplius. Hoc poſtremum cum incredibile ſit propter ipſius pretium & nobilitatem, prius autem à nemine dictum ſit, conſentaneum eſt, Cinamomi & Caſſiæ plantas vel eaſdem vel minimè diſcrepantes eſſe, atque vnius corticem pro alterius cortice vel fructu vendi, aut forte natalibus & naſcendi fœlicitate tantùm inter ſe differre. Sanè Galenus Cinamomi ramuſculos in Caſſiæ frutice ſe vidiſſe lib. de Antidotis teſtatur. Quæ omnia huc faciunt vt ſi caſſiam bonam habeamus, antido-

tum

tum nihil deteriorem fieri appareret, quam ſi Cinamomũ verum haberemus. Placet nihilominus vt pro Cinamomo Caſſiæ præſtantiſſimæ duplum accipiatur. Damocrates pro Cinamomo Cardamomi ſemen à quibuſdam poſitum refert.

Opobalſamum.

Pro Opobalſamo ponit Cordus Ol. gariophyllorum; alii ol. Nucum myriſticarum; & horum vt ſententiam probo, ita illorum non improbo. Certum tamen eſt, ol. gariophyllorum magis igneũ & calidum eſſe, quam oleum Nucis myriſticæ. Gariophylli enim, vt non ſolum Paulus docet, ſed & guſtus perſuadet, longè calidiores & minus ſuaues ſunt. Habent etiam nuces myriſticæ pinguedinis gratæ, eoq; nomine commendantur, amplius & inhærent corpori facilius. Cæterum de Oleo non expreſſo ſed Chymica arte extracto hîc loquimur, quemadmodum ex gariophylis elici conſueuit. Certum eſt, tantam olei gariophyllorum quantitatem reddere Antidotum calidiorem iuxta & acriorem; haud etiam meliorem nucum myriſticarum oleo. Quocirca hoc myriſtico oleo potius u-

ſus fuerim, præſertim cum exemplum hic Italorum habeamus, qui in præparanda Theriaca laudem præcipuam hactenus obtinuerunt. Porrò haud grauatim in eorum ſententiam quoque pedibus ierim, qui odoratiſſimum liquorem, quem ex Indiis iam aduehere cœperunt & Balſamum vocāt, propterea quod permultas Balſami facultates habere compertum ſit, pro Balſamo ſubſtituendum cenſent.

Mirrha.

Mirrha omnis noſtra, ſi modò myrrha eſt, Ergagium vel Cancalia, vel his etiam deterior eſt. Quoniam aliam nec habemus nec ſperare facilè poſſumus, noſtrā defæcatam admittere cogor. Matthiolus odoratiſſimum liquorem, quem Balſamū vocari dixit Stacter putat eſſe. Quod ſi eſt & haberi à te poſſet, aptiſſimè pro Mirrha poneretur. Quæ de Mirrhæ defæcatione & purgatione dixi, ea de Galbano, Sagapeno, Opoponace te etiā intelligere iubeo, niſi puriora hæc fortè nanciſci poſſis.

Rhaponticum.

Rhaponticum verum nunc Venetiis venditur ex Ponto aduectum. Auicenna Rhabarbarum pro eo ponit, quod certè odora-

odoratum cum sit,& cum illo communis planta esse videatur,non ineptè,ubi illud deest,ponitur. In quo tamen id obseruari velim, vt maximè adstringens & crudum appellatum eligatur.

Rad. Quinque folii.

Radices quinque folii communis intellexerunt Græci; de Tormentilla nusquam eos scripsisse suspicor, aut saltem me de ea legere memini. Ego tamen non valdè referre existimo,vtra ex his Antidoto misceatur. Si adstrictio quæritur, in utraque inest; Si vis hebetandi venena,tribuitur hæc ab omnibus Recentioribus Tormentillæ.

Calamenthum montanum.

Calamenthum Montanum hic primus ostendi nascentem, quæ si in aprico loco colligatur,& Anno creuerit calido & sicco non pluuioso,non sit incommoda futura.

Costus.

Cum aliis ferè omnib. pro Costo Zedoariam ponerem. Quod si Angelicam adoratam aliquis malit,cum Matthiolo duplum substituerim, propterea quod citra omnem controuersiam imbecillior gustata,quam fuisse scribitur Costus Antiquis. Habet enim hæc radix lenem amaritudinem cum acrimonia, non ta-

men exulcerante, qualem in Costo Galenus ponit, & odorem spirat valdè iucundum. Magis hęc placet quam Helenium.

Petroselinũ Macedonicum.

De Petroselino Macedonico legatur Galenus lib.1.de Antidot. ut ne putemus nefas esse aliud eius loco ponere. Quia verò petroselino ex multorum sententia careamus, & Galenus Smirnio easdem propemodum vires adscribit, iussit huius semen pro illo poni. Est autem Smirnium herba alio nomine Romanis Olusatrum dicta teste Manardo ex Galeno.

Iuncus Odoratus.

Iuncum Oderatum nuper proponebas nobis recentem Odoratum & acrem, quo vtendum censeo. Raro tales reperiuntur. vocant in officinis Squinanthum vel Schævanthum.

Spicanardi.

Spicanardi tua nec sapore nec odore ullo erat prædita. Itaque hoc ei accidisse suspicor, quod sua ætate Galenus quosdam facere solitos scripsit, nempe elixam prius ad nos missam fuisse. Quærenda igitur alia erit.

Styrax.

Styrax, quam nuper ostendisti, optima non erat, si aliam habere non poteris, differatur vt Myrrha.

Thlas-

Thlaſpios ſemen velim eſſe legitimum & acre. Niſi plurimum fallor, poterit pro eo non malè ſemen Naſturtij in Antidotum indi. Nam & ſapor & odor vtriuſque fermè idem eſt, & videtur generi non diſcrepare. Vires etiam habent ſimiliores quam vix aliæ duæ plantæ; id quod authorum ſcripta de vtraque planta conferenti liquebit. Accedit & hoc, quod Dioſcorid. vtpote ſimilis naturæ facultatiſq; herbas mox poſt Thaſpi naſturtium ponit; & idem Naſturtij ſemen contra ſerpentum venena commendat, & hæc huius ſuffitu fugari affirmat. Quare cum Thlaſpios ſemine vero & bono careamus, Naſturtij autem optimum habeamus, rectè hoc pro illo ſubſtituemus.

Sem. Thlaſpios.

Ammij verum habemus iam hîc.

Ammij.

Malabatri folio cum careamus, poſſet nardi ſpica pro eo poni. Similem enim, aſſeverante Galeno & Damocrate, habet facultatem. Alij Caſſiam ponunt, quod non improbarem, niſi antea bis iam poſita fuiſſet. Longè mihi videtur optimè conſideraſſe Cordus, cum partes æquales ſpicæ Romanæ & Macis ponit; itaque tu idem vt facias conſulo.

Malabatrum.

Fœniculum. Fœniculum ponatur non dulce ſed acre ſiue acutum.

Terra Lemnia. Pro terra Lemnia Bolus orientalis, qui nihil aliud putatur eſſe, quàm terra lemnia, ponendus erit.

Amomum. Pro Amomo (ſi non ſit poſitum oleum gariophyllorum) hic ponerem gariophyllos, & quidem optima ratione. Sin aliter poſſet poni Galanga officinis maior.

Acorus. Acorus vnus eſt Calamus aromaticus officinarum.

Carpobalſamum. Pro Carpobalſamo ponunt alij Cubebas noſtras; quorum ſententiæ nihil habeo quod addam vel detraham. Non video tamen cur non liceat gariophyllos ponere, cum oleum horum pro Opobalſamo quidam ponant.

Acatia. Pro Acatia ſuccum Sumach ſiue Rhois ponerem: magis enim ad Acatię naturam accedere videtur, quam prunellorum ſuccus.

Gummi vermiculati. Pro Gummi quod antiqui ex ſpina aſtringente ſumebant, non debet Arabicum Gummi vocatum poni, ſed gummi ſylueſtrium prunorum vel ceraſorum acidorum.

Daucus Creticus. Pro Dauco Cretico videtur ex ſenten-

tentia

tentia Galeni Pastinacam syluestrem vel Cardui semen substitui posse. vtrobique enim similes fermè vires illis attribuit. Posset etiam fortassis Meum, quod Germani Beerwurtz vocant, poni. Verum id pro Meu positum iam fuit. Ergo si cui libet, poterit non ineptè forsan radicem eius herbæ ponere, quam Imperatoriam aliqui, nos Magistrantiam hic hic vocare solemus. Certè locum Dauci etiam Cretici non strenuè tutabitur in Antidoto, valenter attenuat, vrinam potenter ciens & menstrua, flatus valdè discutiens. Resistit eadem venenis, vt plerique putant, non segniter. Odoratæ Angelicæ radici hic esse non arbitror; quod acrimonia in ea talis, qualis in Dauci seminibus inest, nulla percipitur.

Trochisci Hedychroi.

In Pastillis siue Trochiscis Hedychroi simplicia vel habentur in officinis, vel sunt à nobis iã ante examinata, exceptis perpaucis, inter quæ est Marum, pro quo sumit Cordus Dictamnum Creticum; alij sumunt pusillis foliis Maioranam, sed quia & hæc ingreditur loco Amaraci, Sisymbrium posse poni iudicant. in qua sententia est ex Dioscoride Mathiolus. Cer-

Marum.

tum est Dictamnum acriorem esse & tenuiorem Mare. Itaque Pulegium malim, quod Dictamno simile scribitur à Galeno, præterquam quod non est æquè tenuiũ partium. Sanè Dioscorides in eadē sententia fuisse videtur. His addatur & illud, quod non nisi inueteratum Dictamnum habemus, & cum pro Amaraco siue Maiorana Italica nostratem tu posueris Amaracum, prçstaret pulegio acrimoniam, quæ in nostra Maiorana etiam præstantissima desideratur, compensari. Et nihil minus pro Maiorana ponenda erit illa oderata pusillis foliis (non quæ pinguiora habet folia maioraque minus odorata) quæ vocatur à nostris mulierib. Edel oder klein Maioran.

Asphalathũ. Pro Asphalatho rectè ponit Cordus Agallothum siue Lignum Aloes, præstat hoc Agno Casto, vt ego arbitror.

Calamus. Pro Calamo sume Calamum aromaticum Officinarum vel Acorum verum Dioscoridis; idem enim sunt; Si cupis Angelicam odoratam in compositione haberi, poterit hic aptè poni. Et mea sententia hic rectius ponetur Angelica oderata, vt quæ non sit tam calida vt est cala-

mus aromat. officinarum. Galenus rectè asserit, Calamum aromaticum græcorum de quo hîc agitur, & de quo Dioscorides lib. Cap. 17. temperatè calidum esse, non tam acrem vt officinarum Calamus vel græcorum Acorus.

Xylobalsamum.

Pro Xylobalsamo placent Sandali flavi odorati. In Italia plerique Cubebas probabant. Matthiolus præter hæc pedunculos gariophyllorum & Agallathũ. Ego non minori ratione hoc in loco Nucis myristicæ corticem, quem Macis ferè nominamus, positurus videar. Verùm si Sãdali sint electi & odorati facilè hic sim contentus. Certè non putem te præter rem facturum, si Macim pro his substituas; vel Macim & Sandalos æquali pondere coniunctos pro Xylobalsamo inijcias.

Opobalsamum.

Pro Opobalsamo hoc loco ponerem oleum gariophyllorum, quia quantitas est exigua, quæ ingreditur Theriacam. De aliis omnibus est dictum. Vnum hoc adjiciã. Si supra pro Calamo ponas Calamum odoratum officinarum siue Acorum Dioscoridis, pro quo tamen malebamus Angelicæ radicem poni, pro Amomo

momo posse Angelicæ odoratæ locum esse. Valdè velim tam præstanti & tot facultatibus nobilissimis insignitæ radici locum in Antidoto aptum inueniri.

Pro Amomo aútem possunt vtiliter sumi gariophylli, si supra Angelica sumpta sit, neque Acorum repetere placeat.

Hæc habui, quæ in ista temporis breuitate de paranda Theriaca dicerem. Cæterùm caueas velim mihi soli vt credas, quin potius alios Doctores, inprimis autem DD. Ioan. Langium, virum in omni præstanti doctrina eruditissimum audito. Medicamenta simplicia, de quibus nullam mentionem feci, ea mihi probata sunt. Datum Anno 1564. Decemb. 21.

PRVDENTISSIMIS VIRIS, omníque doctrinæ genere excellentiſſimis Mediolanenſis collegij Medicis,

IO. BAPTISTA SILVATICVS.

S. P. D.

THERIACAM ET MITHRIDATICAM ANDITOTVM ne quis in vrbe noſtra ſine veſtro aſſenſu componere poſſit, VIRI EXCELLENTISSIMI, ſumma ratione DVCES noſtros cauiſſe cōſtat, cùm duo hæc medicamenta paratu adeò ſint difficilia, vt à pauciſſimis rectè componantur. Non ſolùm enim in ipſis ſimul miſcendis ſimplicibus medicamentis mira quædam requiritur diligentia : ſed etiam horum omnium & ſingulorum exacta cognitio eſt omnino neceſſaria. Nam in vobis perfectam, in pharmacopolis & miniſtris minùs exactam eſſe animaduer-

tentes DVCES illi noſtri prudentiſſimi nobis totam prouinciam,ceu ad nos meritò ſpectantem,maximo conſilio tradiderunt.Mihi verò collegę veſtro ſimul cum aliis ex eodem ordine noſtro ſelectis eam prouinciam cùm non ſemel demandaueritis, vt ſcilicet theriaces compoſitioni præeſſem,mei muneris eſſe exiſtimaui,quæcunque ad rectam nobiliſſimæ huius Antidoti compoſitionem ſpectant diligentiùs obſeruare, & quantum in me eſſet curare, vt rectæ compoſitionis leges omnes accuratè ſeruarentur. Hæc igitur omnia qua potui diligentia in vnum collecta, typis excudenda eſſe cùm determinaſſem,ſub veſtri nominis patrocinio in lucem vt prodirent, non ea tantùm de cauſſa conueniens mihi viſum eſt,quòd vos ſoli huius compoſitionis patroni eſſetis,ſed quoniam etiã pro eo non parum vobis debere me ſentiebam,quòd dignum cui cum aliis me peritioribus ardua difficilíſque huiuſmodi demãdaretur prouincia me iudicauiſſetis.Accedebat quòd æquum eſſet ingenij mei partus aliquos illis offerre me, à quibus multis non modò modis me co-
hone-

honeſtatum videbam, ſed etiam multa magnáque in re medica didiciſſe ſciebã. Cæterùm quicquid eſt quod hac in re omni ex parte difficili atque obſcura ſcriptum à me eſt, id etſi fortaſsis huiuſmodi non erit, vt illi penitus acquieſcẽdum eſſe cenſeatis: iis ſaltem qui futuris temporibus idem munus à vobis demandatum ſuſcipient, ad tantam rem veriùs rectiúſque determinandam tanquam incitamentum quoddam erit. Ego ſanè illud à vobis omnibus ac ſingulis enixè poſtulo atque contendo, vt quo animo munus hoc, qualecũque ſit, vobis offero, eodem nec diſsimili illud idem vos ſuſcipiatis. Eſt meæ in vos obſeruantiæ teſtimoniũ certum: eſt obligationis erga vos meæ ingenua confeſsio: eſt denique grati animi mei quædam commemoratio. Valete. Ex ædibus noſtris. V. kalen. Martias. M.D.XCVI.

Excellentiſ. venerandiſ. Collegij Mediolanen. Medicorum nomina & cognomina ſunt hæc.

Vincentius Dinallus.
Bernardus Caſatus.
Chriſtophorus caſtiglioneus comes Palatinus.
Auguſtus Terragus.
Domitius de comite.
Annibal Carpanus.
Camilicus Baſilicapetri
Fabius Albutius,
Gregorius Orrigonus.
Zacharias Cainus Protophyſicus.
Hieronymus Porta.
Caſar Caſatus.
Bartolomeus Aſſander ex Lx.decur.
M.R.Io. Petrus Gluſſianus,
Claudius Quadrius.
Ludouicus Septalius,
Io. Baptiſta Siluaticus,
Io. Antonius Boſſius.
Ioſeph Nidaſius.
Ioannes de Abbiate.
Io. Baptiſta Blancus.
Alexander Calchus ex vndom Ros. & Puozoli.
Nicolaus Caſtiglioneus Comes Palatinus.
M. Antonius Sicrus,
Antonius Regna.
Maximilianus Homatus.
Gabriel Carcanus,
Benedictus Caſatus.
Io. Paulus Caſatus.
Hieronymus Sirterus.
Coſtantius Solarius.
Io. Bapti. Caſtiglioneus,

DE

DE THERIACES COMPOSITIONE, LIBER PRIMVS.

PRÆFATIO.

THERIACA vocata medicamenta omnia veteres Medicos magni vbique fecisse planè constat: sed quam senior Andromachus, Neronis Imperatoris medicus, composuit theriacam, (quæ fortasse nomine isto dignior est) cùm ob promißionum certitudinem, tum ob actionum efficaciam apud omnes homines fuisse celebratißimam in cap. 2. eius libri quem de Theriaca ad Pisonem Galenus scripsit legitur. Sanè verò nobilitatis medicamentorum huiusmodi argumentum non inane est, quòd tot tantique viri in his quæ ad rem medicam pertinent grauißimi peculiarem quandam eiusmodi compositionem vel inuenerint, vel excoluerint: Mithridatem dico, Andromachum, Damocratem, Antipatrum, Ælium Gallum, Euclidem, Palatianum Socratis discipulum, Zenonem Laodiceum, Claudium

Apollonium, Antiochum Regem, Heram, Xenocratem Platonis discipulum, Scribonium Largum, Esdram, Magnum Nicolaum & Alexādrum. Immò tantæ existimationis Andromachi compositionem aliàs fuisse legimus, vt nemini, medicis Imperatoriis exceptis, aut horum singulari priuilegio donatis, eam compositionem aggredi liceret. rectéque sanè: quia rei huius difficultatem eximiam superaturi soli magni medici, quales ætate ea Imperatorij erant, videbantur: solíque Imperatores sumptus insignes pro eiusmodi compositione necessarios sustinere tunc poterant. Multa sunt atque adeò varia, & illa quidem efficacia, medicamenta theriacam ingredientia, vt rectè composita mirandos Galeni opinione ac propemodum infinitos producat effectus, & vsus habeat quamplurimos. E contrà autem non sine maxima harum virium iactura, totiúsque compositionis præiudicio multo, ne minima quidem res omitti, contemni, mutariue potest, aut debet. Quapropter quia omnia ac singula probè dignoscere ac determinare cuiusque non est, optimam propterea theriacam componere res semper fuit, estque etiam hoc tempore, vt ipse quoque sentio, omni ex parte difficillima. De hac re magnis vocibus conquestus est Galenus, & non solùm myropolas, sed & medicos ipsos suo

æuo

æuo in hoc componendo medicamento peccare solitos esse exclamauit: quia scilicet & eorum qui viperas venabantur fraude, & medicamentorum imperitia qua plerunque compositores laborabant, inutilis persæpe tunc euaderet compositio. Verentur aliqui proptereà ne non rectè nunc parari poßit theriaca, præcipuè verò quia ex his quæ suscipit in compositione medicamentis multa vel penitus ignorentur, vel valde dubia sint, aut etiam ad nos non deferantur, & verus parandi modus longo abusu sua opinione sit abolitus. Non posse autem quempiam bene parare, nisi alium aliquem bene parantem priùs viderit, bona ratione Galenum putasse dicunt, dum vocat temerarios, qui aliter suscipere audent. Porrò ex multis id sentientibus vnum Manardum tanquam eorum ducem lubet adducere, hoc ipsum lib. 6. suarum epistolarum medicinal. epistola tertia enixè contendentem. Sed quanquam hæc vrgeant, síntque omninò multi facienda: solam tamen, vt ipse existimo, rei difficultatem arguunt. Audendum igitur, & difficultas, quanquam magna est, propter vtilitatem superanda, & Galeni ducis nostri imitatione nulli diligentiæ, nulli sumptui parcendum erit in primis: labor deinde subeundus omnis, lapis quisque mouendus, vt omnium primò præstantißima seligamus me-

dicamenta, & eum componendi modum exactè obseruemus, quem suis ille in scriptis nos edocuit. Id eò fidentiùs aggredi par est, quòd aliàs ignota medicamenta multa facilem hoc tempore admittant cognitionem, & ab exteris Regionibus deferantur pleraque quæ desiderabantur, rectámque medicamentorum sibi inuicem substituendorum methodum habeamus: complures adhæc sint, qui alios theriacam benè componentes & sæpe & diligenter obseruauerint: ita vt si non optimè vt Galenus, bene tamen vt multi, & sine temeritatis nota, theriacam componere possimus. Rectam igitur theriaces componendæ methodum in primis explicabimus: eius deinde vtilitates & vires docebimus: & his congruum eius vtendi modum adiiciemus.

THERIA-

THERIACÆ NOMEN QVID SIGNIFICET.

Caput Primum.

BENÈ autem erit ab ipsa nominis explicatione exordiri, & quid nomine isto, theriaca, nobis significetur primo quoque loco docere, quia multi sint, qui de nominis istius vi, siue vocata etymologia, contentiosè disputent. Alij enim ab ipsa venenatorum serpentum, quos Græci communi vocabulo θηρία appellant, morsus euincendi facultate nomen huiusmodi deductum voluerunt. Alij propter viperinas carnes admixtas (τα θηρία Græcos vocasse viperas dicunt) tale nomen medicamento huic impositum fuisse contendunt: alij verò aliter statuunt. Horum quidem studium damnare nostri non est instituti: laudamus immò consilium, & probamus diligẽtiam. Quæcunque tamen fuerit inditi nominis ratio, nihil profectò aut certè parum ad rem ipsam facit. Superstitiosam quandam nominum speculationem susceptásque de iisdem cõtrouersias Galenum vbique vel damnasse, vel paruipendisse constat: quin & si quando theriacæ etymologiam explicare voluit, breuioribus quibusdam verbis & perfunctoria quasi oratione id prosequutus est, vti capite quinto lib. de ther. ad Pison. hunc in modum: [Illud tantùm prius dicam, theriacam duabus de causis

meritò & ab eo qui sic ipsam admiscuit & à nobis deinceps appellatam : simul quia serpentum morsibus maximè succurrat : simul quia viperinas carnes admixtas habeat] Primus igitur Andromachus, Galenus deinceps & eum posteà sequuti medici duabus illis de causis nomen huiusmodi medicamento huic imposuerunt, illúdque retinuerunt. Non est vt recitati libri fidem in dubium quis reuocet, quia inter spurios illum reposuerint ex recentioribus aliqui : tum quia planè adhuc id non constat, tum etiam quia æui illius medicum, quisquis fuerit, certè non vulgarem hæc de huius nominis etymologia adnotasse nobis sufficit. Hoc vel solo quisque persuaderi poterit argumento, ab Andromachi tempore tantùm antidotum istam cœpisse appellari theriacam. Anteà siquidem Andromacho antiquiores medici generico vtentes nomine, medicamenta omnia ferarum morsibus aduersantia, appellarunt theriaca. Vnus ex multis qui id obseruarunt adducatur primus Nicander, qui & ea omnia quæ venenis ebibitis aduersantur medicamenta vniuersaliter vocauit alexipharmaca. Post Nicandrum Gal. 6. in 6. Hip. Epidem. com. 5. quæ ferarum morsibus medentur, vocari dixit theriaca, quo nomine ille idem abusus est, theriacén rusticorum allium appellans, lib. 12. meth. med. cap, vl. Sic & Oribasius, referente Aetio tetrab. 4. serm. 3 cap. 14. ex centaurio compositum emplastrum aduersus ferarũ & rabidi canis morsum, θηριακὴν appellauit Sola verò deinceps Andromachi compositio particulariùs theriaca di-

ℓa est,

cta est, hócque nomine ad hęc vsque tempora sola illa significata est. Solent medici ad quidpiam particularius nominandum generico nomine vti. Bezoartica vocarunt Arabes medici medicamenta omnia venenis aduersantia: lapidem tamen in ventre caprę Indicæ inuentum peculiari hoc nomine insigniuerunt. Cęterùm non eodem semper nomine vocari theriacam Andromachi est animaduertere, quando iunior Andromachus senioris filius γαλήνην (serenam vertunt & tranquillam) eam appellauit: sic referente libri primi de antid. authore, cap. 7. Eandem ἱλαρὰν & ἴυδιον à nonnullis dici legimus: quemadmodum etiam Galenum ipsum ἀντίδοτον δι᾽ ἐχιδνῶν, hoc est, ex viperis antidotum, sæpissimè theriacam vocasse cuique in eius lectione vel mediocriter versato constat. Inutilis igitur est hæc de nomine isto disputatio, quia siue hanc, siue illam acceperis nominis huius etymologiam, parum refert, & nihil ad rem facit.

DE VIPERIS.

Caput Secùndum.

QVoniam autem non modò Galenus, sed qui eum insequuti sunt omnes Medici in hanc vsque diem Andromachi compositionem acceperunt, & in ea qui ex viperis conficiuntur pastilli primum locum obtinent, óbque adiectas viperas maiori semper in existimatione fuit antidotus, de viperis ob id primò & ante omnia disserendum nobis est. Harum cùm neque genus omne,

neque regionis cuiuslibet, admittatur:ex hísque quæ admittuntur,neque pars quælibet, neque tẽpus quo capiuntur quoduis laudetur,propterea hæc omnia examinanda sunt diligenter:qualis esse debeat vipera,fœmina an mas:tota,an eius pars quædam tantùm sit accipienda : quo in loco, & quo anni tempore sit capienda.Contendunt inter se magni nominis medici de viperæ essentia,Marassúsne, an Dipsas, vel quid etiam diuersum sit, disputantes. Est tamen hoc tempore superflua contentio huiusmodi, quæ vsque ad Galeni tempora nihil certi habuit,quod determinari potuerit. Galenus ipse cum Marsis sese serpentium domitores potentissimos profitentibus,ex Marsorum familia, Circes veneficæ gente antiqua, ortis facto colloquio,nihil certi de hac re habuit vt ille testatus est lib.xj. de simpl.med.facult. cap. de carne viperæ.At nostra ætate cognita rectè vipera est:quod enim Latini viperæ nomine enunciant,id vbique à Græcis ἔχις & ἔχιδνα dictum est,cuius inter serpentes id proprium esse ac peculiare affirmauit Aristoteles,lib.5. de Histor.animal.cap.vlt.vt cùm serpentum genera omnia ouipara sint & oua edant in lucem animalia postmodùm emittentia, vipera è serpentibus vna est viuipara,viuúmque animal foras edit:cum intra se ouum prius genuerit piscium ouis simile , hoc est,vnius coloris nec cortice vllo,sed molli cuticula opertum.Quo argumento (captis scilicet animalibus prægnátibus,hísque in capsulis cõclusis,quæ catulos tandem viuos,non oua pepererunt)veræ iamdudum in Italia deprehensæ sunt
viperæ,

viperæ, vt de earum eſſentia vltro dubitandum non ſit,vti neque de peculiari earum nomine diſputandũ. Harum ſingulares quibus cognoſcantur,notas,Galenus lib.de ther.ad Pis. cap. 13. & quotquot alij eo antiquiores recentioréſve de Serpentibus ſcripſerunt,nos docuerunt diligenter:vt ſint coloris ſubflaui,pluribus diſtinctæ maculis,rotundis:longitudine vt plurimum cubitali, nonnunquam verò trium dodrantum,ſi in Italia capiantur. Nàm in Aſia & India multorum teſtimonio eam longitudinem valde ſuperāt. Fœminam à mari diſtingui dicunt, quia caudam hæc habeat excarnem & ſquammis duriuſculis aſperam,non paulatim,vt mas,ſed ſimul vniuerſim aceruatímve gracileſcētem:caput præterea gerit latiuſculum,oculos ſubruffos, collum quàm ſit mari anguſtius,aluum prominulam, meatum ad caudæ extrema propè accedentem : adde quòd huic inceſſus quietus eſt et tardior: geminos verò tātùm caninos dentes mas habet,plures fœmina, quatuor ſcilicet : quod quidem vno ſcriptorum omnium conſenſu affirmatum notiſſimam ſimul atque certiſſimā maris à fœmina facit diſtinctionem. Dicamus obiter ea præcipuè de cauſa uiperas theriacæ Andromachum addidiſſe omnes fateri, vt maiorem contra ſerpentum morſus viperæque præſertim haberet facultatem. Id vltro factum fuiſſe Galenus exiſtimauit, libro de ther. ad Pis.cap.8. quoniam determinanti Andromacho quidpiam veneno ſi ei compoſitioni admiſcere temperatius elegit, cùm ſit intenſius & lethalius venenum in Dipſade,Baſiliſco , Dryino,

Hæmorrhoo, Maralio & Cenchride. Porrò venenum huic antidoto miscendum censuit Andromachus, vt eius medio, vel proprietate quadam abscondita, venenis aduersaretur magis, itáque sentiunt multi. Sunt qui dicant iccirco factū, vt esset tanquam vehiculum virtutis aliorum medicamentorum. Profectò venenum temperatius esse debere rectè iudicauit Andromachus, vt nocere nihil, prodesse multum posset. Nocuisset sanè aut saltem tuti minimè vsus fuisset, si intensius aliquanto magísque virulentum extitisset. Hoc eodem consilio fœminas viperas, maribus dubio procul minùs virulentas, Galenus alijque omnes iusserunt eligendas. Hoc idem sensisse Andromachum inde constat, quòd eius filius prægnantes censuerit reiiciendas: at solæ fœminę prægnantes sunt. Ex his subrubeum siue subflauum colorem habentes cæteris præferuntur, maiore nimirum in nigris, minimo in albis, mediocri in subflauis existente veneno. Eliguntur & quæ capita extollunt viperæ, tanquam iuniores & viuidiores: probantur & magis latum caput habentes, quia maioris roboris indicium id sit. Sed & quarum ventres prominent ea, vt puto, ratione laudantur, quod hæ & robur habeant maius, & humidis superfluitatibus minùs abundent. At quærat fortasse quispiam, si fæminis tantum viperis vti expedit, cur Andromachus voce, ὄφιος, quæ generica est, anguē significans, non ἐχίδνης, quæ viperam specificò innuit, vsus sit: cur item Latini scriptores, viperæ nomine promiscuo, marē fœminámque significante vsi sint. Huic illud

Illud satisfaciet, his vocibus magnis illis viris vti fuisse necessarium, neque propterea de earum significatione esse ambigendum. Andromachus voce ὄφιος metri causa vti coactus est. Latini verò non medici tantùm, sed cuiuscunque alius facultatis scriptores, nominibus sæpe carentes propriis, & Græcis in hoc pauperiores, vocabulo rem magis explicante vti maluerunt, viperæque nomine ad fæminam, quæ peculiare nomen non habet explicandam, vsi sunt: quod idem in multis aliis sexum vtrunque significantibus mustela scilicet, columba, aliisque, similibus nominibus obseruarunt. Damocrates verò, cui per Iambicos quibus est visus versus licuit, Andromachi eandē compositionem describēs, voce ἐχίδνης vsus est. Et vtcunque de voce ista statuendum sit, solas viperas fæminas regiam antidotum ingredi debere, sexcentis qui voluerit colliget argumentis. Maximè tamen refert, qua in regione & quo in loco eas venari conueniens sit, sciuisse. Quæ nanque maritima loca habitant, vel in aliqua salsarum aquarum lacuna vitam degunt, hæ, vt libro primo de antid. author cap. 8. admonet, siticulosam faciunt theriacam. Habent illæ eædem cùm victus sui, tum ambientis aeris occasione intensius venenum, biléque itidem plurima refectæ siccæque sunt, & paucam carnem habent. Ne igitur in regionibus eiusmodi viperas seu ad esum, seu ad theriaces præparationem venemur, suo cauit Galenus consilio, lib. 11. de simpl. med. facult. cap. de carne viperæ, dum eas potissimùm laudat, quæ in Italia propter regionis humidita-

tem sitim nullam faciunt: atque his eisdem eum vsum fuisse verisimile prorsus est, cùm Seuero, Antonino, & Commodo Imperatoribus theriacam manibus propriis Romæ composuit. Quoniam autem & in Italia maritimæ quædam sunt regiones, salsæque lacunæ alicubi in ea reperiuntur: non ideò in quocunque Italiæ loco viperas ad hunc vsum venari licebit, sed in loco neque mari contiguo, neque salsis aquis referto. Quæ itaque in tractu Veronensi, in Euganeis montibus nascuntur copiosæ, quæ item in Pineto Rauennate, & quæ in tractu Neapolitano prope ciuitatem Sinuessanam Capuam & Falernum oppidum viuunt, eæ ad theriaces compositionem aptissimę ab omnibus summa ratione iudicantur. Porrò in his laudatis regionibus quouis anni tempore viperæ ad hunc vsum non sunt captandæ: sed, vt Galenus, censuit ad solius veris finem æstate ineunte. Etenim æstatis tempore exustum nimis viperarum venenum est, atque eiusdem exustionis partes multas retinet in autumno. Hyeme vigente excrementis illæ abundant, locáque habitantes subterranea nullatenus difflantur, pestilentémque propterea & magis noxiam, Galeni opinione, retinent intra se qualitatem. At finiente vere æstatéque incipiente placido ac sereno aëri aliquandiu expositæ, cibum consuetum & idoneum alimentum pastæ, buprestem videlicet, cantharidem & appellatam pinus erucam vnà cum fœniculi seminibus, pestilentis illius veneni maximam partem deposuerunt, carnémque propterea multam habent & optimam. Illo iccirco tempore artificos,

tiſcos,quos vocat Galenus, theriacos voluit conficiendos: idque ex profeſſo eſt proſequutus lib. 11. de ſimpl.med. facult. loco proximè ante aſſignato. Propter hæc fidem multam habent quæ in hunc propè ſcripta ſunt modum in primo lib. de antidot.cap.8. Neque tamen tam ſtrictè id accipiendum eſt, vt ſi ver quoad magnam ſui partem hyemale fuerit,circa principium æſtatis,non multò poſt Pleiadum ortum, debeant capi viperæ, re ipſa ſi res attentè conſideretur in idem recidente. Ætius Amydenus qui multa ex Galeno ad verbum tranſcripſit,tetrab.4.ſerm.primo,cap. 90. idem omnino viperarum capiendarum tempus conſtituit, hoc addito vt eo ipſo capiantur tempore,quo in latibulis ſuis deliteſcere ceſſant, & de cætero in locos ſub dio egrediuntur. Tum ſiquidem non adeò malignum habent venenum. Intus enim, inquit, deliteſcentia animalia, & calentis aëris vi minimè per cutis meatus reſoluta, nocentiorem & magis exitioſam veneni vim in ſe conſeruant. Eandem ad hæc capienda animalia obſeruandam temporis conditionem, eadem ad verbum adiecta cauſſa, cenſuerunt Actuarius & Auicenna:hic lib. 5. tract.primo cap. 5. ille lib. 5. ſuæ meth.med. cap.6. Poſſent hæc pro huius temporis determinatione ſufficere:ſed ob enatam ex Galeni verbis, in libro de ther. ad Pis. cap. 13. veris initium captandis viperis aſſignantis difficultatem, aliis argumentis idem vltro confirmare nos oportuit. Andromachus itaque his carminibus Neroni ſcriptis tempus idem conſtituit, & æſtate ineunte capiendas viperas voluit:

Atque vbi tristem hyemem pepulit clementior aura
Arcta solet cæca linquere lustra domus,
Et passim violis carpit vernantia prata,
Dum viridis quærit semina fœniculi.

Quis autem ante veris finem æstate incipiente prata violis, hoc est, floribus, obseruauit vernantia? Quis item ante tempus idem fœniculum semina emittere vidit? Illud potiùs verum est, mense Iunio & Iulio fœniculum sua emittere semina. Hoc licet in ea regione, quæ nõ multũ calida est, vt Mediolanẽsis, eueniat: in ea tamen quę calidior est, vt Romana, vbi vixit & carmina illa scripsit Andromachus, citius emittuntur. Sic & anethum æstate ineunte Romæ locisque illi vicinis viget, apud nos vix è terra extuberat: sic & rosæ nostris in hortis vere finiente vix florere incipiunt: in tota Liguria, regione citra controuersiam minùs frigida hyemis parte vltima florent. Quod pariter scribit Aetius, non multò post Pleiadum siue Vergiliarũ ortum hanc esse faciendam venationem, idem confirmat vel maximè. Quinto enim Kalend. Iunij, quæ dies in decimum & octauum Maij iuxta vulgarem enumerationem incidit, Pleiades apparere incipiunt, & id æstatis initium esse omnibus est in confesso. Scripsit adhæc Aristoteles lib. 8. de histor. animal. cap. 15. hyemis tempore mensibus quatuor frigidissimis, viperas sub saxis sese condere. Sola igitur aëris caliditate incipiente (quod non citiùs quàm vere finiente & æstate incipiente euenit) ad prata eas euocari necesse est, quod idẽ ipsi viperarum venatores obseruant diligẽter. Hæc itaque cum ita se habeant,

so-

ſolóque vere finiente circa æſtatis initia, viperæ ad vſum theriaces ſint captandæ, multum certè authoritatis & fidei liber de ther. ad Piſon. amittet, in cuius capit. 13. veris, non æſtatis initium, tanquam tempus dictæ venationi aptius conſtituitur, niſi fortè, quod facilè crediderim, Martianus Rota veris initium pro æſtatis initio perperam interpretatus eſt, mendoſos codices Græcos ſecutus, in quos facili lapſu ob vocum ſimilitudinem ἔαρος, ἀντὶ τοῦ θέρεος irrepſiſſe mihi fit veriſimile. In errorem eundem deductus eſt Iulius Alexandrinus, qui Actuarium è Græco Latinum fecit, & ver pro æſtate ſcripſit. Confirmatur hæc Galenici codicis caſtigatio, quia ſtatutum ſit eodem loco, venandas eſſe viperas, quando non amplius degunt in ſubterraneis cauernis; ſed inde progreſſæ ſub dio diuerſantur: quod quidem nō in veris initio, ſed fine, æſtate ſcilicet incipiente, accidere nuper demonſtrabamus. Haly Abbas eapropter minimè audiendus, qui veris initio ſerpentes iſtos capiendos ſtatuit, lib. 10. Pract. cap. 4. nec eo contentus addit, poſtquam arietem ſol intrauerit & tauri principia: ſiquidem iuxta Aſtrologorum ſententiam, circa vigeſimam Aprilis Sol taurum ingreditur. Nolim etiam fidem habere Nicolao Alexandrino ex Græcis ſatis antiquo medico, qui cap. 301. ſui de componēd. med. libri, Iulio vel Auguſto menſe capi pro theriaces compoſitione ſerpentes voluit. Neque Critoni aures dandæ ſunt, vindemiæ tempore æquè ac vere finiente poſſe viperas comprehendi exiſtimanti. Itaque circa veris finem æſtate ineunte, vel, ſi hie-

male ver fuerit, æstatis initio viperas ad vsum theriacæ capi oportere constans sit ac firma sententia. Qui verò rem hanc totam paulò diligentius considerauerit, particulare adhuc magis tempus inueniet. Æstatis initium in decimum & octauum Maij diem incidit: at non statim ac è latebris exierunt viperæ sunt capiendæ, quin per prata aliquandiu vt diuagentur aeréque sereno paululum fruantur permittere cõuenit, & vbi captæ fuerint, quã minimè fieri possit detinẽdæ, ne fortè ob inediam aucto calore excandescant & emacientur nimis. A vigesima igitur Aprilis die vsque ad decimam octauam Maij, plus vel minus, venationi huic incumbendum erit. Ex eo pariter quòd non sint diu detinendæ captæ viperæ, illud sequitur vel necessariò, venationem ipsam quàm celerrimè esse expediendam, viperásque omnes vna alteráve die, aut saltem quàm paucissimis esse capiendas, captásque ad locum determinatum citissimè deferedas. Cæterùm quòd ad viperarum retentionẽ attinet, rem hanc sicco pede pertransiri à nobis Serapionis in re medica authoritas haud patitur. Hic tract. 7. cap. 8. cùm capiuntur, inquit, viperæ, non dimittantur, immò abscindantur capita earum, ac ipsæ quoquecaudæ statim absque mora. Huius viri dicta eò maioris facio, quòd Aetius loco iam ante citato viperas eadem die, aut præcedente captas omninò accipi & amputari voluerit. Sanè verò contentiosè adeò rem hanc pertractare non lubet, quin fateamur optimum esse consilium, si obseruari id posset. Quominus autem semper obseruari id possit, in causa

est

est, quòd in loco venationi proximo pastilli ipsi confici non possunt, quod alioqui ad recitatum obseruandum præceptum necesse foret. Auicennas propterea re huiusmodi intimius perspecta hũc in modũ loquutus est: (Et oportet vt nõ morentur cũ capiuntur, si possibile est:) quod ab ipso est mutuatus Damocrates, qui rẽ hanc nullo apposito dierũ numero determinauit, his carminibus:
Æstate grandes viperas bis decem,
Venator captas quas recenter attulit.

Et qui librum de vsu theriacæ ad Pamphil. scripsit: Melius est, dixit, paulò ante captas. Res igitur eò deducitur, vt quamminimùm fieri poterit sint detinendæ viperæ. Porrò has neque omnes, neque totas ex vsu esse sciendum est. Prægnantes siquidem abiiciendæ sunt vt inutiles, & earum quę prægnantes non sunt caput & caudam secare abiicereque expedit,
In pugnum quantum est alta reducta manus,
vt iussit Andromachus. Quinetiam quę hisce extremis amputatis viperæ sanguine, motu, ac vita priuantur statim, inutiles esse dicuntur: vtiles contrà illæ è quibus sanguis abũdè profluit, & in quibus vita motúsque aliquandiu seruatur: hoc enim validæ earum virtutis signum esse certum, illud è contra flacciditatem & morbosam conditionem indicare constituerunt Galenus, Aetius, Actuarius, Auicenna & Serapio. Hic verò in eo mea opinione deceptus est, qui post abscissionem dimittendum dixit vt currat ex eis sanguis hora longa. An ne exangue adeò animal, vt vipera est, tantum sanguinis emittet? Sed ad rem ipsam re-

male ver fuerit, æstatis initio viperas ad vsum theriacæ capi oportere constans sit ac firma sententia. Qui verò rem hanc totam paulò diligentius considerauerit, particulare adhuc magis tempus inueniet. Æstatis initium in decimum & octauum Maij diem incidit: at non statim ac è latebris exierunt viperæ sunt capiendæ, quin per prata aliquandiu vt diuagentur aeréque sereno paululum fruantur permittere cõuenit, & vbi captæ fuerint, quã minimè fieri possit detinẽdæ, ne fortè ob inediam aucto calore excandescant & emacientur nimis. A vigesima igitur Aprilis die vsque ad decimam octauam Maij, plus vel minus, venationi huic incumbendum erit. Ex eo pariter quòd non sint diu detinendæ captæ viperæ, illud sequitur vel necessariò, venationem ipsám quàm celerrimè esse expediendam, viperásque omnes vna alteráve die, aut saltem quàm paucissimis esse capiendas, captásque ad locum determinatum citissimè deferẽdas. Cæterùm quòd ad viperarum retentionẽ attinet, rem hanc sicco pede pertransiri à nobis Serapionis in re medica authoritas haud patitur. Hic tract.7.cap.8. cùm capiuntur, inquit, viperæ, non dimittantur, immò abscindantur capita earum, ac ipsæ quoquecaudæ statim absque mora. Huius viri dicta eò maioris facio, quòd Aetius loco iam ante citato viperas eadem die, aut præcedente captas omninò accipi & amputari voluerit. Sanè verò contentiosè adeò rem hanc pertractare non lubet, quin fateamur optimum esse consilium, si obseruari id posset. Quominus autem semper obseruari id possit, in causa

est

est, quòd in loco venationi proximo p[i]stilli ipsi confici non possunt, quod alioqui ad recitatum obseruandum præceptum necesse foret. Auicennas propterea re huiusmodi intimius perspecta hũc in modũ loquutus est: (Et oportet vt nõ morentur cũ capiuntur, si possibile est:) quod ab ipso est mutuatus Damocrates, qui rẽ hanc nullo apposito dierũ numero determinauit, his carminibus:

Æstate grandes viperas bis decem,
Venator captas quas recenter attulit.

Et qui librum de vsu theriacæ ad Pamphil. scripsit: Melius est, dixit, paulò ante captas. Res igitur eò deducitur, vt quamminimùm fieri poterit sint detinendæ viperæ. Porrò has neque omnes, neque totas ex vsu esse sciendum est. Prægnantes siquidem abiiciendæ sunt vt inutiles, & earum quę prægnantes non sunt caput & caudam secare abiicereque expedit,

In pugnum quantum est alta reducta manus,

vt iussit Andromachus. Quinetiam quę hisce extremis amputatis viperæ sanguine, motu, ac vita priuantur statim, inutiles esse dicuntur: vtiles contrà illæ è quibus sanguis abũdè profluit, & in quibus vita motúsque aliquandiu seruatur: hoc enim validæ earum virtutis signum esse certum, illud è contra flacciditatem & morbosam conditionem indicare constituerunt Galenus, Aetius, Actuarius, Auicenna & Serapio. Hic verò in eo mea opinione deceptus est, qui post abscissionem dimittendum dixit vt currat ex eis sanguis hora longa. An ne exangue adeò animal, vt vipera est, tantum sanguinis emittet? Sed ad rem ipsam re-

deuntes, quid causæ sit inquiramus, cur sint abiiciendæ prægnantes viperæ, & non prægnantium caput & caudam cur secari oporteat. Sanè verò horum vtrunque difficultatem habet non prætermittendam. Etenim neque in quantitate partium abscindendarum, neque in caussa reddenda inter se conueniunt antiqui magistri nostri. Caput & caudam abscindi propterea debere libri primi de antid.author existimat, quia inter cæteras partes veneno maximè abundant, duráſque & paucas carnes habent. Haly Abbas caput veneni caussa, caudam ob superfluitates abiici debere credidit. At Galenus omnibus vbique præponedus plurísque faciendus, lib.11. de simpl.med.facul. cap.antea pluries allegato, rem hanc ex instituto considerans sibi frequenter subiisse scripsit, rationabile esse caput quidem totum abiici ob venenum quod ore continent viperæ:verùm à ratione alienum esse, adimere & caudam. Nec enim,subdit, dicere liceat,quòd id faciendum sit ob recrementa, tum liquida tum sicca: nam iis interfectis atque excoriatis, apertísque exempta interranea omnia abiicimus,vt sola sit carnium substantia reliqua, vnà cum arteriis venísque per ipsas sparsis, quarum minima moles est vt ad totam carnem, ac ne apparens quidem,nisi quis multum diligenter intentis oculis consideret. Neque minor est de abscissionis quantitate difficultas. Etsi enim Andromachus,Galenus,Auicenna,Haly Abbas, & qui lib. de antidot. & de vsu theriacæ ad Pamphil. scripserunt, quatuor digitorum mensuram huius abscissionis terminum constituerint; an tamen

men partis vtriusque simul vel diuisim sumptæ sit hæc intelligenda mensura, non declararunt, quod declarasse debuissent. Diuisim si intelligatur hæc mensura, ita vt ab vtraque parte quatuor digitorum longitudo sit abscindenda, octo in totum digitos æquabit abscissio tota, digitorum quatuor mensuram parte vtraque in abscissione amittente. At simul vtrinque accepta mensura, quatuor digitos vtriusque partis abscissio non excedet, sicque ab vnaquaque duorum tantum digitorum mensuram excedere non licebit. Damocrates præterea ab aliis hac in re diuersus sic cecinit:

Nempe, qua caput instat, abscindat primùm
Quod æquet digitorum mensuram trium
Qua cauda vibrat, amputet plus parum.

Prægnantes pariter viperas vno ore omnes censuerunt abiiciendas. An verò prægnantium nomine illæ quoque veniant intelligendæ, quæ oua tantùm, non adhuc efformatos catulos in ventre habent, nullus eorum determinauit: cùm tamen & quæ oua in ventre habent prægnantes sint, licet efformati adhuc non sint catuli. Et quo tempore pro conficiendis pastillis capiuntur viperæ, hæ vt plurimùm oua in ventre habent: vt propterea id declarasse magni omnino referat, & non sine maximo theriaces præiudicio possit hæc res dissimulari. Proximam hanc difficultatem è medio auferre aggressi recentissimi nonnulli eas tantùm viperas dixerunt abiiciendas, quæ catulos in se habent efformatos, quia eo tempore omnes ferè oua cùm habeant, si essent inutiles paucissimæ

essent bonæ. Rectè quidem sentiunt viri isti grauissimi: difficultas tamen ex toto non aufertur, & dubij multum adhuc in re relinquitur. An fortè viperas fæminas tunc temporis oua habere antiquis medicis ignotum fuit, vt propterea rem distinguere nesciuerint, ita vt catulos habentes expresse non significarent abiiciendas? Profectò hæc illis probè manifesta cũ essent, rem hanc declarare debuissent. Sed si verè finiente æstatéque ineunte non omnes viperæ oua habent, maiorem multò earum numerum esse colligendum quis diceret, quò ex magno numero ouis carentium quantitas sufficiens possit seligi. Præstaret etiam quò pauciores sine ouis inuenirentur, antequam omnino ver desinat capi. Quòd si quis dixerit Andromachum & Galenumne verbum quidem de re huiusmodi fecisse, nullámque prægnantium aut non prægnantium viperarum rationem habuisse, huic obiiciẽdi statim sunt Iunior Andromachus & Aetius, qui prægnãtes iussere abiiciendas: obiicienda pariter est quæ idem suadet ratio. Nos ex eo difficultatis huius solutionem pendere arbitramur, vt abiiciendarum prægnantium ratio inueniatur: iis postmodum abiectis prægnantibus, quæ inutiles esse inuenientur. Aetius igitur prægnantes viperas ea de caussa voluit abiiciendas, quia magis exasperatæ se ipsis reddantur. Sed longè verisimilius nobis sit, prægnantes esse ob id inutiles, quia minus carnosæ sint & magis excrementosæ: quod non nisi catulis iam efformatis euenire ratio ipsa suadet: exugentibus enim catulis (sunt quidem, vt sensit Aristoteles, numero vt

ro vt plurimùm viginti)meliorem matris ſanguinem eiúſq. carnē imminui, adeóque excrementa multa colligi, omnium vtero gerentium fœminarum, quæcunque illæ fuerint, exemplo fit manifeſtum. Quare cùm ouis tantùm genitis, hæc non patiantur viperæ (non enim ſanguinē exugunt oua) nihil propterea obeſſe puto, quin ad theriaces compoſitionem vtiles dici debeant. Solas igitur prægnantes catulos efformatos iam habentes abiicere expedit, quæ licet vere finiente reperiantur pauciſſimæ, rem nihilominus animaduerſione dignam iudicarunt viri illi grauiſſimi. Ac eam Andromachum & Galenum prætcriiſſe exiſtimandum eſt, vel quia infrequens ſit, viperas eo tempore catulos habere efformatos, vel etiam quia id omnibus manifeſtum futurum ſuppoſuerint. Cæterùm ſi per viperarū multitudinem licuerit, etiam habētes oua dimiſiſſe tutius erit. Harū porrò caput & caudam abſcindi debere cēnſemus nos quoque, vna tamen & eadem, nec minimè diuerſa ratione, quia ſcilicet pars illa vtraque ex carnis prorſus ſit & veneno magis abundet. Fœminam viperam habere caudam excarnem, ſquammis duriuſculis aſperam, non paulatim ſed affatim gracileſcētem, hócque nomine à maſculo diſtingui paulò ante didicimus. Hāc eandem venenum in ſe continere hiſce. carminibus affirmauit Andromachus:

Deprenſis igitur, ſummum caput imáque cauda
Demenda, huic quicquid venter inanis habet.
Infert nam ſæuos hinc atque hinc vipera luctus,
Et ſquammis cauda dira venena tegit.

caput ipsum quoque nullam habere carnem sensus ipse ostendit. Non tamen Galenus arguendus, lib.11.de simp.med.facult.caudã retinens. Quamuis enim à ratione alienum esse ibi dicat, caudam ob superfluitates abiicere, adducta quoque eius opinionis ratione euidenti: alia tamen de caussa eam abiici debere minimè negat. Eius loquendi modum attentiùs si qùis considerauerit, rem omnino Galenum non determinare intelliget: qui quod sibi sæpius in mentem subierat, quasi ab aliis melius considerandum proponit. Atque nisi hunc in modum eum Galeni locum intellexerimus, is profectò à cõtradictione nullo pacto poterit vindicari, qui lib.2. ad Glauc.cap. 10. carnes viperinas pro theriaces compositione & elephanticorum esu dum parat, caput abiicit & caudam. De earundem partium quantitate abscindenda nullam pariter extare cõtrouersiam ostendemus, cùm priùs in his, quæ proximè dicebantur, enascẽtem scrupulum abstulerimus. Caudam & caput propter venenum abiicere si expedit, retinendæ igitur aliæ partes sunt, quia veneno carent. At veneni in viperis existentis caussa eas in compositione ab Andromacho positas fuisse, in huius capitis initio dicebatur. Quin etiam cùm ad esum aptæ sint viperinæ carnes in theriaca vsurpatæ, videntur hoc quoque nomine veneno carere. Dicendum porrò impossibile esse, quin tota viperarum caro aliquid habeat venenosi, licet in cauda sedem suam venenum habeat, & in his partibus abũdet magis. Quod reperitur in aliis partibus venenum, tantum non est, quin à calore hominis naturali

naturali euinci queat, atque eò magis concoctis illis: in theriaces verò compositione tot illis adiiciuntur aduersus venena medicamenta, vt non possint non tutò assumi. Nunc in harum partium quantitate abscindenda nihil controuersiæ esse demonstremus. Etenim si & propter venenum & quia carne carent, caudam capútque viperarum abiicere conuenit, profectò abscissionis terminus siue meta, ipsius carnis apparitione terminabitur, eoque vsque pars vtraque abscindẽda, quousque caro ipsa sese ostẽderit conspicua: quod vnus Aetius his verbis docuit: (Ac primum quidem ipsarum capita ac caudas amputato, in tantum sanè, quantum videris in eis carne nudatum:) quæ res quamuis ita se habeat, damnandi tamen non sunt qui quatuor digitorum mensuram determinarũt, neque ab aliis erit diuersus dicendus Damocrates, qua caput instat trium tantum digitorum mensura contentus. Illi nanque id quod re ipsa in vsum deducta sæpius obseruauerant, tanquam normam quandam siue regulam vniuersalem esse voluerunt, medicos omnes in quantitate quauis determinanda in hoc imitati. Damocrates verò & ipse obseruatione ductus, qua caput instat minus abscindendum dixit. Videas propterea libri primi de antidot. authorem à magnis viperis digitorum quatuor mẽsuram abscindere, à paruis minorem. Hæc eadem ei dubitationi satisfaciunt quæ relinquebatur, an vtriusque partis simul, an vnius tantùm sit digitorum quatuor mensura intelligenda. Si enim carnis apparitio terminum nobis determinat, potest vtraque interim mensura intelligi:

maiori tamen ex parte eueniet, vt diuisim sit illa obseruanda mensura,& ab vtraque parte digitorum quatuor longitudo abscindenda, quod expresse omnino in eo libro legitur, qui de vsu theriacę ad Pamphil. scriptus est,& ab ipso Haly Abbate cõfirmatur. Hæc omnia is sine dubio promptiùs accipiet, qui viperarum pro vsu theriacæ apparatum aliquando obseruauerit. De viperis itaque iam dictum esset satis, nisi Laurentij Iouberti inaudita quædam circa viperas obseruanda diligentia, ad sui considerationem nos inuitaret. Is sect. 3. suæ Pharma.cap. de trochiscis viperinis, virgis prius cædendas viperas suadet, quò, vt ille inquit, irritatæ virus maximam partem euomant. Qua in re viri, alioqui eruditissimi, nimiam diligentiam non possum non admirari. Nihil sanè cuique de theriaca componenda disserenti cordi magis fuit, quàm mitiores quoad fieri posset viperas commendare: quo consilio & prægnantes, & macilentas,& quę in latibulis degunt, tanquam exasperatas nimis, iusserunt abiici. Rectúmne igitur erit, eas virgis ex industria exasperare? quis credat deinde, virgis irritatas viperas venenum euomere? Facilè quidem eas hoc modo irritari concesserim: sed venenum propterea eas euomere ridiculum censuerim affirmare. Adde quòd cùm statutum sit non esse viperas capiendas æstate, quia tunc caro earum bile nimis refecta sit: eadem ratione illas in furorem actas tanquam biliosiores effectas reiici debere constat. Atque de viperis ipsis res hunc in modum se habet.

THE-

THERIACORVM PASTILLORVM CONFICIENDORVM MODVS.

Caput Tertium.

AD theriacos verò paſtillos rectè conficiẽdos, quædam ante, quædam poſt, & alia dum conficiuntur diligenter omnino ſunt obſeruanda. Quæ ante obſeruare conuenit, hæc ſunt. Selectis optimis viperis, hiſque obtruncatis, pellis tãquam omnium corporis fuliginum & ſubtiliorum excrementorum receptaculum eſt ab eis tota eximenda: anguillarúmque more, inquit Damocrates, exuendæ. Ex iiſdem per longitudinem, iuxta pręceptum Haly, apertis pinguedo omnis tanquam inutilis eximenda, omniáque pectori ac ventri inſita, ac fel ipſum præcipuè, vt inutilia abiicienda: quod reliquum eſt, bis térve, vt Aetius, vel etiam ſæpius vt Haly cenſuit, aqua pura & nitida, non tamen adiecto ſale, vti voluit Auicenna, abluendum: deindéque non in vaſe æris ſtanno illito, vt iuſſit Serapio, ſed Andromacho & Galeno iubentibus, in fictili nouo pulcherrimè confecto, addita aqua, igni tradendum. Porrò vt neque omnis generis aqua, neque eius quantitas quæuis ex vſu eſt: ita etiam non è quouis lignorum genere erit ignis pro hârum carnium coctione ſuccẽdendus. Aquã ſanè puram & nitidam eſſe debere ei concedimus, qui primum librum de Antid. ſcripſit, quia ſint nullo pacto carnes iſtæ contaminandæ: ſed quò rectiùs concoquantur, nullámque dum coquuntur craſſitiem vel lentorem alteriúſve gene-

ris labem suscipiant, fontanam tanquam cæteris subtiliorem, carnibúsque coquendis aptiorem, aliis omnibus prætulerunt Galenus, Actuarius, Haly & Serapio. Hæc si ex orientem spectante fonte hausta fuerit, Haly ipsi bona ratione magis arrisit. Quòd ad quantitatem spectat, eam sumi debere Aetius censuit, quæ congruens sit. Nam hæc, vt multa admodum esse non debet, ne carnium succus nimis absumatur: ita nec pauca nimis, ne fortè pro elixatione assatio quædam potiùs fiat. Quare illam prudentis artificis iudicio, carnium quantitatem diligenter cōsideranti, permittit Andromachus hoc carmine:

Et quantum satis est, prouidus indis aquæ.

Pro carnibus autem istis coquendis ex quernis carbonibus ignem olim succendere solitos fuisse antiquos commemorat Serapio: sed Galenus lib. de ther. ad Pison. cap. 13. & libri de antidot. primi author cap. 8. quò prorsus absque nidore elixatio fiat, vel prunis primùm probè accensis, vel lignis ἀκάπνοις, hoc est, fumum non emittentibus, ignem voluerunt succēdendum, vitium sarmenta cuique lignorum generi anteponentes. Idipsum Aetius & post eum recentiores omnes affirmant. De his verò quæ simul cum viperinis carnibus concoquenda sunt haud planè inter se Medici scriptores cōueniunt. Oleum aliàs imponere quosdam solitos fuisse scribit Serapio: Nicolaus Myrepsus, sect. 22. cap. 4. anisum miscet. Sunt ex recentioribus qui porrum adiiciant. Anethi mixtionem parui facere visus est Auicenna: tamen ab Andromacho, Damocrate Galeno,

Aetio,

Actio, Actuario, Haly & Serapione tanti fieri videtur, vt ipsum omnes voluerint imponi: quanuis aliquo inter eos cùm in eius qualitate, tum in quantitate existéte discrimine. Damocrates nanque hæc scripsit:

Anethi sicci congerat manipulum.

quem insequutus Actuarius siccos anethi ramusculos iussit accipiendos. Galenus verò lib. de ther. ad Pis. cap. 13. eosdem non siccos laudat, quos Aetius virides elegit: & quasi ab aliis diuersus libri primi de antid. author anetho quòd tunc viget vtendũ dixit. Hui⁹ quantitatẽ manipulo designauit Damocrates: fasciculo Aetius: ramusculorum eius quantum satis sit, Galenus præscribit: mediocrẽ quantitate, Actuarius. Ramusculos dixit Galenus accipiendos: Andromachus frondem: Actuarius mediocres ramusculos: Serapio ramos: Haly virgam: ex recentioribus multi, comam. Sal aquæ adiiciunt Galenus, Actuarius, Haly, Auicenna & Serapio: at hoc, si æstate iam incipiente captas fuisse viperas contigerit, demit qui primum de antid. librum scripsit. Andromachus verò, Damocrates & Aetius, nullam salis metionem fecerunt. Et qui illud imposuerunt, quantum imponendum sit, profectò determinare debuissent. Tot igitur res hæc est circũsepta difficultatibus, quę nisi excutiantur priùs, theriacos artiscos rectè componi impossibilè fuerit. Principio itaque ij reiiciendi prorsus sunt, qui oleum miscent, quòd nullius esse vsus possit: sed neque Andromachus, neque ex antiquis quisque alius eius meminerit. Falluntur verò fortasse, quòd Galenus carnes vi-

perinas ab elephanticis comedendas cum oleo angullarum more iusserit cōdiri, lib.2.ad Glauc. cap.10. Differenter tamen dicebat ibidem: cùm theriacam conficere volumus,coquimus, paululum tantùm anethi & salis in aqua ponentes.Rursum eodem loco, viperas pro esu elephanticorũ cũ porro Galenus parauit. Hinc decepti fortassè itidem sunt, qui eis ad theriacam destinatis porrum admiscent.Myrepsi verò codicem corrigendum potiùs existimo, quàm ipsum erroris insimulãdum,ac pro πράσου, ἀνήθου restituendum. Maior sanè est nostra opinione de anetho difficultas, non quidem an imponẽdum sit, quando,Andromacho duce, Galenus & reliqui omnes (quantumuis id negligat Auicenna) illud imposuerunt: sed quale sit imponendum: quoniam manifesta est, vt audiuimus, inter antiquos Medicos controuersia, aliis viride, aliis siccum laudantibus. Non est,arbitror, vt pro huius dubij solutione ad Galenum confugiamus,qui maiorem in re huiusmodi posuisse videtur difficultatem,dum anethũ non siccum laudat, clariùs loqui cùm potuisset & determinatè magis.Sed & lib.11.de simpl.med.facult. & lib.2. ad Glauc.nec siccitatis, nec humiditatis eius meminit. Vnicuique verò obseruare licet, Dioscoridem lib.3.de med.materia, cap.58. facultates omnes medicas comis aridi anethi tribuisse. Ac certè quidem dum virens est, seipso sicco humidius esse & minus calidum, magísque propterea concoquere: at minus digerere, somnúmq.conciliare, Galenus docuit lib.6.de simpl. med.facult.cap.proprio. Existimarunt recentissimi

mi aliqui, procurandas esse anethi viridis comas, tempestiuiúsque paulò illud serendum, quò minorem suscipiat decoctum caliditatem: sin minùs deficiente viridi, Damocratis exemplo accipiendum siccum. Sed hoc multipliciter redarguere par est. Primùm enim viridi vt minùs calido vti volunt, neque tamen vllam rationem adducunt, cur minus calido vtendum sit, deinde aliis siccum viridi anteponentibus minimè respondent. Quin & in viridis penuria dũ siccum substituunt, indeterminatè satis loqui videntur, eorum altero vti cùm præstet, eóque tempore vtrunque ad manus esse nobis soleat. Frustra denique viride procurant illius satione, vti volunt, anticipata: quoniam qua ratione in minùs calida regione, ob aëris scilicet intemperiem, tardiùs comas expandit anethum, eadem pariter, quãuis tempestiuiùs satum, nihilominus tardiùs nascetur. Nos ergo siccum anethum pro viperinis pastillis conficiendis eligendum esse, bona, ni fallimur, ratione contendimus. Viperinas carnes oleo, sale, anetho, porro, & aqua, seruato scilicet modo, anguillarum more conditas, excalefacientem exiccantémque vim adipisci Galenus existimat, lib. 11. de simpl. med. facult. ab initio. Ex quo Anethum viperinis carnibus ad excalfactionem & exiccationem augendam misceri constat. Sicco itaque tanquam excalefaciente & exiccante magis, etiam in his pastillis, vtẽdum est. Sed & nobis illud fauet vel maximè, quòd ex rebus aridis siccísque tritis & in puluerem redactis, pauco deinde admixto humore, trochiscorum genus omne Medici efformare

consueuerunt. Ad efformandos igitur ex carne viperina, alioqui actu humida, trochiscos, arida videntur conuenire magis: vides propterea Galenum in horum eorundem pastillorum confectione pane trito & in puluerem redacto vti: eo prorsus reiecto qui à quibusdam in iure macerabatur. Sanè verò & Damocratis anetho sicco vtentis authoritas vrget vel maximè: quem easdem cum Andromacho res in theriaca posuisse, ac in solo quarundam pondere diuersum fuisse Galenus testatus est, libro de ther. ad Pison. cap. 12. Demetrium quoque idem sensisse verisimile est, quem & ipsum in omnibus cum Andromacho conuenisse, solo scillinorum pastillorum pondere euariato, eodem loco Galenus admonet. Huic Galenum conuixisse, eique quoties theriacam conficeret astitisse, in primo de antidot. lib. scribitur. Atque hac de causa Imperatorem Antoninum Galeni opera ad theriacam conficiendam vti voluisse ibidem admonemur. Demetrium autem paucis post annis Andromacho successisse, illiúsque scripta legisse inde est coniicere, quòd Galeno conuixit, eiúsque ætate Medicis præerat. Andromachum autem non multis ante Galenum Romæ degentem annis in humanis fuisse, in lib. de ther. ad Pison. non semel admonemur. Quòd si tempora elapsa à Nerone, cui medicinam Andromachus fecit, ad Antoninum vsque Pium, cui theriacam composuit Galenus, supputaueris, rem sic se habere inuenies. Atque hæc ea sunt, quæ sicco anetho in pastillis viperinis vtendum esse suadent, Aetij eodem viridi vtentis postposito

consi-

conſilio, ni fortè ipſius Græci codices aliter habent. Porrò Galenus in lib. de ther. ad Piſ. cap. 13. illud non ſiccum commendans, fauet nobis potiùs quam aduerſetur, ſiquidem neque viride neque etiam planè ſiccum elegiſſe videtur, quaſi viriditatis ſiccitatíſque extremum quodque euitandum voluerit. Enimuerò anethi an ramuſculis, an ramis, vel virgis, vel frondibus, vel comis (his enim nominibus variè vſos fuiſſe antiquos Medicos antea diximus) vtẽdum nobis ſit, curioſiùs vltro quærendum non eſt: quandoquidem cõſtat eius foliis ſiue comis maiorem quàm aliis partibus vim ineſſe, ſemine excepto. Solis enim hiſce anethi partibus vires medicamentoſas tribuiſſe Dioſcoridem, videre cuique licet. Recitata verò omnia, ſi cõſiderentur intimiùs, idem prorſus ſignificant, ſuntque omnia ſynonyma anethi ſummitates deſignãtia. Porrò harũ ſummitatum ſiue manipulum ſumpſeris, vt Damocrates iubet: ſiue faſciculum, vti Aetius: vel etiam paululum, vt Galenus, non magnoperè à ſcopo aberraueris, quando eius modicum quid tantùm ſumendum eſſe, ex hoc eorum virorum loquẽdi modo conſtat. Ad ea igitur quæ maius momentum habent ſermonem conuertamus: nimirum ad ſal ipſum, quod ad ſuperfluam viperinę carnis humiditatem abſumendam, eandemque à putredine vindicandam, exiccandam inquam & excalfaciendam, paſtillis iſtis Galenum & alios commiſcuiſſe puto. Hoc eodem ſalis adiumento eas quoque viperas egere credimus, quę æſtatis initio capiuntur, cùm ſint iis non minùs humidæ, quæ vere finiente ca-

piuntur, quippe quæ siticulosæ nondũ sunt: quemadmodum quæ, vti Galenus inquit, æstate iam vigente capiuntur. Ex antiquis autem Medicis nullum libri primi de antidot. authore excepto, eam salis miscendi vel non conditionem apposuisse, sed absolutè omnes loquutos fuisse, mea quidem opinione, omnibus manifestum est. Andromachum, imò Damocratem, Galenum & Aetium, illud reticuisse conuenit fateri, qui carnes omnes cuiuscunque generis fuerint, sale admixto concoquendas esse tanquam vulgo receptum suppo-suerint. Eos verò qui eius meminere quãtitatem reliquisse indeterminatam verisimile fit, quia prudentis artificis iudicio rem hanc existimauerint committendam. Ac vocibus eiusmodi, tantillum, paucum, modicum, vtentes, non multam eius quantitatem apponendam esse, manifestè satis insinuarunt. At quoniam sali huic eam conditionem apposuerunt, Galenus lib. de ther. ad Pison. loco sæpius assignato, Actuarius libro quinto suæ meth. med. cap. 6. & Serapio tract. 7. cap. 8. vt sit recens, id propterea explicatione egere visum est. Sanè verò infreqũens est apud scriptores medicos hæc salis conditio, ab omnibus aliis qui de theriaces compositione hucusque scripserant, satis oscitanter prætermissa. Salis itaque duplex genus esse Galenus explicat, lib. 11. de simpl. méd. facult. cap. de sale, fossile vnum, aquatile alterum, quorum generationis modus in eo differat: quòd fossile intra terræ viscera caloris cælestis virtute accedente concrescit: aquatile, solis vel ignis vi efformatur, aquis tamen sua natura salsis ab exu-

rente

rente solis vel ignis caliditate arefactis & exiccatis. Sali porrò huic aquatilicùm recens est, proximè susceptę caliditatis &, vt ita dicam, exurentiæ plus inesse (quod omnibus quę igne aut sole concrescunt accidit) certum est, quàm ei, quod multò antè concretum caliditatis & exurentiæ illius iam multum exuit & amisit. Galenus propterea lib.4. de simpl. med. facult. cap.21. aquatile sal fossili calidius, subtiliúmque magis partium constituit, quòd, vt dictum est, suæ concretionis initio calidius esse & exurentius verissimum est. Galeno itaque theriacam Romæ componenti, saléque aquatili ei vrbi familiari vtenti, eam conditionem salis apponere necesse fuit: quippe quæ illud efficaciùs constitueret, nempe vt maiorem viperinæ carnes excalfactionẽ & exiccationem inducerent, validiúsque à putredine vindicarentur. Hunc postea insecuti sunt illi alij. Neque porrò verendum est, ne siticulosam sal huiusmodi faciat theriacam, id non admittente tantilla eius qua vtimur quantitate. Cæterùm & illud habeat sal istud necesse est, vt nullum adhuc rei cuipiam præstiterit vsum, sed cuiusmodi ab ipsis salinis exportatur esse debet. Id propterea admonendum fuit, quia relictum sal à piscibus & carnibus salitis interdum detergitur, & ad vsus humanos plerisque in locis reponitur. At sicuti salis id genus à Galeno pani conficiendo minùs aptum iudicatur, ita multò magis ad theriaces compositionem (in qua exquisitissima quæque seligenda esse voluit) ineptum censuisse quis non videat? Viperas igitur ad pastillos conficiendos parare quomodo con-

ueniat, quæ & quanta aqua, vt concoquantur, sit apponenda: anethum & sal quale quantúmque requiratur: quibus lignis sit succendendus ignis, & quo vase vtendum, iam satis est, mea opinione, manifestum. Sed hoc addamus eousque concoquendas carnes viperinas, dum à spinis facilè possint separari, lenta tamen & minimè vehementi, dum coquuntur, ebullitiône procurata, ne fortè nimis efferuescente illa aquæ frigidæ irroratione efferuescentiam compescere ex præcepto Aetij cogamur, quod optimæ coctioni impedimento esse nullus nescit. Quòd si forte fortuna viperas omnes eiusdem non esse magnitudinis contingat, ne minoribus coctis grandiores adhuc incoctæ eximantur minores iam coctas, relictis grandioribus, vt exactè concoquantur, esse prius eruendas monuêre nonnulli. At tutius multo esse nostra fert opinio, separatim eas coquere, cuique assignata particulari ôlla, aquæ, anethi, & salis conuenienti quantitate. Coctione porrò peracta, hæc iussit Andromachus obseruanda:

At cum panda fluunt resoluti corporis ossa,
Cúmque tument flaua noxia terga fera,
Exime vipereas, confusa cadauera, carnes:
Exemptas longa ventilet aura mora.

Ventilationem ea, vt puto, ratione iussit faciendã, cùm vt carnes manibus facilè pertractari, fortitérque, vti iussit Aetius, exprimi possint, quod facere nõ liceret, eis à coctione maximè calentibus, tũ etiã vt carniũ excrementosæ fuligines omnes, euanescant & dispereant. Subdit deinde Andromachus:

Hinc spinas tacita prudens subducito mente:

Quas

Quas bene si tractes, sentiet apta manus.

A spinis separandæ sunt carnes, quæ, diligenter eas pertractanti relinqui haud poterũt, cùm pungendo sese produnt. Hanc rem carnium pondere obseruato exactiùs diiudicari posse existimauit Maranta, quia scilicet grandioris cuiusque viperę caro drachmarum duarum pondus se iudice non excedat. Auulsæ carnes sunt postmodum exactè conterendæ: vtque rectiùs conteri possint (facilè enim resiccantur, túmque ægriùs conteruntur) peluim ad manum haberi suadent Aetius & Serapio, quæ quidem munda sit & ex costuræ iuiculo aliquid contineat, quò carnes in ea reponantur, sícque à resiccatione prohibeantur. Neque tamẽ vbique sunt carnes istæ conterendæ: sed in mortario, vt iussit Galenus, Ægyptio, nostris ex lapide porphyrite dicto. Nempe vasa eiusmodi ob insignem suam duritiem & soliditatem contusarum carnium succi nihil absumere, neque ex carnibus ipsis quidpiam ob exactè complanatam internam superficiem retinere posse rectè imaginatus est. Porrò carnes ipsas seorsum ab aliis rebus esse per se contundendas, sicuti & panem ipsum, vna est recentiorum omnium communis opinio, Galeni sententiæ, quæ habetur lib. 11. de simpl. med. fac. cap. de carne viperæ, planè cõsentanea. Quod verò ad Panem attinet, aliqua ex parte difficultatem res habet. Enimuerò quamuis nõ quemlibet panem citra delectum accipiẽdum censuerit Galenus, loco proximè citato, sed quàm fieri possit purissimum simul & probè in clibano coctum, ac salis fermentíque quod satis sit habentem, id ip-

súmque voluerit Aetius, eo insuper adiecto, vt ne sit ex veteri farina paratus. Attamen Amatus Lusitanus, cent. 2. curat. 55. spretis horum cæterorúmque ferè omnium consiliis, panem azymum, hoc est, sine fermento paratum vult accipi. Et quoniam omnes antiqui medici communi consensu panem adeò siccum desiderant, vt in mortario primùm exactè conteri, deinde per subtiliorem cribrum transmitti possit, nauticum ob id panem (bis coctum dicunt) cæteris præfert: quē verè Galenus in clibano seu testu coqui iubet, eundem in furno coqui voluit author libri primi de antid. cap. 8. Sed Auicenna lib. 5. summ. prima tract. primo, itémque Nicolaus Myrepsus sect. 22. cap. 4. panis nihil in pastillis istis addiderunt. Cæterùm vt reliqua persequamur, & in ipsius panis quantitate controuersia est inter magnos medicos aliqua. Damocrates enim, cuius authoritas, in his quæ ad theriaces compositionem pertinent, magni vbique facienda est, sic habet:

Æquali carnem panis æquat pondere.

& hunc est secutus Paulus. Sed Andromachus & Galenus nullam determinarunt panis quantitatem, licet Galenus & cum eo Haly & Actuarius panis tantum dixerint accipiendum, quantum satis sit ad compinsendum. Qui librum de ther. vsu ad Pamphil. scripsit, dimidium panis adiecit: libri verò de antid. primi author, & dimidium, & tertiam & quartam, & quintam partem admittit. Aetius, quartam partem licet probet magis, aliquando tamen & quinta contentus fuit. Non potuerunt multóque minùs debuerunt à nobis præteriri

teriri hi ſcopuli,quibus è medio non ſublatis, paſtillorum confectionem claudicare in antidoti totius perniciem neceſſe foret. Eos igitur in primis, qui azymum panem laudant, illud vel manifeſtè coarguit: quòd ſale ac fermento optimè confectum panem antiqui Medici omnes & ſinguli in hunc vſum commendarunt. Galenus item panis genus huiuſmodi non vno damnauit nomine,lib. primo de alim. facult. cap. 2. eo addito, quòd ob ſuam craſſitiem tardè admodum concoquatur. Carnibus igitur craſſioribus ac humidis, excalefactionem & attenuationem poſtulantibus, ſi panis adiiciatur craſſus, craſſiores illæ euadent. Quanuis autem ſiccus adeò eſſe debeat panis hic, vt conteri & per ſubtiliorem cribrum commodè trāſmitti poſſit,nauticus tamen,bis coctus dictus, minimè conuenit. Etenim in clibano bene coctus panis, in ædibúſque deinde ſiccis ac minimè humectis, Galeno Serapionéque magſtris, aliquot diebus alia nulla adhibita arte exiccatus, & probè conteri,& per cribrum poſtea facillimè tranſmitti poterit. Quòd ſi iterum idem coquatur, teſtaceam quandam inducet naturam nulliúſque, vt Galenus libro primo de alim. fac. cap.paulò antè citato exiſtimat, vſus euadet:eius ſcilicet ſuperficie externa igne ardentiore itera toprimo ſtatim occurſu circumuſta, & in teſtæ modum redacta, duplicíque adeò nomine prauo effecto pane: priore quidem, abſumpta tota panis ſubſtantiali humiditate: poſteriore verò, quòd præaſſata & teſtacea euadat relicta ſubſtātia. Panem igitur in clibano moderatiùs rectè concoquere ſufficiet,

ignéque, vt Galenus docet, moderatè affare, & eo aliquantisper in loco ficciore exiccato contritionem & cribrationem facilitare, acorísque medicamento imminentis periculum propter panem euitâre. Clibanitem verò panem, quem Latini testuaceum appellât, ἰπνίτη, hoc est, furnaceo hoc in casu Galenum antepotuisse puto, quia in clibano coctionem per totum panis accipit, vnde triturationi fit aptior: in furno non æquè. Deserendus eapropter est primi libri de antid. author, furnaceum clibaniti, secus ac Galenus senserit, hoc in opere anteponens. Huius quantitatem ipsa carnium quãtitas designabit, quoniam ea de causa panem Andromachus posuit,

-Ne vipera formam
Tusa neget rotulis, ne pereátve liquor.

Humidæ enim actu carnes sine aridiore aliqua materia trochiscorum formam inducere minimè possent. Disputant aliqui, & fortasse lôngiùs ac par sit sermonem protrahunt, de huiusmodi panis quantitate. Nobis autem negotium hoc hunc in modum determinari posse visum est, vt sicuti dimidium ponderis carnis, excedere noluerunt antiqui Medici, ita & nos infra quintam subsistere non debeamus, eam panis quantitatem imponentes, quam carnis humiditas maior minórve requiret, vt in trochiscorum formã reduci queat, quam fuisse diximus in causa, vt variè adeò locuti fuerint antiqui illi viri. Pane itaque & carnibus simul mixtis, & ex Andromachi sententia:

Inq; cauo dudum postquam hæc versaueris orbe,
hoc est, iis diligẽter adeò subactis, vt nulla carnis particula

particula probè cũ pane nõ sit cõmixta, iure paucò, dum subiguntur, si oportuerit, affusio (oportebit autem, si carnis siccitas difficilem effecerit subactionem) manibus opobalsamo, vel oleo ex nuce myristica expresso, intinctis, pastillos efformabit peritus artifex: & paruos illos quidem ac tenues, non magnos & crassos: ne fortè ob magnitudinem & crassitiem tardiùs exiccentur, adeóque marcescant. Aptum porrò his dari in vmbra locum iussit Andromachus, ac illius imitatione Galenus, lib. 11. de simpl. med. facult. loco sæpè citato, in ædibus calidis & siccis eos exiccandos præcepit, & in eisdem deinceps seruãdos esse voluit. Domus superius cœnaculum esse debere hũc locum Aetius existimat; ad meridiem aut omnino ad Septentrionem situm, quò (vt inquit libri primi de antidot. author) solares radij peruenire non possint, & trochiscos pertingere: quia carnis succus exiccaretur nimis & absumeretur. Ipsos item trochiscos assiduè versandos suadet, vt æqualiter resiccentur, omníque ex parte à putredine vindicentur. Hos resiccatos opobalsamo (in cuius locum oleo ex nuce myristica expresso nos vtimur) iussit illini. Hos eosdem in eadem cella à radiis solis longiùs quam priùs positos, sæpéque denuo conuersos & mutatos, quindecim dierum spacio integro adseruari iussit qui primũ de antid. librum scripsit. In vase deinde vitreo, vel aureo, quia eiusmodi vasis nihil fraudulẽter imponi potest (velut in stanneo, vel argenteo non puro) recondentur, & in loco minimè humido adseruabuntur. Quod si quid pulueruienti aut albi pro-

pter situm iis inhærebit, id post dies aliquot ex præcepto Aetij erit diligenter exterguendum. Perforantur enim, inquit, si idipsum eis diutiùs adhæreat, & inepti fiunt. Hac diligētia ad tertium & quartum annum probè conseruari posse trochiscos istos sentiūt plerique, tutiùs licet ac melius esse existiment, haud multò postquàm facti fuerint, theriacam conficere. De viperinis itaque pastillis sint hæc dicta satis.

SCILLINORVM PASTILLORVM CONFICIENDORVM MODVS.

Caput Quartum.

DE Scillinis seu scilliticis aut ex scilla confectis pastillis agamus deinceps, quos siue rotulas siue orbiculos appellare quis voluerit, nihil refert. Siquidem medicamento nil quicquam officere quomodolibet inditū nomen, modò ne errorem vllum in compositione committamus, libri primi de antid. author existimat. Nullus verò, mea opinione, error committetur, si conueniens in primis horum pastillorum conficiendorum tempus obseruetur: scillæ in compositione assumendæ conditiones omnes ac singulæ probè teneantur, eiusdem parandæ & concoquendæ ratio rectè determinetur, vnáque etiam pastillorum conficiendorum asseruādorúmque modus congruus obseruetur. Itaque quoniam recentem scillam iussit Galenus accipi, libro de ther. ad Pison. cap. 13. huiúsque folia & scapum iam aruisse voluit

qui

qui primum lib.de antid. scripsit, idque æstatis tẽpore eueniat, congruum ideò ad hos pastillos conficiendos tempus esse ipsam æstatem à multis colligitur. His fauet sua authoritate Damocrates, admonens messis tempore colligendam esse scillam. Quin etiam cùm multorum dierum resiccatione egeant pastilli isti, id admonẽte Aetio, tetrab.4. serm. primo, cap.87. non alio propterea tempore, quàm æstatis debere illos confici dicendum videtur. Difficultatem tamen facit idem eodem loco Aetius, scillinos pastillos, propterea quia multa egeant resiccatione, ante reliqua omnia ad theriaces apparatum requisita conficiendos præcipiens. Ante igitur viperinos erunt scillini conficiendi. Illi porrò cùm, vt proximè annotauimus, vere finiente æstate incunte debeant cõfici, scillinos ante æstatem confici par est. Sed etiam siue ante, siue post viperinos conficiantur scillini, rem adhuc difficultatem habere multam existimauit Maranta lib. primo sui tract. de ther. cap.10. Etenim si post viperinos vigente iam æstate scillinos confeceris pastillos, id sua opinione sequetur incommodi, quòd viperinis confectis minimè statim componi possit theriaca: & in scillinorum apparatu conuenienti quò probè resiccentur, tempus anni calidius, ad theriaces compositionem & fermentationem apprimè necessarium, fere totum præteribit. Quòd si ante viperinos, non quidem veris tempore, sed in æstate prægressa ex scilla pastillos efformari volueris, hos nimis senescere, ac virtutis multum amittere fuerit verisimile. Nimiam item ipsi theriaces ap-

paratui dilationem dari, ob multitudinem ac variam simplicium medicamentorum hinc inde quærendorum conditionem, magno futuram impedimento, veritus est. Difficultatem tamen auferri, & tot incommoda euitari posse credidit: si prius suo tempore conuenienti viperini efformentur pastilli, vere scilicet finiente, æstatéque ineunte, seruentúrque hi postea diligenter, quousque componatur theriaca: quæ res inde tuta euadit, quoniam etiam ad annos integros posse illos seruari, libri primi de antid. author cap. 7. censuerit. Messis deinde tempore, quo viget æstas, scillinos voluit efformari, ea temporis obseruata mensura, vt in æstatis ipsius latitudine componi ac fermentari possit theriaca. His quidem assentiri par esset; virique istius doctissimi recipere sententiam, si rem ex voto succedere foret possibile. At non posse eam succedere suadent pleraque. Si nanque messis tempore (quod medio tantùm Iunio mense, vel etiam paulò tardiùs incipit) scilla è terra ad hunc vsum eruenda est, aliquot in primis dies in ea expurganda, paranda, concoquenda, & in pastillorum formam redigenda insumentur: longéque hi plures erunt, si in eodem ipso loco non componitur theriaca, in quo nascitur scilla, cùm sæpe à regionibus illa exportetur longinquis: si item multa resiccatione egent pastilli ex ea confecti: & hæc in vmbra procul à radiis solis est procuranda: profectò in toto hoc opere dies plus minus viginti requiri iam est à nonnullis obseruatum diligentiùs. In apparatu quoque ipsius theriaces vniuersali tempus quoddam requiritur.

Apparatus

Apparatus autem nomine, medicamẽtorum electionem, approbationem, triturationem, macerationem, exiccationem, liquefactionem, cribrationem & alias huiuſmodi præparationes intelligimus, quę temporis quantum requirant, facile cuique eſt iudicare. Quin & rebus omnibus diligenter apparatis, vnam ipſam medicamentorum omnium mixtionem vnica die fieri nequaquam poſſe experientia compertum eſt. Supputatione igitur paulò diligentiùs facta, calidioris temporis dies quadraginta, qui pro totius theriaces maſſæ fermentatione omnium conſenſu neceſſariò requiruntur, minimè ſupererunt: autumno ſcilicet iam ex parte trãſacto, cuius quidem partem priorem cum ęſtatis vltima coincidere non negamus, quippe cùm prægreſſæ in æſtate exuſtionis aliquid adhuc vigeat. Attamen cùm natura ſua totus inæqualis ſit autumnus, & in eo, vt inquit Hippocrates, modò calor, modò frigus ſit, fieri non poteſt quin ad fermentationem theriacæ ineptus exiſtimetur. Id igitur tempus neque eligendum, neque expectandum eſt, quod inæqualitatis aëris futuræ certitudinem habet: ſed omnia ad id deſtinanda, vt calidioribus anni diebus & componi & fermentari poſſit theriaca. Quapropter ſi meſſis tempore educta è terra ſcilla, ex eáq. quàm celerrimè efformatis paſtillis, vt exiccari poſſint, hiſque deinde ad ſequentis anni æſtatem probè conſeruatis, fiet deinde theriaces apparatus & compoſitio, omnia pro ratione fient, cõpoſitioniq; & fermentationi tempus nullum deerit conueniens, omníſque adeò componetur difficultas.

Neque verò aliter cuique rei suum compositionis & apparatus conueniens tempus assignari rectiùs posse existimo. Et quæ in difficultatem adducebantur, nullius vt sunt momenti, ita & parui pendenda. Non imprimis verum est anno integro conseruatos pastillos scillinos nimis senescere, & virtutis multum amittere: huiusque temporis dilationem ipsi theriaces apparatui tantum abest vt aliquo futura sit impedimento, vt potiùs adiumento esse possit non paruo: hisque obseruatis & viperini & scillini pastilli, theriaces apparatus omnis, compositio, & fermentatio conuenienti tempore fient. Si enim pastillos viperinos etiam vltra annum integros bonósque conseruari est, vt audiuimus, possibile: longè magis hoc idem scillinis euenire posse suademur. Habent viperini carnes vipereas, scilla ipsa putredini magis obnoxias: substantiā verò hæc habet duriorem & minus humidam, multa refertam amaritudine: quibus nominibus, putredini inepta satis redditur. Hinc est quòd etiam è terra eruta vires suas tenaciter adeò retinet, vt rei herbariæ scriptores eam domi appensam hieme quoque germinare vt cæpam asseruerint obseruaueríntque: & hāc, quamquam annicaulis sit, diuturnam tamen esse Theophrastus asserit. Hæc eadem modo dicendo assata & excocta excrementitia illa priuatur humiditate, quæ prima omnium in quocunque mixto putrescere apta est, & cum farina erui, quæ exiccātis est facultatis admixta, maiores adhuc aduersus putrescentiam vices acquirit. Videre adhæc cuiq. licet scillam ipsam ad multos menses seruari imputrem,

putrem, veluti & cæparum genus omne: vt propterea in pastillos efformata longiori etiam tempore cum suis viribus conseruetur. Nullus prætereà, quod sciam, antiquus Medicus factis pastillis istis theriacam statim componi debere particulariter expressevè iussit. Dicamus ex aduerso quòd si, eorum omnium cõsensu, factis viperinis pastillis, in alium proximè subsequentem annum antidoti compositio sine iactura differri potest, id de scillinis putredini minùs aptis debere certiùs affirmari. Demus Damocratem messis tempus ad scillam colligendam statuisse opportunius, idque verissimum esse & obseruandum fateamur: rem tamen ille vlterius non explicat, neque scillinis rotulis exiccatis antidotum nulla interposita mora statim componi debere quòd iubeat legere est. Adde neque Andromachum neque Galenum, minúsque Aetium, Actuarium vel Auicennam, aut quempiam alium probatæ authoritatis antiquum Medicum quidpiam de hac re particulariùs statuisse, quasi prudentis artificis singula quæque diligẽtiùs attendentis iudicio negotium hoc totũ existimauerint comittendũ: vel etiã illud ex se futurũ cuilibet manifestũ diiudicarint. Res hæc tandẽ inde planè cõfirmatur, quòd pleraque alia medicamenta ad theriaces apparatũ necessaria hoc vel illo cõuenienti magis tẽpore statuerunt antiquiores Medici colligenda, neque tamen statim & sine mora componendam esse theriacam dixerunt. Scillinis itaque pastillis efformatis ac probè exiccatis, statim ipsam antidotum componere nulla nos cogit necessitas, quin & annũ integrum

atque etiam vlteriùs posse illos cum suis viribus conseruari, planè à nobis demonstratum fuisse existimo. Hoc profectò consilio, Aëtium Amidenum, de theriaces compositione ex Andromachi sententia sermone instituto, scillinos trochiscos multa reficcatione egentes, primò & ante omnia componi iussisse certum est, quod nō nisi æstate theriaces compositionem pręcedente fieri potest. Porrò dilatio ista ipsi theriaces apparatui, aut artifici ipsi impedimento aliquo esse quî possit, non videmus. Eo siquidem intermedio tempore medicamenta possunt commodiùs eligi, & apparatus omnis faciliùs perfici. Quo igitur anni tempore scillinos trochiscos efformare conueniens sit, ex his manifestum esse puto. Quæ conditiones in ipsa scilla requirātur, vt optimi fiant pastilli, tempus est dicere. Sanè recentem in primis eam esse debere bona, vt opinor, ratione Galenus statuit, lib. de ther. ad Pison. cap. 13. qua scilicet substantiali tunc abundat humiditate, nulla ob temporis iniuriam eousque amissa virtute. Porrò recens intelligenda est, vt cùm primùm è terra eruta est in vsum traducatur, vt de ipsis quoque viperis dictum est. Id addidisse placuit, ne fortè strictiore quodam significatu recetis vocabulum accipientes aliqui statim ac è terra eruta est, nulla interposita mora, eam in pastillos conformandam existiment. Sæpe enim non in ęodem loco conficitur theriaca, in quo optima nascitur scilla, ita vt tempus aliquod ipsi exportationi dare necesse sit. Hāc eandem perfectè maturam esse colligendam, quis ambigat? Huius signum erit, si eius folia & scapus

pus iam penitus aruerint, vt libri primi de antid. author docet. Incidit hoc autem, si ipsis rei herbariæ studiosis fides adhibenda est, media æstate: propter eáque etiã Damocrates messis tempore eam colligendam præcepit. Atque vt in hoc omnes cõsentiũt antiqui Medici, ita in aliis satis postea discordes esse videntur. Galenus enim, Aetius, Auicenna, Actuarius & Serapio scillam non admodum magnam ad hunc vsum postulant, Damocrates & Haly eandem bene magnam requirunt. Albam illam esse debere & Damocrates & Nicolaus Myrepsus dicunt: Aetius ruffam. Auicenna verò, ceu quàm cæteri exactiùs omnia persecutus, ex humidis grauem voluit eligẽdam scillam. Sed nec in eius partibus concoquendis illi iidem conueniunt. Eam enim totam cum suis capillis & cortice iussit Andromachus concoquendam: Damocrates & libri primi de antid. author, eius corticem, radices, folia & scapum adimunt, quod idẽ & Myrepsus facit. Quærat verò fortasse quispiam, an scillæ ipsi Pancratium, eiusdem fermè cum ea facultatis, & à nonnullis scilla parua dictum, possit substitui. Sunt hæc, mea quidem opinione alicuius momenti, ab his qui de theriaces compositione paulò etiam diligentiùs scripserũt omnino prætermissa. Id eos minimè oscitanter fecisse existimo: sed ea fortasse de causa, quia natura ac speciebus ipsius scillæ explicatis lites has omnes & antiquorum omnium prima fronte discordes sententias facilè componi posse iudicauerint. Ex cæparum genere scillam esse dicunt omnes, figura Bulbi grandissima, nobilissimáque ra-

dice, vt Theophraſtus docuit, multis tunicis corticoſa, dupliciq. vt in cæteris capitatis:altera quidem carnoſa & corticoſa, altera ex illa prodeunte, vt ambiguum ſit, an radix ſit quæ in caput excreſcit. Duplex eius ſpecies medica eſt: mas vna, albis foliis:fœmina altera,nigris,Plinio magiſtro. Eius alia ſpecies eſt edulis & in cibo grata, Epimenidium dicta viſus tamen eſt Dioſcorides tertiam ſcillæ medicæ ſpeciem deſcripſiſſe, lib.2. de re med.cap.168. colore ſubruffo, aut ſubpurpureo, quæ ſcillæ vices,vt ille inquit, & præparationem habeat,eodémque pondere in morbis efficaciter ſumatur, quamuis ei mitior quàm aliis facultas inſit, quæque peculiari nomine Pancratium dicta ſit. Idipſum & Galenus affirmat lib.8. de ſimpl.med.facult.cap.de Pancratio,dum huius radicem ſcillæ ſimilem guſtum & facultatem referre ſcripſit, adeóque in deficientis ſcillæ locum nonnullos tunc temporis vti ſolitos: quia ſcilicet efficiat omnia in genere quidem ſimiliter, ſed imbecilliùs. Sequitur ex his itaque, vt ſiue ſcillæ medicæ ſpecies, ſiue ſexum,ſiue magnitudinem, ſiue colorem, accidentiſve genus aliud intuearis, non ita magnum ſit inter hæc diſcrimen, aut ſaltem eiuſmodi,quod mutuam ſubſtitutionem impediat. Quare ad hos conficiendos p ſtillos ſiue ſcillam bene magnam ſumpſeris,Damocratiſque & Haly iuſſa exequutus fueris, ſiue eam non admodum magnam,Galeno,Aetio,Actuario, Auicennæ, & Serapioni obtemperans, acceperis, in hoc errare te non eſt quod verearis:vtraque ex vſu eſſe ſcilla cũ poſſit eadémque facultas vtrique

inſit,

insit. Hoc eò audentiùs affirmare par est, quòd non sint vnoquoque in loco eiusdem magnitudinis scillæ. Si albam eam acceperis, vt Damocrates Myrepsúsque iusserunt, nobiliorem quidem scillæ speciem te sumere dicimus: at ex præcepto Aetij sub ruffa accepta, Pancratium erit, ab ipsa scilla viribus quadantenus tantùm minoribus, vt ex Dioscoride audiuimus, diuersa. Andromachũ autem has scillę differentias nihili aut saltem parui adeò fecisse indicio illud est, quòd scillã ipsam nulla apposita conditione enuntiauit, aliter facturus, si hæ an illæ vsurparentur magni referre existimasset. Hic idem capillatũ scillæ corticem, quẽ Damocrates & Myrepsus abiiciunt, ea de caussa retinet, quia dempto eo cortice capillato dum coquitur scilla, ab igne succi plus amittit, defenditur ab eodem, & minus illius deperdit. Quod porrò dixit Auicenna esse debere scillam humidam & grauem, bona id ratione suadet: quãdoquidem sunt hæc optimæ & bene succosæ scillæ indicia: neque tamen aliorum aduersatur sententiæ. Nullũ itaque ex antiquis medicis hac in re ab aliis discordem esse ex his manifestum puto. Ad modum igitur concoquendæ scillæ declarandum accedamus. In eo sanè omnes cõueniunt, vt concoquendam scillam (ne humidæ suæ substantiæ propter ignem plus quam par sit amittat) pulte priùs circũuestiamus, sed quo pultis genere eadem obducẽda sit, non item. Lutum quidem, quo Crito vtebatur, & quod laudauit Dioscorid. lib. 2. de med. materia, cap. 167 damnant ex professo Galenus & Auicenna: hic lib. 5. sum. prima, tract. 1. cap. 5.

ille lib. de ther. ad Pison. cap. 13. idque tam propter sorditiem, tum etiam quia ne malam qualitatem contrahat in coctione scilla verendum est, adeóque rancida & putredini aptior euadat. Hoc eodem argumento, & argillam & adipem, quibus aliqui vtebantur antiquitus, damnare par est. Nullam tamen in hunc vsum proponit Galenus materiam, veluti nec Andromachus, nec Damocrates. At libri primi de antid. author. cap. 9. ex nouo optimóque tritico pultem hanc parandam docuit, & illam quidem duriorem effici iussit. Fermentum verò ipsum assumũt ex industria Aetius tetrab. 4. serm. primo, cap. 88. Nicolaus Myrepsus sect. 22. cap. 3. Auicenna loco proximè citato, Haly Abbas lib. 10. tract. cap. 4. & Serap. lib. de antid. tract. 7. cap. 8. Sed vt triticeæ farinæ vsus damnandus non est, quippe cùm attenuantis exiccãtísque facultatis ab ea quidpiam ipsi scillæ dum assatur communicari verisimile est: ita & fermentum, eisdem facultatibus & maioribus preditum, idem multò magis præstare posse Haly existimauit. Vtraque igitur stat sententia, sinéque compositionis iactura aliqua liberè quam quisque voluerit amplecti potest: nisi fortè ad litem veriùs dirimendam vtroque vti placet, ita vt ex farina recentis & optimi tritici bene fermentata pultem velit concinnari, cui non repugno. Pultem verò ipsam an efformare debeamus teneriorem. vt Galenus iussit, an potiùs duriorem, vt libri primi de antidot. authori placuit, quærat fortasse aliquis. Huius quæsiti responsio inde pendet, vt quam ob caussam pulte vestienda sit assanda scilla demonstremus.

mus. Ob id faciendum id esse Galenus existimat, lib. de ther. ad Pison. cap. 13. vt & assetur facilè scilla, & à pulte ipsa quiddam, dum assatur, accipiat. Adde tu, & ne nimis dum assatur exiccetur. Hæc autem faciliùs & promptiùs euenire, pulte parata teneriore, & ratio suadet, & sensus cõfirmat. Hũc in modum pulte circumuestitam scillam in furno aut cacabo in quibus assantur panes Galenus, loco non ita dudum citato, iussit assari. At libri de vsu ther. ad Pamphil. author, in ignem quo thermæ calefiunt voluit eam iniici. Andromachus ipse ad id manifestandum his carminibus vsus est:

Ac cineris rutili cumulos super ingere, donec
Reddatur scillæ mollius igne caput.

vtrunque admittit libri primi de Antid. author. Damocrates furnum solum approbauit. In cacabis in quibus panes assantur positam scillam in furnum immittendam, iubet Aetius: Nicolaus Myrepsus balnei caminum vel furnum laudat. Ollam, furnum iam calefactum cinere extracto, patellam de terra super quã panis coquitur, promiscuè admisit Auicenna. Caminum cæteris omnibus ea ratione antepoſuit Haly, quia sic scillę acrimonia & humiditas imminuantur rectiùs: vel furnum, vel sartaginem in qua coquitur panis, vel tanor qui iam sit calefactus & à cinere mundatus, accepit Serapio. Porrò quamuis diuersa protulerint antiqui viri isti: id tamen vnum præ oculis quemque eorum habuisse constat, vt seruata substantifica humiditate eousque concoquatur scilla, quousque eius internis partibus emollitis possit cum farina erui rectè misceri, pistillo contun-

di,& in orbes efformari. Quo in opere furnum & cacabum ad panes concoquendos paratum ea vna de caussa Galenus laudat vel maximè, quia secundum omnes eius partes æqualiter hoc modo concoquatur scilla. Andromachus verò, à quo in huius antidoti compositione ne latũ quidem vnguem discedere licet, & quem est Crito insequutus, ex omnibus concoquendi modis cineris rutili cumulos præcipuè elegit, quò & secundum omnes eius partes æquè concoqueretur scilla, & minus substãtificæ humiditatis amitteret. Omnibus enim concoquendi formulis inter se comparatis ponderatísque diligenter, hanc quam Andromachus elegit minus violentam ac mitiorem esse facile est cuique intelligere. Quare & Dioscorides ipse loco non multò ante adnotato vel in clibano, vel sub carbonibus (& hæc eadem est cũ Andromachi formula) concoquendam docuit scillam. Et hæc eoúsque Andromacho iubente sub cineribus dimittenda erit, quousque

Reddatur scilla mollius igne caput.

Huius rei, inquit ille idem,

Signa dabit feruens positos cum discutit ignes.

cui signo, vel quia incertum illud esse cognouerint, vel quia tutius incedendum esse existimauerint, fidere haud potuerunt libri primi de antid. author & Nicolaus Myrepsus. Sed crustæ ex pulte effectæ indurationem magnam voluerunt expectandam. ac si festucã immissam admiserit, internæ emollitionis adeóque coctionis, certissimum esse signum voluerunt. Horum ingeniosam explorationem Dioscoridis consilio dicimus esse an-

ſe anteponendam, priùs eximendam cruſtam totam conſulente, & ſi non emolleſcat ſcilla, altero ſimili polline circumliniendam & iterum aſſandam iubente: eſſe cùm nequeat, vt rectè adeò procedat coctio, quin damni quidpiam ipſi ſcillæ accedat. Excutienda deinde erit ſcilla hũc in modum cocta, & ab eadem, ſic iubente Andromacho, leues demendæ exuuiæ, partéſque eius tantùm teneriores & lenes Critone Galeno, Serapione & Auicenna magiſtris eligendæ, probè terendæ & cum erui farina miſcendæ. Vt autem ſcillæ, farinæque eruinæ quantitatem iuxta antiquorum Medicorum ſententiam haud facile eſt determinare: ita in ipſius erui electione aliquam difficultatem inuenio. Farinæ quãtitatem his carminibus determinauit Andromachus:

Tres ſcillæ partes, erui compone duabus,
Piſtilloque crepet concaua Pila diu.

At diuerſus fuit Damocrates, qui ſic cecinit:

—Cum aſſam ſatis duxeris
Sumes exemptæ quod libra pondus leuet,
Contundes, læuigatæ diligentiùs
Adde farinam libræ pondus mediæ
Erui farinam parumper vſtulati.

Crito autem ipſe, vt in primo libro de Antid. cap. 18. ſcriptum eſt, vnam erui partem duabus ſcillæ cenſuit admiſcendam. Qui eundem proximè dictum librum ſcripſit idem cum Andromacho ſeniore ſentit, ac in eadem opinione fuit & Iunior Andromachus. At Galenus libro de theriac. ad Piſon. cap. 13. farinæ ſcillæque tantundem accipi debere exiſtimat, idémque fuiſſe Da-

mocratis placitum testatus est, & Magnum qui farinæ dimidium iussit accipiendum, & Andromachum qui duas partes posuit liberè reprehendit: Andromachum quidem, quia non satis imponat, æqualem farinæ portionem, sua opinione, requirente scilla: Magnum verò, quia parum sibi coniicere visus sit. Qui librum de theriacæ vsu ad Pamphil. scripsit scillæ drachmas centum & viginti accipiebat, farinę erui octoginta. Aetius, Nicolaus Myrepsus, Actuariúsque Andromachum insequuti sunt. Paulus lib.7. cap.41. Scillæ partes duas, farinæ partem vnam accipit. Haly Abbas, Auicenna & Serapio indeterminatam hanc quantitatem fecerunt, & scillæ virtutis magnitudinem considerandam voluerunt. Ad quam opinionem confirmãdam Andromachi authoritate vsi sunt, illum idem sensisse affirmantes: cùm tamen in eius carmine res, vt audiuimus, aliter se habeat. Cæterùm nostra hac in re ea est sententia, vt qui Andromachi compositionem profitemur, quem quoque docuit compositionis modum insequi debeamus, de aliorum qui secus sentiunt, quicunque illi fuerint, opinione minimè soliciti. Videre est propterea Aetium, Nicolaum Myrepsum & Actuarium Græcos scriptores Andromachum ipsum hac in re insequi voluisse, libríque de Antidot. author. cap.9. senioris iuniorísque Andromachi hoc fuisse placitum testatus est. Verùm enimuero adhuc dubium hac in re relinquitur, de ea farinæ quantitate quæ in Andromachi carminibus expressa est dubitantibus nonnullis. Nam præterquã quòd Arabes Medici diuersã, vt audiuimus,

uimus, fuiſſe Andromachi quantitatem affirmarunt: verbum quoque illud τριπλῆν ab Andromacho in carmine vſurpatum, non triplicem, ſed tertiam tãtum partem ſignificare aliqui exiſtimant, tertiámque, ſcillæ partem farinæ duabus Andromachum miſcuiſſe dicunt: quod eo argumento confirmant, quia in libro de ther. ad Piſon. vox illa τριπλῆ, tertiam non triplicem partem Galeno ſignificet. Subdunt Andromachum ab eodem ibidem fuiſſe reprehẽſum, non quia paucam miſcuerit farinam, ſicuti in Rotiana tranſlatione legitur: ſed quia nimiam. Id ex Græca lectione, quæ ſic ſe habet, colligunt: Καὶ ὁ Ανδρόμαχος δὲ δύο πέμπων μέρη, πολύμοι πέμπειν δοκεῖ: quæ verba ſic eſt interpretatus Rota: Et Andromachus duas imponens non ſatis imponere videtur: ipſi verò aliter interpretantur, ſcilicet: Et Andromachus duas iniiciens partes multũ mihi iniicere videtur. Andromachum igitur, dicũt, reprehendens Galenus, quia farinæ nimiũ impoſuerit, non de triplici ſcillæ parte poteſt intelligi, ſed de vna tantum, cui ſi duæ farinæ partes miſceantur, nimium erit. Hac ducti cõiectura, codicis Greci caſtigationem, qua & Rotæ tranſlatio, & metrum ipſum defenditur, legendum ſcilicet eſſe τριπλῶ, cum graui accentu in poſteriore ſyllaba poſito (quod triplicem, non tertiam partem ſignificat) damnandam eſſe credunt. Addunt deinceps, quòd ſi triplicem ſcillæ partem legerimus, cùm triplex ſit relatiuum, ad aliquid quod ſimplex ſit eſſe referendum, ídque eſſe, duas farinæ huius partes: ita vt has duas partes farinæ debeat triplo ſcilla eruperare: & tunc ſex

scillæ partes cum duabus farinæ erunt miscendæ, quod nec Galenus, nec antiquorum vllus affirmauit. Aiunt præterea, quòd si quis descriptionem hanc nostrorum more pharmacopœorum componat hunc in modum: Accipe triplicem scillæ partem, & duas orobi: valde vtique absonum quid proferret, neque vnquam apud Medicos aut pharmacopœos compertum: quippe qui suas descriptiones hoc modo componere soleant: Accipe triplicem scillæ partem, duplicem orobi: vel hoc modo: Accipe tres scillæ partes, & duas orobi. Primum quidem modum versibus minimè accommodari posse dicunt: quoniam non duplicem, sed duas orobi partes legit Andromachus: minùs secundum, quandoquidem τρίτην, nunquam tres, sed tertium consonat. Hæc quidem de scillæ & eruinæ farinæ quantitate in dubium vertuntur. At in erui quoque electione illud difficultatem facit, quòd quid sit inter Medicos scriptores minimè constat: aliis Rouinionem, siue Eruiliam: aliis cicerculam: aliis Mochum nostrum illud esse affirmantibus. His omnibus nos aduersari is minimè mirabitur, qui traditas ab antiquis Medicis Eruo notas nobiscum diligentiùs paullò cõsiderauerit. Eruũ, Dioscoride teste lib. 2. de med. cap. 102. frutex est pusillus, tenuis, folio angusto, vtque Theophrasto placuit lib. 8. eius caulis in latus tendit, humi non procidens, floris productionem habens admodũ diuturnã, & siliquas cylindratas. Huius eiusdem semina Dioscorides constituit tenuia: Theophrastus rotunda vt piper, nõ intersepta, sed quasi sibi inuicem contigua, minora aci-

ra acinis sambuci, vel seminibus Hipposelini, idque loco citato, & lib.3.7.& 8. Eadem Galenus libro primo de alim.facult.cap.27. Aracis, minora facit: Dioscorides verò lib.3.& 4. Aethiopidis aut Lithospermi æqualia. Amaritudinem eisdem tribuit Galenus loco dicto, veluti & qui primum librum de antid. scripsit, eáque vel alba vel ruffa vel pallida facit. Diuturnam durationem eruo tribuit Theophrastus: & denique quòd copiosiùs sumptũ sanguinem per vrinas educat, cùm Dioscorides loco scripto, tum Galenus lib.8.de simpl. med. facult. affirmant. Hæc cùm sic se habeant, quis imprimis Eruiliam esse Eruum asserentibus manus dabit? Est Eruilia planta humi procedens, foliis latiusculis, semen proferens triplo maius quàm acinus sambuci, suaui potiùs quàm secus sapore: nec sanguinem quantumuis largè sumpta per vrinas pellit. His porrò eisdem argumẽtis eos refellimus, qui Cicerculam esse Eruum dicunt: maximè verò seminis figura, quæ penitus diuersa ab Eruo ipsi inest cicerculæ, cui compressam angulosámque eam esse nemo nescit, cùm rotunda Eruo tribuatur. Eius ipsius cicerculæ semen duplo maius est sambuci acino, expers amaritudinis, nec sanguinem educit, agricolis sæpe & tutò vescentibus, tantum abest vt erui descriptioni conueniat. Minùs eis assentimur, qui leguminis genus illud quod rustici nostri Mochum appellant esse Eruum contendunt. licet enim Erui descriptioni hoc vno minùs aduersetur, quòd minimum sambuci acinum magnitudine excedere videatur: in cæteris tamen

nihil cõmune eſt cum Erui notis, nulliúſque præſertim eſt particeps amaritudinis, atque in cibis largè ſumptum ſanguinem minimè ducit. Deceptio omnis ex eo, arbitror, orta eſt, quòd cùm inter ſegetes & legumina naſcatur Eruum, plerique qui veras eius notas ignorant Eruum quoque verum colligere neſciunt. At qui ſciunt, laboris fortaſſe pertæſi non quærunt, ideóque in tot abſurda multi deuenerunt. Diu profectò hæc nos torſit difficultas, multiſque hinc inde ſumptis conſiliis ea fuit magnorum virorum hoc æuo medicinam profitentium deliberatio, vt eius quod Bartholomæus Maranta vir in medica materia cognoſcenda egregiè verſatus, & in ipſius theriaces compoſitione diligentiſſimus, in ipſo theriaces primo tractatu cap. 16. bona fide teſtatur, eſſemus admonendi, plurimum ſcilicet veri Erui prouentum Ferrariæ & Mantuæ eſſe, & his in locis eodem prorſus nomine appellari, quod quidem nõ multum difficile nobis fuit experiri, réſque ſtatim ex voto ſucceſſit. Ex quo & lites omnes circa Erui eſſentiam enatas facillimum nobis fuit componere. Sic & cuique poſthac verum Eruum pro ſcillinis conficiendis paſtillis habere non erit difficile. At nec ſic omnes circa præſentem Erui vſum ſcopulos euaſimus, in eius ſpecie eligenda (triplex enim eſt, vt audiuimus) inter ſe diſſidentibus antiquis Medicis. Albi Erui farinam, libri primi de antid. author. cap. 9. ob id accipiendam voluit, quia ſit minùs amara aliis. Ruffum Eruum aliis ea ratione Aetium prætuliſſe mea eſt opinio: quia medicamentoſam magis, Galeno magiſtro, deob-

lib.pri.mo de alim. fac.cap.29.habeat facultatem: exiccandi nimirum, excalefaciendi, abstergendi, deobstruendíq. cùm sit amarius: quas omnes facultates cuique Orobi speciei (sic enim Græcis nominatur Eruum) inesse Galenus, itémque Dioscorides locis assignatis docuerunt. Sanè verò quòd ad hanc difficultatem attinet, rationi magis consona nobis esse videtur Aetij opinio: sumpto imprimis argumento ab eo, cuius gratia Orobum siue Eruum scillæ miscuit Andromachus. Licet enim id vnum ille præcipuè inspexerit, vt farinæ huius causa posset in rotulas efformari scilla, propter concoctionem actu humidior reddita, mollis & lenta: aliquid tamen eiusdem cum scilla facultatis eum eligere voluisse facilè persuademur. Cùm ruffo orobo medicamentosa magis insit facultas, attenuandi scilicet, abstergendi, excalefaciendi & exiccandi, insintque scillæ ipsi eædem facultates: ruffum quoque Eruum in hunc vsum cæteris eius speciebus anteponendum esse dicimus. Accedit maximè dubitari de authore libri primi de antidotis: in Aetij codice authoritatéve nullam esse dubitationem, imò illi in his præsertim quæ ad theriaces compositionem attinent multum omnes tribuisse. Quare cùm nec Andromachus, nec Damocrates, aut ex aliis antiquis quispiam, particularem Erui speciem exprimat, Aetio potiùs assentimur: eóque magis, quia ruffum Eruum vnius suæ amaritudinis causa tantùm damnauit libri primi de antidotis author nō profectò auscultandus, quia maioris amaritudinis res multas suscipiat in compositione theriaca: qua ex

causa futurum amarum medicamentum præuidens Galenus Falerno dulci ad eius amaritudinẽ corrigendam vtendum voluisse postea intelligemus. Dioscoridis item candidam Erui farinam ad vsus medicos parantis authoritas non obstat, quia non sit eadem huius medicamenti pro componenda theriaca & in alios vsus medicos parandi ratio. Leuiora sunt quæ à candida Erui farina expetuntur à Dioscoride in eo loco auxilia: longè efficaciora quæ præstare habet theriaca. Adde misceri pastillos scillinos hanc farinam continentes multis dulcibus medicamentis, vinóque præsertim, eius amaritudinem retundentibus: quam non retundi certum est, quando per se sola sumitur, aut minùs composita, de qua sermonẽ Dioscorides habuit. Hunc pariter in modum Damocrati, candidum Eruum in componenda quadam antidoto feris venenatis aduersante assumenti, respondemus. Illos verò dicimus non auscultandos, qui acerbum orobum exquisiuisse dicunt: tum quia id nullo constet argumento, tum etiam quia & flauum acerbitate quadam, hoc est, adstrictione siue austeritate præditum est. Cæterùm recentem esse farinam hanc voluerunt Aëtius Auicenna & Haly nimirum quia integræ in hac, quàm in antiqua sint vires magis: itẽq; quò rectiùs faciliúsque læuigetur, tenui cribro aut setaceo dicto, veluti libri primi de antid. author scripsit, est priùs excutienda. Sed an Eruum ipsum antequam in farinam vertatur parumper vstulare conueniat, ea de caussa quæret quispiam, quia Damocrates suo carmine id disertis verbis expresserit:

Adde

Adde farinam, libræ pondus mediæ
Erui farinam parumper vstulati.

Quanti faciendus sit Damocrates in hac theriaces compositione paulò antè intelleximus: sed quæ nunc proponit, eò pluris facienda intelligo, quòd ei faueat Dioscorides vel maximè, lib 2. de med. materia, cap. 102. Eruum capiti onerosum esse cùm dixit: aluum esu turbare, sanguinémque per vrinam ducere, neque eo nisi elixo boues saginari: ex eo farinam nomine Eruinam ad medendi vsus cõuenientem fieri admonet. Eius verò parãdæ rationem statim his verbis docet: Vberiora Erui grana deliguntur, permiscendóq. aqua respergunt ur, donec sufficienter combibant, postea torrentur vsque dum hians cortex dirrũpatur, molitáque farinario cribro incernũtur, postremò farina reconditur. Hanc hũc in modum paratam farinam aluo vtilem esse, multáque commoda in vsu medico secum habere docet eodem loco deinceps. Et certè citra huiusmodi apparatum tutum minime esse huius medicamenti vsum, nos voluit Dioscorides comonefactos. Videas & Galenum lib. 1. de alim. facult. loco antea assignato, boues Eruo priùs in aqua dulcorato pasci, ad medicósque vsus eũdem in modum quo lupini præparari debere, docentem. Eruum igitur ex quo farina pro scillinis pastillis est educenda, parumper erit pustulandum priùs. Quo tempore in Eruo eligendo dubij erant plerique, panis alij friatam micam: alij Dictamni albi vel Fraxinellæ tantundem substituebant. Nunc verò verum Eruum cũ habeamus, non est vt de alterius substitutione si-

mus vltro soliciti. Sed ad difficultatem quantitatis huius farinæ ex scillæ assumendæ accedamus. Hanc quorundam opinione indeterminatam facere non conuenit,ita vt eiusdem ponderis farina & scilla esse possint,vel dimidia farina, aut sesqui altera ad libitum,veluti de panis quantitate carnibus viperinis miscenda statutum est: quoniam ad determinatam quandam farinæ quantitatem sese recepit Andromachus.Quare etiam ad difficultatem auferendam,quæ eius vera fuerit de hac quãtitate sententia,omni studio quærendum est.Illud igitur certum cùm sit scillinorum pastillorum quam vocant basim & fundamẽtum esse scillam, à qua etiam denominationem meritò acceperũt: erui verò farinam ei misceri præcipuè,vt pastillorum formam possit suscipere:certo sanè certius hinc est scillæ quantitatem esse debere maiorem. Regula est in omni medicamentorum compositione obseruata,vt ipsius compositi medicamenti basis siue fundamentum reliqua quæ vel correctionis,vel gratiæ, vel formationis causa adiiciũtur aut viribus aut quantitate superet. Sic & viperinam carnem in pastillos efformatam reliqua omnia quantitate superasse obseruauimus: scillæ igitur quantitas maior esse debet, quàm farinæ Erui. Quo vel solo argumento vocem illam τρίτων qua ad scillæ quantitatem exprimendam vsus est Andromachus,& quæ in omnibus Græcis codicibus legitur,ad eum numerum reduci debere quenque fateri conuenit,qui farinæ eruinæ quantitatem excedat. Huic sententiæ Crito, Aetius, Paulus,Myrepsus,Actuarius,libriq.primi de Antid.&

tid.& de vsu ther.ad Pamphil. authores maiorem omnes scillæ quantitatem accipientes adstipulantur. Sed quoniam farinæ quantitatem explicantem vocem δυοῖν, qua vsus est Andromachus, partes duas significare omnes sine controuersia fatentur, manifestaque est & dubitatione carens vocis huius significatio: neque possit scilla ad sextam partem farinam excedere, quartam verò aut quintam nullus proposuerit: firma sanè ac verior hinc colligitur coniectura tres scillæ partes esse accipiendas. Debuissent sanè & qui tantundem scillæ & farinæ esse accipiendum voluerunt, & qui vnã tantùm farinæ partem & duas scillæ, & quilibet qui aliter quomodocunque ab Andromacho dissentiunt eiúsque vocem τριτλω ingeniosè potiùs quam verè dilacerarunt, etiam vocem illam δυοῖν emendare, eámque in sibi fauentes significationes traducere: sed non potuerunt, arbitror, ob metrum, quod voce τριτλω aliter ac Rota fecerit in Latinum conuersa, deturpatur totum. Græcos autem ferè omnes tres scillæ partes, & Eruinę farinæ duas accepisse, tanti hac in re faciendum existimo, vt nihil magis. Est vltro quoque magni momenti animaduersio, Iunioris Andromachi descriptionem in omnibus cum Seniore Andromacho cõuenire, piperis pondere excepto, vt Gal. asseruit. At tres scillę partes, erui duas cùm posuerit Iunior, eandem quoque quantitatem posuisse Seniorem dicendum est. Quòd si nobis æque ac aliis ex relatiuæ vocis vi argumẽtum sumere licet, tertiam scillæ partem Erui duabus impositam relatiui naturam non seruare dicemus: quia sit di-

midium potiùs duarum partium,tertia pars: vna, exempli gratia,scillæ portio dimidium est duarũ farinæ orobi: omnibus tamen simul mixtis dicetur scillæ tertia pars. Deberet igitur relatiuorum seruata lege duarum quidem farinæ vnciarum tertiam partem scilla pendere. Porrò etiam cùm insequantur recentiores medici ferè omnes Rotianam interpretationem,ad eandem insequendã nos quoque persuademur. Neque multum curæ nobis fuerit impropriã esse Andromachi loquutionem,vocẽ τριτάτην, quæ tertiam partem propriè significat,ad tres partes significandas vsurpãtis:quoniam &aliàs in hac eadem theriaces descriptione impropriè est loquutus Andromachus, & metri causa id facere coactus est.Quis est qui nesciat medicos scriptores omnes sermonis proprietati strictè adeò minimè se obligasse,quin sæpius impropriis vsi sint nominibus: imò damnarunt quàm sępissime exquisitissimam illam nominum curiositatem,eámq.interim nihili prorsus fecerũt.Cæterùm vt omnis hac in re eximatur scrupulus,cõmuni'que huic opinioni acquiescat quisque faciliùs,iis aduersum ire præstabit quæ in cõtrarium adducebantur.Atque imprimis quis est, qui Auicennæ, Haly & Serapionis, Andromachum partem vnam tantum scillæ accepisse, assentium authoritatem multi faciat, qui nesciat defœdata ad nos peruenisse eorum scripta,& qui ea in Latinum mutarunt, turpiter adeò in multis cæcutire?Nulla profectò eorum verbis tribuenda fides est,nisi vel rationem ea habeant euidentem, vel ex Græcis fontibus excepta fuisse constet.

Hoc

Hoc qui non concesserit, eum in medicina multas hæreses & obscurissimam confusionem constituere & excitare necesse est. Legi aliquos asserentes, id affirmasse Arabas illos medicos, quia Andromachi descriptio quædam theriaces, quæ in eum modum se habebat, ad eorum manus peruenit: quod si verum est, in eo statim sunt vel grauiter reprehendendi, quòd ab eo postea discesserunt, & indeterminatam cùm scillę, tum erui quãtitatem reliquerunt: nulla huius eorum opinionis ratione adducta, & Andromachi relicta sententia. Argumẽtum deinde ex voce τριτλῶ desumptum vel ea ratione tollitur, quòd posito in postrema syllaba accentu graui, triplicem, non tertiam partem significat: vel, & rectiùs: licuisse Andromacho metri caussa impropriè loqui, & ea voce, quę tertiam partem significat propriè, ad tres partes significandas vti: quanquam etiam & de hac re tota minimè dubitare contingat. Galeni enim codices, Basiliensis, & qui ab Aldo impressus fuit, non τρίτλω sed τρισσλω, duplici σ, legunt: quę vox triplicem dubio procul significat. Hanc vocem Attici in τριτλὴν commutarunt: & pro eo quod τρισσος communiter dicitur, illi τριτλος efferunt: licétque hæ voces & tertium quandoque significent, vt colligit Budæus, cùm tamen in plurali positæ sunt, tres significant, vt τριτλαὶ αἰτίαι, hoc est, tres causę: veluti & τριτλοὶ δῆμοι, tres populi, apud Demosthen. πρὸς πολυκλέα. At verò τρίτος, simplici. τ. & τρίτη, fœmininum, tertium & tertiam significat. Iam & argumentum ex verbo relatiuo efformatum eadem proximè adducta responsio-

ne corruit, quia impropriè loquutus Andromachus relatiuorum regulam seruare non tenebatur. Quod idem ei, quod de modo schedularum scribendarum dicebatur, satisfacit. Quanquam etiam diuersa omnino res sit, syngrapham seu receptam conscribere, & carmine hexametro pentrametróque rem aliquam declarare. Non possumus carmina scribentes nominibus quibusque ad libitum vti, repugnāte sæpe metro: possumus, imò debemus, syngrapham conscribentes, seplasiariorum occasione, vocibus vti clarioribus, sæpéque etiam minùs congruis. At syngrapharum conscribendarum modum minimè seruasse Andromachum, ex quamplurimis ab eo metri causa appositis dictionibus manifestò constat. Tres igitur scillæ partes, Eruinę farinę duas in scillinorum pastillorum compositione esse sumendas, ex his iam satis constare arbitror. Miscenda mox hæc sunt inter se, & vt iubet Andromachus,

Pistillóque crepet concaua pila diu.

quod duplici de caussa faciendum est: nimirum vt perfectè inter se scilla & farina misceantur, & vt probè contusa scilla in pastillos formetur promptiùs. Non sunt, mea opinione, audiendi Nicolaus Myrepsus, sect. 41. cap. 51. & Haly Abbas loco sæpe assignato, vinum imponentes, tum quia nullam vini adiiciendi rationem adducunt, tum quia etiam nec Andromachus nec Galenus, aliorúmve vllus, eis exceptis, vini meminit. Pastillorum formam nullam designauit Andromachus particularem: solam eorum quantitatem siue magnitudinem docuit hoc carmine;

Ac mini-

Ac minimos tandem contusa premantur in orbes.
Et hoc vt perfectiùs possint reficcari, eum iussisse puto. Tenues hos esse debere dixit libri primi de Antid. author: paruos Damocrates: subtiles Auicenna: quæ tamen omnia in idem cum Andromacho recidere nullus, arbitror, negabit. Ministri verò pastillos efformantis digitos oleo rosato inungendos esse præcipiunt Auicenna, Haly & Serapio, ea vt puto ratione, quòd farina ipsa sua natura aspera parumper digitis adhæreat, id quod prohibere oleum potest: quem in sensum Aetij verba, quæ sic habent (indéque paruos orbiculos formare, rosaceo oleo in his conformandis adhibito) malumus accipere, quàm oleum compositioni ipsi adhibendum esse, quod verba ipsa significare videntur: id cum non commemorauerint Andromachus, Galenus, aliorúmue quisquã. Hos sic efformatos pastillos non aliter esse exiccandos voluit Auicenna, & conseruandos, ac viperini ipsi exiccentur, & conseruentur: quam sententiam ab Andromacho Galeno, Damocrate & Aetio est mutuatus. Sed hac de re cùm abundè satis capite proximè præcedenti à nobis dictum sit: non est vt ea hic iterum inutiliter repetamus. Scillinos igitur pastillos quibus medicamentis componere, quem in modum formare, exiccare & conseruare cõueniat, ex his est, ni fallor, omni ex parte manifestum.

TROCHISCORVM HEDYCHROI COMPONENDOrum modus.

Caput Quintum.

PAstillorvm, qui Hedychroi dicti sunt, nominis explanationem antiquis inquirere necesse fuit, Romani illius Medici occasione, qui Hedychroum medicamentum abvnguentariis petebat, vt simplicē herbā quādam, aliúdue medicamentum compositione carens. Nobis verò eiusdem nominis significationes inquirendæ eadem insurgit necessitas, quia multiplex esse huius medicamenti nomē, Magma, scilicet spissamentum, Hedychroum ab antiquis medicis ad libitum vsurpatum, existimauerit Maranta lib. primo de ther. capit. 11. Etenim trochisci siue pastilli nomine appellari medicamentum huiusmodi, fuisséque nomen hoc cuique familiare, certo certius esse existimo. At ab Andromacho fuisse Magma, appellatum, hisce carminibus admonemur:

Sitque opij tantum: tantum medicaminis eius
Quod grati nomen, Magma coloris habet,

Idem & Damocrates his versibus.

Opiumq; nigrum piper, & Magma
Quod olim veteres dixerunt Hedychroum.

sic & Galenus in libro de ther. ad Pison. cap. 13. in primis verbis, Hedychroi Magmatis theriacę cōpositionem ingredientis descriptionem se traditurum promittit. Quin & in ea theriaces descriptione Hexametro carmine explicata, & in penúltimo

nultimo cap. libri primi de Antidotis descripta, nomen idem in his carminibus vsurpari videre est:

---- tum lati nomen sortita coloris
Magmata, rem nostro memoratam carmine &c.

At in ea descriptione theriaces, quæ Iuniori ipsi Andromacho assignatur, in cap. 7. libri proximè scripti spissamentum dicitur hoc idem medicamentum. Hæc quidem vera sunt omnia, & dubitationem habent nullam: animaduertere tamen conuenit, proprio nomine appellari medicamentum hoc, Trochiscũ, Hedichroi titulo cognominis loco suscepto: Magma verò eam dici debere mixturam siue compositionem, ex qua postea Trochisci efformantur. Galenus enim in eo cap. 13. libri de ther. ad Pison. vbi de hoc sermonem habuit, medicamentorum priùs mixtionem docet, & quod ex mixtione resultat, Magma appellat: hisce statim subiunctis verbis: vino falerno simul hæc admiscere conuenit, & in rotulas redigere: quæ dum facimus, manus & ferramenta inungimus liquore balsami: postremò digestum in rotulas medicamentum in vmbra siccandum est. Sic & Aetius tetrab. 4. serm. primo cap. 89. commixtis, inquit, omnibus pastillos tenuiores formato. Videas & Auicennam & Serapionem sub Trochischorum ordine medicamẽtum hoc idem collocasse, cognomine Andaracon ei appósito. Quoniam autem multis ac diuersis medicamentis hanc compositionem ingredientibus simul mixtis, vino adiecto tale qd resultat, quod quodpiam spissamentum repræsentat, ob id Magma

dictum est, quod apud medicos spissum quiddam, Galeno authore lib. 7. de comp. med. sec. genera eiusdem numeri cap. significat. Idem ex Plinio colliges, qui lib. 13. natural. Histor. cap. 2. & 3. vnguentorũ fæcem magma appellat & spissamẽtum ἀπὸ τοῦ μάττειν, vt quidam existimant, quod est, in massam redigere. At mutante formam ipso medicamento, spissamentíque consistentiam amittente, exiccatione media id nomẽ exuit: ínque rotulas redactum, pastilli siue trochisci nomen adipiscitur. Et hoc est illi propriè conueniens nomen. Quanquam etiam animaduersione dignum esse existimo, nomen hoc spissamentum fuisse interpretis Latini, Græcam verò lectionem vbique habere Μάγματος. Marantæ verò assentiri haud par est, qui medicamentum hoc & ob eam caussam dici magma asserit, quia ex aromatibus compositum medicamentis suauem habeat odorem. Licet enim spissamenta aliqua grati odoris sint, à consistentia tamen, non ab odore, nomen hoc Magma prouenire cùm ipsius nominis etymologia, tum ipse Galenus docet, qui medicamenta quædam odorem suauem spirantia minimè spissantia appellat Magmata, in eo lib. 7. de comp. med. per gen. quem paulò ante adduximus: in cuius capite decimotertio Malabathrini fęcem & reduuias magma appellat: alibíque Myrobalani Magma. Porro vocari trochiscos istos Hedychroos ea de causa Maranta existimat, quoniam grati iocundique coloris sunt. Habet fautores Andromachum, & eius theriaces compositionis scriptorem, quæ in 17. cap. libri primi de antid.

scripta

ſcripta eſt verſibus Hexametris eo carmine:
Magma quod Hedychroum læto dixere colore.
Siue quòd lætum colorem habeat medicamentum, ſiue quòd colorem decorémque formæ cõciliat, præterquam quòd iucundum ſuauemq. ſpirat odorẽ: quam etiam ob cauſam in diuitis ozæna curanda, qui gratum odorem expoſcebat, Hedychroon adhibuit Galenus, ipſum vino falerno diſſoluens, vti teſtatur ipſe, lib. 3. de cõp. med. ſec. locos, cap. 5. nec abs re: quandoquidẽ ſiue magma Hedychroon ſiue trochiſcos Hedychroi appelles, aromatis conſtat odoratiſſimis. Porrò vt ad ipſius medicameti cõpoſitionem accedamus, hæc duas nec quidẽ leues habet difficultates. Pertinet ad ipſius cõpoſitionis authorem vna, ad medicamenta eam ingredientia altera. Andromachúſne, an alius antiquus medicus horum throchiſcorum inuentor ſiue author fuerit, dubitare contingit. Eius deinde plures cùm circumferantur deſcriptiones, quænam eligenda ſit, haud conſtat. Controuerſiæ omnis in cauſa fuere, mea opinione, Andromachus Damocratéſque, qui viperinorum ſcillinorúmque throchiſcorũ compoſitione ſuis carminibus explicata, Hedychroos paſtillos reticuerũt. Aliam alij propterea inſequuti ſunt & approbarunt deſcriptionẽ. Galenus enim lib. de ther. ad Piſon. c. 13. eam quam Magnus tradidit approbauit, & tanquam omnium optimam cæteris antepoſuit. At libri primi de Antid. author Andromachi ipſius deſcriptionem, in eos qui tunc quoque Cæſari inſeruiebant perpetua ſerie deriuatã, in ſuas manus perueniſſe gloriatus eſt; illamq.

cap. 10. ne peruerti posset, Hexametro carmine scripsit. Suam & libri de vsu ther. ad Pamphil. author habuit descriptionem: suam & Paulus, Aetius, Actuarius, Nicolaus Alexandrinus, Auicenna, Haly & Serapio. Atque ex multis hisce descriptionibus vix duas inter se omnino similes inuenias, cùm & in ipsis medicamentis, & in pondere componendíque modo euarient. Quapropter in tanta descriptionum varietate quænam accipienda nobis sit, haud facile est determinare. Vrget sanè multum Galeni authoritas, Magni descriptionem, vt audiuimus, approbantis: vrget tamen & maximè libri primi de antid. quisquis ille fuerit, author, qui eam ab Andromacho in eos qui sua ætate Cæsari inseruiebant deriuatam Hexametro carmine conscripsit. Supersedeo nunc libri illius authoritatem defendere, siquidem præsentis instituti id non est. Id vnum vt certum accipio, ab antiquo quodam & illo quidem insigni medico librũ illum scriptum fuisse, qui quidem carmina illa effinxerit. Eundem verò scriptum ab Andromacho compositionem, per multorum manus ad suas peruenisse, falsò affirmasse, temerarium nimis esset dicere. Profectò in eodem libro extant pleraque, quæ eius authorem & scriptorum Andromachi, & veritatis studiosum fuisse testantur. Et quòd ad hãc rem pertinet, nullum est eius fallaciæ, deceptionis aut ignorantiæ argumentum. Nolim tamen iis assentiri qui dicunt, Galenum ipsum, quo tempore librum de theriaca ad Pisonem scripsit, vnam Magni compositionem habuisse: inuenisse deinde eam,

de eam, quam Andromachus fecit, eámque in libro de Antidotis posuisse. Nulla enim imprimis huius rei extat certa ratio: vtriusque deinde libri genuinus author sine mora Galenus constitueretur: de qua tamē re vel maximè apud viros doctissimos dubitatur. Adde minimè constare adhuc vtrum duorum librorum scripserit Galenus priùs, si vterque illi tribuitur. Nos in ea sumus opinione, Magni quidem compositionem non esse damnandam, vt ineptam: sed eam quę Andromachi esse dicitur, carmine descripta Hexametro, magis absolutam, & medicamētorum congrua quadam proportione rectiùs conformatam. Atque hoc fortasse vel solo argumento recentiores ferè omnes hanc eandem approbasse: credimus. Nobis in re dubia satis, cum multis sentire conueniens fuit, atque adeò eam quæ Andromachi esse dicitur descriptionem delegimus. Hanc autem ingredientia medicamenta, quæ, quótque sint, & quod eorum pondus, ex subsequente eius descriptione satis clarè constat:

Magma quod Hedychroum lato dixere colore
Aspalathi drachmis, Asarique, Marique duabus
Constat, nec plures attollit Amaracus illis.
Tres calamus, latè suaues qui spargit odores,
Tresque Arabum passim qui creuit Iuncus in aruis.
Tres costum redolens: tres toto cognita Ponto
Phu: quibus æquale fragrantia cinnama pondus
Et lachrymæ & sarmenta dabunt, quæ Balsamus edit.
Rursus sex Folium drachmas, sex Indica Nardus
Sex casiæ calami, sex myrrha gutta leuabit:

Séxque croci flores, bis sex attollet Amomum.
Masticbe solidam tãtùm trahet vltima drachmam.
Omnia tu vino simul hæc coniunge falerno.

An hæc præsto nobis sint medicamenta, illud est quod in dubium verti animaduerto. Marum nanque, vt ab hoc incipiamus, quid sit dubitare contingit. Quamuis enim herbam esse id vulgo cognitam, surculosam, flore origani, odoratiore, foliis multò cãdidioribus, natura sisymbrij scripserit Dioscorides, lib. 3. cap. 4. difficilem tamen ista faciũt eius cognitionem, sed Plinius imprimis tali breuitate picturam eius perstrinxit, lib. 12. nat. hist. cap. 25. vt nemo facilè quid sit ex eo discat, quanuis etiam in Aegypto illud nasci dixit. Apud Galenum certa quædam eius non extat commemoratio. Solus libri primi de Antid. author, cap. 10. illius meminit, adiiciens in Creta Asiáque tantùm nasci. Atque ex eò herbam hanc in Italia minimè nasci coniectantur aliqui. Oribasius Mari meminit, lib. 11. collect. medicinal. in litera M eadem quæ Dioscorides dicens: ipsum tantummodò addit plurimum ad Magnesiam & Tralles nasci. Est porrò Magnesia Plinio authore, lib. 5. nat. hist. ca. 29. Mæandri cognomine insignis, in Ionia à Thessalica Magnesia orta XV. M. pass. ab Epheso distans: Trallibus eo amplius M.M.M. antea Thessaloce & Androlitia nominata: cuius vberiorem habuerat antea descriptionem, lib. 4. cap. 9. Ex qua Oribasij adiectione & Plinij authoritate authoris libri primi de Antid. opinio haud leuiter confirmatur, & qui in Italia Marum nasci negant, rectè omnino sentire videntur. Auicenna illud

illud in Italia reperiri viſus eſt innuiſſe, tres eius ſpecies dum cōſtituit, Marrubium ſcilicet, Meliſſophyllon ſeu Apiaſtrum & Bugloſſam. Maior mea quidem opinione eſt inter recentiores de hac herba controuerſia, volentibus aliis Marum à Maiorana dicta diuerſum eſſe: aliis vnum idémq. eſſe vtrunque. Siſymbrion illud eſſe voluit Marcellus. Virgilius: ſyluestrem maioranam Hieronymus Tragus: ſampſuchi ſpeciem Manardus. His itaque inter ſe contendentibus de veritate quid ſtatuendum ſit, difficile eſt affirmare. Sic & in cæteris omnibus quorum iudex eſt ſenſus illud obſeruare licet, quòd ſuam quiſque ad libitum tuetur opinionem propria obſeruatione contentus: ea cauſa tantas in ſimplicium medicamentorum cognitione excitauit, arbitror, difficultates. Sed quòd ad Marum attinet, in eo omnes ferè conueniunt, vt quia ab ipſo Amaraco parum admodum diuerſum illud faciat libri primi de antid. author, alterum alteri poſſit ſubſtitui, vnúmque pro altero vſurpari. At hic quoque de ipſo Amaraco nouæ ſtatim exoriuntur controuerſiæ, quidnam illud ſit inter ſe contendentibus rei herbariæ Scriptoribus. Sunt enim qui velint Amaracum eſſe noſtram Maioranam, cuius & duo genera conſtituunt, maius ſcilicet & minus, communi Perſæ nomine ab ipſis Italis appellata: à Græcis ſcriptoribus ſampſuchi. Alij ex aduerſo Amaracum Maioranam magnam, atque non admodum odoratam: Marum verò alteram nobilem & quàm maximè odoratam ſtatuunt. Sunt & qui ſentiant Sampſuchum & Amaracum idem quidem eſſe,

neutrum tamen esse Maioranam, sed eam esse Parthenium. Has lites componere, communémque nostram maioranam esse Amaracum demõstrare superfluum omni ex parte esset, quando hoc ipsum plenè demonstrauerunt, viri omni virtutũ genere ornatissimi, M. Oddus & alij eius socij in tract. de ther. serm. 2. cap. 16. & Petrus Andreas Mathiolus lib. primo, cap. 47. Atque si maioranam nostram esse Græcorum Amaracum fateamur, quænam eius species hoc in casu in vsum venire debeat, quæsitu dignum videtur. Certè quia idem sint, & in minimis quibusdam differant ambæ herbæ istæ, promiscui ideò vsus esse videntur. Placuit tamen multis, pro Maro tenuifoliam maioranam accipere, pro Amaraco latifoliam, siue maiorem dictam: quorum opinionem vt non damnamus, ita vnam tantùm speciem vtriúsque vices gerere posse non imus inficias. Porrò cum suis floribus seminibúsque quòd accipienda sit Maiorana, inde ab aliquibus colligi video, quia libro primo de Antid. cap. 2. ex herbis quæcunque vna cum semine summis ramusculis adhærente exportantur, pro cuiusque tamen conditione, plurimum seminis habentes non habentibus, vegetæ exilibus: ponderosæ debilibus, compactæ flaccidis: tempore non consumptæ citò absumptis potiores esse dicantur. Sed non debuerunt illi leui hoc argumẽto adduci, vt in eos pharmacopæos, qui hoc non animaduertebant, soláque maioranæ folia in hac compositione ponebant, tantoperè insurgerent, eósque ignorantiæ tacitè insimularent: siquidem si eo vno argumento Maio-

to Maioranæ folia cum floribus & seminibus accipere conuenit, quia eum in modum loquutus sit author ille: idem sanè in quocunque theriacam ingrediente folio aut frutice obseruandum erit. Nam & de herbis omnibus & fruticibus vniuersaliter ille loquutus est: ex quo deinde totius compositionis deprauatio confusióq. enasceretur. Porrò compositionem totam deprauari ac confundi, si medicamentorum quam Andromachus determinauit quantitas euarietur, & qualitas immutetur, certo certius est. Foliis itaque semina floresque si adieceris, qualitatem in primis te euariare est quod animaduertas: seruatóque statuto ab Andromacho pōdere, seminibus floribúsque in parte ponderis succedentibus, minus de foliis vt accipias necesse est. Adde non eandem foliis, floribus & fructibus vnius & eiusdem herbæ vim inesse: quo etiam nomine maius theriaces compositioni detrimentum accedere posse dicimus. An ne semina emittere maioranam Andromachus ignorauit? Hic si eius fuisset sententiæ, vt folia cū suis seminibus essent ex vsu, id sine dubio disertiùs significasset. Neque verum est vno atque eodem tempore herbarum folia, flores & fructus suam habere perfectionem. Dioscorides verò omnino diuersis ac inter se distantibus temporibus singula docuit colligenda: vt propterea maxima ex re huiusmodi confusio in hac compositione nascatur. Sed si propositæ authoris libri primi de Antid. animaduersionis ratio intelligatur, res adhuc conspicua magis fiet. Methodum qua optima ad theriacam componendam eligamus medi-

camenta, & ab imposturis caueamus, eo in loco docemur. Herbas ideò illas dicit esse meliores, quæ vnà cum semine summis ramusculis adhęrēte apportantur: & pro vniuscuiusque conditione plurimum seminis habentes non habentibus: vegetas exilibus: ponderosas debilibus: compactas flaccidis: tempore non consumptas citò absumptis potiores esse admonet: nimirum herbæ cuiusuis bonitatem ac perfectionem hisce attestantibus. Non tamen propterea folia simul cum suis floribus ac seminibus vbique assumi iubet: vti neque ex eius oratione recta ratione colligi potest. Asarum post hæc duo nobis sese offert, eiusdem omnino cum Maro & Amaraco ponderis ex Andromachi sententia assumendum. Indicum quidem medicamentum hoc est, notas habens prorsus manifestas, atque omnibus in confesso positas. Hoc tamen tempore etiam in Montibus Euganeis copiosissimè colligitur. Radicésne an potiùs eius folia hunc in vsum veniant, quæsitu dignum nonnullis visum est. Credidere porrò radicibus vt pote odoratioribus vtendum esse, cùm præsertim Galenus libro 6. de simpl. med. facult. cap. de Asaro, eius radices dixerit esse vtiles, Acori radicibus facultate similes, intensiores tamen: nulla de aliis eius partibus mentione facta. Cùm verò Acori radix gustu sit acris, & modicè amara, odorísque non iniucundi, ita vt calidæ facultatis & consistentiæ tenuis medicamentum sit, in tertio excalefacientium & exiccantium ordine repositum: hac etiam de causa Asari radices in vtraque qualitate, intensiori saltem

mansione

mansione Acori radicem superantes, non folia accipiunt. His tamen illud primo loco aduersatur, & mea quidem opinione multum: quòd tam folia quàm radices promiscuum habeant in medicina vsum, Dioscoride ipso Asari foliorum vsum minimè interdicente. Mesues deinde licèt medicamentorum multorum radices antepofuerit, folia tamen non damnauit: vt non sine iniuria possint reprehendi, qui radice carentes foliis vtuntur & è contra. Purgantem adhæc vim Asari radicibus inesse Dioscorides, Mesues & experientia attestantur, quantumuis Galenus vim huiusmodi purgatricem non cognouisse aliqui contendant. Atque huius facultatis causa in iis pastillis non esse ponendas radices Asari, à quibus purgatio non quæritur, rationi consonum satis esse videtur. Neque etiam recitata Andromachi carmina radices particulariùs designant. E contra verò cum Maro & Amaraco dum recensuit Asarum, folia potius probasse visus est. Vtcunque autem rem hanc determinare aliis placuerit, siue foliis siue radicibus vti quis voluerit (non enim contentiosiùs rem hanc disputare placet) quò in puluerem reduci queant, priùs vt exiccentur necesse est. Ad pastillos enim efformandos arida, vt alias quoque admonuimus, requiruntur medicamenta. Nam & Aetius in sua Hedychroi compositione quæcunque exiccationi apta cognouit, ea arefieri, contundi, & cribrari iussit. Quare promptiùs cùm arefiant & in puluerem eant folia, hoc quoque fortassis argumento ea radicibus anteponéda esse quis dixerit.

Quæ verò ante adducta radices non folia suadebant accipiendas, huiusmodi non sunt, vt rem ex necessitate cõuincant: siquidem odor, acrimonia, caliditas & amaritudo ipsis quoque foliis inest, tametsi quadantenus remissè. Galenus verò Asari radices cum Acori radicibus visus est comparasse, libr. 6. de simpl. med. facult. cap. de Asaro. De Aspalatho autem, quod & ipsum in primo compositionis istius ordine positum est, magna etsi inter herbarios scriptores extet cõtrouersia, résque satis apud eos difficilis esse videatur, hoc tamen tempore à diligẽtioribus Venetiis cùm apportetur, nulla in eo cognoscendo aut recuperando difficultas locum habet. Conuenit omnino cum Dioscoridis descriptione quæ libro primo cap. 19. habetur, vbi in Istro, Nisyro, Syria & Rhodiorum insula fruticem hunc nasci scripsit, surculosum, spinosúmque, grauem, detracto cortice rubescentem, aut in purpuram vergentem, densum, odoratum, gustatu amarum. Hinc malè illos sentire manifestum puto, qui Aspalathum & Santalum idem esse prædicant: cùm inter proceras arbores sit Santalus & spinis careat. Differunt item viribus: & de vtroque tanquam de re diuersa separatis capitibus egit Serapio. Per hæc eadem eorum error detegitur, qui Rhodiense lignum illud esse Aspalathum existimant, ex quo sphærulæ siue precariæ fiunt coronæ: caret enim lignum illud odore, & nulla prorsus inter vtrunque adest similitudo. Quo tempore verum deficiebat Aspalathum, semen viticis, quod agni casti vulgò dicitur, aut ligni Guaiaci partes duas cum parte vna

Santalo-

Santalorum citrinorum bona ratione viros doctiſſimos ſubſtituiſſe is concedet, qui horum medicamentorum vires exactè ſciuerit. Atque hæc ea ſunt medicamenta, quæ in prima paſtillorum Hedychroi compoſitionis parte ſunt poſita, quibus ſingulis binarum drachmarum pondus Andromachus aſſignauit. Quæ in ſecunda partitione poſita ſunt, Iuncus, Calamus bene olens ſiue aromaticus, Phu Ponticum, Xylobalſamum, Opobalſamum, Cinnamomum & Coſtus, ſingula drachmas ternas pendentia, ſuas & illa habent difficultates. Iuncum imprimis licet ferè omnes norint, & in eo vno ore conſentiant, vt is ex vſu ſit qui eſt odoratus: florem tamen aliqui, folia alij, radices nonnulli hac in compoſitione ſuſtinent aſſumendas. Qui ex duobus poſterioribus priorem tenent ſententiam, eo potuerunt perſuaderi argumento, quòd Andromachus iuncum ſimpliciter, Græcè χοῖνον, nulla florum aut radicum mentione facta ſuis carminibus commemorat: atque adeò credunt folia floribus manifeſtiores & validiores habere vires, præteréaque addunt aſſeruiſſe Galenum, flores rarò importari poſſe, quia eis veſcantur Cameli: et ſi leguntur, tractu tẽporis breui dilabantur. Sed qui librum primum de Antid. ſcripſit, Andromachi de hac re mentem cap. 14. his verbis aliter explicauit: Schœnum, id eſt iuncum, ex Arabia petitum idem author imponere præcipit, neſcio qua de cauſa Schœnanthum, id eſt, iũci florem à vulgaribus appellatum: nobis ſiquidem cùm florum copia non adſit, iunco vtimur ex Arabia importato, cuius ſummitatẽ

Cameli ſæpe numerò abroſerunt. Quibus ex verbis optimam Iunci partem eſſe florem ipſum, iudicaſſe hunc authorem conſtat: miratúrque ille propterea cur florem reticuerit Andromachus. Porrò floribus iunci multum tribuiſſe antiquos medicos omnes illud indicio eſt, quòd eos multis egregiis medicamẽtis impoſuerint. Nolo eum multis affirmare cuiuſuis herbæ flores, ipſa viribus folia ſuperare: dicã potiùs palearum feſtucis adulterari ſæpe Iunci herbam, ex quo magna eſt in emptione adhibenda diligentia: ſecus res ſe habet in floribus, quos nulla fraude vel induſtria adulterari poſſe certum eſt. Ex his itaque illud ſaltem colligimus, ſi flores foliis anteponere nullo pacto liceat, eos ſaltem ex vſu eſſe poſſe: neque ex eorum adminiſtratione detrimentum vllum ipſi compoſitioni euenire. Id tamen conditionis habebunt flores, vt non ſint propter vetuſtatem odore priuati, quod promptè eis accidere rei herbariæ ſcriptores admonent: & hanc ob cauſam recentem Iuncum iuſſit Dioſcorides eligendum. Cæterùm floris Iunci nomine Andreæ Ceſalpino lib.4.ſimpl.c.69. illud accipitur, quod ex Iunco decerptum floris nomine appellatur, licèt verè flos non ſit: Iuncos enim & Calamos non florere dicunt plerique, ſed ſtatim aut floccos, aut lanuginoſa quædam ferre: per tranſlationem autem tenuiores Iunci partes vocãtur flores: & ſunt hæ Iunci ſummitates, quas Camelos depaſcere ſcripſit libri primi de Antid. author. Hæc ſi vera ſunt, vt vero certè ſatis ſimilia, & à multis magnis medicis recepta, fruſtra omnis de flore aut foliis

aſſumendis

assumendis erit suscepta disputatio. Iuncum insequitur Calamus:is inquam in Andromachi carminibus expressus,qui suaues latè spargit odores, aromaticus à multis dictus:à nonnullis vnguentarius,siue etiam odoratus,in Indię oris nascens,cuius vsus apud Græcos Arabásque medicos frequens vt est:eo ita officinas nostras iam diu destitui, omnium ferè communis est opinio. Ideóque & de ei substituendo medicamento agendum. Videtur nonnullis verum Acorum Calami Aromatici nomine hoc tempore à seplasiariis venditum, illi substituendum esse. Sunt & qui velint Angelicæ satiuæ vel Rhodiæ radices in eius locum sufficiendas: schœnanthi adultiores culmos inter Iũci merces repertos, Agallochúmq. eidem substitui video. Paucis tamen lis hæc omnis, mea quidẽ opinione,cõponi potest. Medicamẽtorum substitutionis regula certa est,vt medicamento aliquo destituti, aliud quodpiã eiusdem facultatis, aut saltẽ ei quã fieri possit propinquissimũ accipiamus.Propinqua autẽ ea sibi inuicẽ esse verè dicũtur,quę sub eodẽ genere cõtinentur.Calamo igitur destituti odorato medicamentũ aliud sub eodẽ genere positum illi substituere conueniet.Porrò ex Aromatũ genere calamus est odoratus:eiusdẽ igitur generis & viribus quã proximum,est illi substituẽdũ medicamentũ.Itaque primùm Angelicã,inter Aromata fortasse non enumerandã,nec ab Indicis regionibus exportari solitã, vel etiã antiquioribus medicis incognitã,eiusdẽq. propterea cũ calamo odorato generis nõ existentẽ ac minùs suis virib. eidẽ propinquam, illi minimè dicimus

ſubſtituendam. Rhodiam verò radicem inter Aromata enumerandam eſſe quamuis dederim, quia tamen facultates ipſi Calamo odorato nec æquales nec propinquas habet: ſubſtitutioni propterea huic inepta euadit. Rectiùs, arbitror, ij ſentirent, qui Iuncum vel Agallochùm calami loco ponunt, tanquam eiuſdem cum eo generis & facultatis & temperiei: niſi hæc eadem medicaméta hac in eadem compoſitione ſuas & ipſa haberent partes: ita vt his pro calamo ſubſtitutis, bis ea aſſumere neceſſe ſit, quod meo quidē iudicio eſt omnino euitandum. Quanquam etiam nō deſint qui exiſtiment calamum calidiorem eſſe Agallocho vno integro caliditatis gradu. Manus propterea iis dandæ videntur potiùs, qui verum Acorum ſub calami nomine receptum ſubſtituunt. Eſt vtrunque inter Aromaticas radices enumeratum: vires vtrique propemodum eaſdem Dioſcorides & Galenus tribuerunt, formáque haud ita planè differunt: adde quòd in hac compoſitione locum non habet Acorum, cuius radices Antidotis magno vſu miſceri dixit Dioſcorides. Nunc ad Phu Ponticum noſtra traducatur oratio, quod ad differentiam Laertij infirmioris particulariùs deſignatum eſſe opinor. An ſit Valeriana noſtra, quęrunt ferè omnes. In affirmatiuam partem deſcendunt multi, quia multas ex eis conditionibus habeat, quas Phu Pontico aſſignauit Dioſcorides: contentioſi tamen adeò non ſunt, quin aliquam inter hæc non conſtituant differentiam & varietatem: putà in floribus, qui in Phu Pontico à Dioſcoride deſcripto narciſſi effigiem præ ſe ferunt: in vale-

in valeriana maioris vmbellæ seu Muscarij speciem habent. Sed maior ad hæc notata est in horum radicibus varietas. Phu siquidem radices ex obliquo villosæ sunt, capillamentis inuicem contextis, Dioscoride & Oribasio magistris, resúque idem ostendente: id autem in Valeriana non cernitur. Quo fit vt tametsi florum varietatem Cæsalpino lib.4.ca.2.concedamus non ita repugnare, quia apud Dioscoridem, vt ille inquit, pro Narcisso Nardum legendum sit, & Nardi flores habere Phu dicendum, quippe quod etiam inter Nardi species enumerarit Dioscorides: magnum nihilominus adhuc inter radices extat discrimen. Quare ad soli ipsius mutationem, tanquam ad sacram anchoram cōfugit Dessennius libro primo de comp.med. nostrámque Valerianam diuersam esse à Dioscoridis Phu, tantùm regionis & soli in quo nascitur caloris inopia & influentiæ culpa atque occasione asseruit: quod idem plantis multis accidisse sciunt omnes. Ego verò vt multam inter hæc similitudinē adesse nō nego: multam e cōtra inter eadē, radicibúsq. pręcipuè (quod quāti referat pòst apparebit) diuersitatem esse cognosco. Quapropter siue soli diuersitatis occasione, siue quia vnum & idem hæc minimè sint, hoc euenire dixeris, vnum tamen pro altero liberè adeò accipiendum esse nequaquam existimo. Illud vnum certum est, Ponticum Phu in Andromachi carminibus exprimi, huícque vni Dioscoridem, Oribasium & alios antiquos medicos celebratas virtutes illas attribuisse: quo vel solo argumento poterit quisque persuaderi, vt Phu Ponticum dili-

gentia omni sibi procuret. Enimuerò si plantis transplantatis liberè adeò & promiscuè vti nobis licet: iam non erit quòd multarum, quæ ab exteris regionibus tanquam potiores importantur, & de quibus solis loquuti sunt antiqui medici simus soliciti: sed rei facilitatem insequentes nostris vtamur transplantatis. Equidem consideranti mihi rem hanc attentiùs, multarum externarum plantarum procuratam à nostris transplantationem multum rei medicæ detrimenti afferre posse innotuit. In eo propterea totus sum vt credam, antiquorum medicorum traditiones & dogmata cùm in medicamentis componendis, tum in aliis omnibus ad artem pertinentibus omni ex parte & ad verbum esse obseruanda. Ponticum igitur Phu iubet Andromachus accipiendum, & idem iussit Aetius: illud igitur vnum procurandũ, quicquid de Valeriana sentiant multi. Huius florésne an folia, an radices, ex Andromachi opinione, accipere conueniat, res est quæ determinetur necessaria prorsus. Nanque absolutè loquutus est Andromachus, neque flores, folia aut radices restrictiùs designauit. Galenus & Aetius huius eiusdem cõpositionis descriptionem tradentes, particulare nihil ipsi quoque determinarũt. Ex his qui Antidotaria appellata scripserũt pleriq. antiquos scriptores imitati, vniuersaliter ipsi quoque loquuti sunt. Radices aliqui subinnuũt, licet obscuriùs, neque suę opinionis rationẽ aliquã adducunt. Difficultas tamen est, nõ modò quia absolutè loquuti sint illi quos citauimus, sed quoniam etiam libri de vsu ther. ad Pamphil. author & Serapio particulariùs

culariùs herbã expreſſerunt. Attamẽ qui radicem accipiunt rectiùs ob id nobis ſentire videntur, quia radici ipſi virtutes omnes viſus ſit preſſiùs aſſignare Dioſcorides, huiúſque ſolius adulterij dignoſcẽdi nos commonefactos voluit. (*Excalefacit*, inquit, *vrinam mouet. ſi ſicca potui detur: decoctum eadem praſtare poteſt. Ad lateris etiã dolorem efficax menſes cit: Antidotis inſeritur. Adulteratur radice ruſci admixta: ſed maleficium deprehenditur, quoniã hæc dura eſt, & frangenti cõtumax ſine vlla odoris gratia.*) Quæ omnia de ſola radice cùm ſcripſerit, de foliiſque & floribus nihil vltrò expreſſerit, radicem his àntepoſuiſſe dubio procul viſus eſt. Valerianæ igitur radix multam cùm habeat à radice Pontici Phu diuerſitatem, in huius locum non poſſe ſubſtitui certum eſt. Xylobalſamum & Opobalſamum ordine ſequuntur, balſami nimirum antiquiſſimæ plantæ lignum & ſuccus toto orbe terrarum ab omnibus celebrata medicamenta; quorum vſus antiquis omnibus medicis familiaris fuit ac præcipuus, cùm in antidotis, tum in medicina tota. Plantam hanc inſignem adeò ac celebrem deperiiſſe totam & vbique, pleriſque præſentis ſuperioríſque ætatis medicis iam pridem compertum eſt, de ſubſtitutionéque propterea ſoliciti fuere omnes, & pro ligno ipſo, aloes lignum: pro ſucco, expreſſum è nuce myriſtica oleũ accipi debere conſtituerunt. Proſper tamen Alpinus, quẽ honoris cauſa nomino, in Aegypto medicinę cauſa annos aliquot mo ratus, balſami plãtam, vna cũ ſucco & fructu hoc quoque tẽpore ibi reperiri, libro de re huiuſmodi

edito, ex professo ostendit: & quod maius iudico, ad nos ex ea regione non rarò deferri affirmat. Hoc vtinam ita verum esset, vt de substitutione amplius soliciti non essemus. Sed in re tanti momenti certi quidpiam asserere adhuc nobis non licet. Multorum hac in re consilium id esse intelligo, tutius esse substituto vti, quàm periculi plenam nouitatem statim aggredi. Faxit Deus optimus Maximus vt quæ nouiter ingeniosèque scripta de re huiusmodi proximè legimus, ea tempore procedente in magnam mortalium vtilitatem vera deprehendantur. Hæc nunc sufficiant: reliqua enim sumus hac eadem de re in ea huius sermonis parte dicturi, quæ singulorum theriacam ingredientium medicamentorum vires explanabit. Ad se nūc nos euocat Cinnamomum, de quo tanta est inter iuniores medicos controuersia, vt si rem totam pro sua dignitate explicare volueris, volumen integrum vix sufficiat. Non amplius reperiri verum cinnamomum, quorundam est opinio. Illud quidem reperiri sentiunt alij, sed in pau ca quantitate. Sunt è contra qui existimēt verum habere nos cinnamomū, & id quidem hoc tēpore abundanter, esséque vocatam à nobis communiter canellam, ab ipsa lignea cassia secundum magis & minus tantùm diuersam. Rem hanc totam considerarunt viri grauissimi, Iunius Paulus Crassus, Bernardinus Turisanus & Marcus Oddus, omnes ex inclyto Patauinorum collegio medici celebres iique doctissimi, suo de theriaces tract. serm. 3. cap. 8. Christophorus à Costa Africanus medicus in suo de simplicibus med. libro: Iulius
Cæsar

Cæſar Scaliger exercit.ad Cardanum 144. Amatus Luſitanus in ſuis in Dioſcor.obſeruationibus, Andreas Ceſalpinus lib.2.ſimpl.cap.24.planéque adeò demonſtrarunt, vt rem actam agere ſuperfluum in primis ſit. In eorum ergo ſententiam venire conueniens fuerit, & quam nos canellam dicimus, eam genuinum eſſe cinnamomum cum eiſdem fateri. Quis quæſo ei ſine temeritatis nota contradicere auſus fuerit, qui regionem ipſam medicamentum hoc producentem totam ex profeſſo perluſtrauit, cinnamomíque plantam folia & fructus propriis oculis intueri potuit, manibúſque ſuis ſæpiſſime tractauit, & plantæ ipſius iconem ex induſtria collegit? Chriſtophorus à Coſta hic fuit medicus Africanus illuſtris: vnam eádémque rem eſſe caſſiam & cinnamomum ille ſuis ſcriptis teſtatus eſt, & quam nos canellã dicimus, eam genuinum eſſe cinnamomum admonuit: præſtantius illud quidem & minus præſtans, pro ſoli in quo planta alitur meliori peioríve conditione. Hoc idem viſi nobis ſunt ſubodorati omnes, qui de cinnamomo quomodocunque in hãc vſque diem ſcripſerunt, huius canellæ noſtræ vires maximas & à cinnamomi viribus nõ multùm diſtantes ſinguli cùm conſtituerint. Singulas id atteſtantium rationes colliget ex ſe qui voluerit. Nos ne rem iſtam ſicco pede omnino pertranſiiſſe videamur, vnam tantùm Galeni ducis noſtri, in veris cinnamomi conditionibus indagandis diligentiſſimi, authoritatem adducemus. Is itaque ob eam quam habent Caſſia & cinnamomum generis propinquitatem, vt ex ipſa quandoque caſſia

cinnamomum oriatur, ea interdum scripsit inter sese mutari: hac vna tamen inter illa constituta differentia, vt optima cassia à pessimo cinnamomo parum distet. Quapropter si specifica non est inter hæc differentia, generéque conueniunt & essentia, secundum magis & minus tantùm inter se differentia: non est propterea vt in substituenda cassia ipsi cinnamomo tantopère difficiles nos ipsos præbeamus. Galenus profectò idem lib.8.de comp.med.sec.loc.cap.7.hæc habuit, quibus hoc idem verum esse intelligeremus: Consequenter post cinnamomum cassia eandem vim habet, optima videlicet & cognata ipsi cinnamomo. Itidem in lib. primo de comp.med. per gen. cap.14. & cùm, inquit, cinnamomum desideratur, ad cassiam optimam descendimus. Oribasium pariter & Paulum, quibus multum vbique tribuendum esse nullus nescit, exilem omnino inter hæc constituisse differentiam, iis arbitror, notum est, qui eorum lectione interdum delectantur. Ex quibus duo ad rem presentem determinandam colligimus: idem imprimis esse cinnamomum & canellam nostram dictam, quæ cassia dicitur: & vbi diuersa sint, exiguam satis esse diuersitatem huiusmodi: vt hinc ad substitutionem mutuam facilè possit quisque persuaderi. Dices, opinor, substitutionem hanc omnes admittere, sed ea lege ac cõditione, vt pro cinnamomo dupli ponderis cassia sit substituenda, Dioscoride & Galeno sic iubentibus. Id nos non accipimus, & quòd à multis pleno ore approbetur admiramur. Quid causæ nos ad hæc affirmãda moueat, operæ fortasse pretium fuerit

fuerit, adduxisse. Nónne Galenus ipse multis sæpe destitutus medicamentis, alia & quidem imbecilliora multò sine quantitatis conduplicatione eis substituit? Patet hoc apertè satis vel ex eo libro, quem de medicamentorum substitutione scripsit. Dicat quis non esse Galeni genuinum librum illum: fatebor: at fuit saltem antiqui alicuius Græci scriptoris, nec quidem vulgaris notæ: quod ad id de quo agimus satis esse debet. Iterum profectò atque iterum mirari subit, æquam cassiæ quantitatem ipsi cinnamomo substitutam sufficere non posse quòd voluerit. Quòd si propter cassiæ imbecilliorem vim id factum fuisse quis affirmet, hūc quidem vera dicere fatebimur vtique. Cur autem omnium medicamentorum quæ substituuntur cùm imbecilliora fuerint, non sit conduplicanda quantitas, prorsus non videmus. Cæterū est quòd quisque animaduertat diligenter, aucta alicuius medicamenti compositionem aliquam ingredientis determinata ab inuētore quantitate, compositi ipsius proportionem ac symmetriam vitiari totam. Galeni ipsius, vini superauctam ab Andromacho determinatā quantitatem totam theriaces compositionem vitiare scribentis, testimonio hoc confirmatur. Si itaque cassiam ipsam idem cum cinnamomo esse cum multis fateri conuenit: iam non est vt de substitutione, & quantitate eius duplicanda vltrò simūs solliciti. Si ea differre fateri voluerimus: tāta non est, vt dicebatur, inter hæc differentia, vt licet propter substitutionem paulò fortasse imbecillior euadat compositio: vnius medicamenti quā-

titate duplicata, debeat illa maximè vitiari. Quid si duplicatam cassiæ quantitatem cinnamomi vires minimè æquare dicamus? Eundem caliditatis gradum vtrique minimè inesse fatentur omnes: & quia cassiæ minorem caliditatem esse dicunt, eius propterea quantitate duplicata cinnamomi vires illam æquare sibi persuaserunt. Vnius itaque, exempli causa, caliditatis gradu hanc à cinnamomo distare faciamus: quoniam tertij gradus caliditatem illud habeat, hæc secundi: quantuncunque igitur cassiæ quantitatem auxeris, eius certè caliditatem nunquam facies intensiorem: neque ad tertium gradum perducere poteris. Sanè verò cassiæ duplicata quantitate illius caliditatem extensiuè augebis, intensiuè nequaquam. Vnam corporis partem excalefacere apta est cassiæ vncia: plures excalefaciet duplicata: suum tamen caliditatis gradum in excalefaciendo nõ excedet. Rem hanc exemplo demonstremus manifesto. Faciamus aquæ tepidæ heminã corporis partem mediam tepefacere posse: hæc duplicata totum corpus tepefaciet quidem: maiorem tamen nõ inducet caliditatis gradum. Tu verò si maiori corporis excalefactione opus habueris, tepida quantumcunque aucta, necessitati nequaquam satisfacies. Audiui tamen doctissimos viros aduersus id hunc in modum differentes: si in compositione aliqua augeatur dosis cassiæ, aucta caliditate à quantitate ratione subiecti in quo inhæret, caliditas etiã fit intensior. Id in ferculis visu venit, quibus si piperis semũcia indatur, bene se habebunt: at addita altera semuncia adeò augetur acrimonia & caliditas,

vt vix

vt vix poſſit in vſum venire, & augebitur calor in ore & internis partibus, ſi comedatur. Aquæ verò tepidæ exemplum minimè tenere dicebant, quia eius calor accidentalis eſt, caſſiæ verò naturalis: & aliud eſt loqui de quantitate, aliud de ſubſtantia. Quare ſi in vncia caſſiæ duo ſunt gradus caloris, ſi duæ imponantur, proculdubio totidem in compoſitione adaugentur. Si enim drachmam vnam piperis aſſumas, calor in ventriculo magnus perſentietur: ſi verò duas, etiam ſi longius ſuas vires poſſit exercere, in ventriculo tamen duplicatum æſtum & calorem perſentiemus, ſiue Alchindi, ſiue aliorum ſequamur ſententiam. Nam etiam adauctis drachmis piperis adeò intensè calor adaugetur in noſtro corpore, vt adurentem conſequatur caliditatem, quod antiqui ſecuti ſunt & obſeruarunt, & Galenus: qui ſi aliorum hac in re ſententiam non eſſet amplexatus, vtique vt ſui moris eſt refutaſſet. Hæc quidem magni omnino facienda exiſtimo: quibus tamen ex his quæ mox dicentur in diſſoluendis iis quæ cõtra noſtrã ſententiam facere videntur, ſatis manifeſta apparet reſponſio. Dicamus nunc tantùm, impoſſibile omnino apud nos eſſe, quantitatem, quæ accidẽs eſt, augere poſſe ſubſtantiam. Neque etiam fieri vnquam poterit aucta medicamenti vnius quantitate totam compoſitionis ſymmetriam non vitiari. Siue igitur verũ cinnamomũ ſit canella noſtra, ſiue non, tutius conueniẽtiúſque eſſe dicimus eius ſimplicem tantùm partem, quantitatis nimirum ab Andromacho determinatæ, accepiſſe. Quamobrem autem Galenus cùm lib. de tuen.

valet. cap.10. tum lib.8. de comp. med. sec. locos cap.3. cassiæ duplum ipsi cinnamomo substitui debere dixerit, diuersimodè determinatum fuisse intelligo. Dicunt alij id scripsisse Galenũ iis temporibus, quibus non tanta canellę vbertas, quippe quę apud Cęsares duntaxat, neque admodum copiosè reperiebatur. Rationem autem inde ab eo acceptam vt cassiam conduplicaret, quoniam ex Alchindi statuto medicamentorum gradus semper excrescunt per duplam proportionem. Exempli gratia, inquiunt, sit calidum medicamentum simplex in primo: cum in temperato, vnum sit frigidi, alterum vero calidi: pariter & alterum sicci, & alterum humidi: gradus hic primus in calore excrescit, quoniam ei in duplum caloris proportio additur, ita vt duo adsint calidi, vnum verò frigidi. Sic & secundus, si eadem proportione quatuor adsint caloris, cum vno duntaxat frigoris: itidem tertius, si octo calidi cùm solo frigidi: & postremò quartus, quandocunque sexdecim calidi cum vna frigidi portione vigebunt. Duplicasse propterea Galenum cassiam loco cinnamomi volunt, propterea quòd cassia, cùm secundi sit ordinis calida & sicca: cinnamomum verò in vtraque qualitate ad tertium vsque progrediatur: si in drachma cinnamomi octo sunt calidi portiones, atque vna frigidi: in cassia vtique quæ gradu est inferiore, drachmæ duæ ipsius octo pariter obtinebunt calidi, cum sola frigidi parte: ac proinde ad duplum cinnamomi potentiam æquabunt. Alij verò eius sunt opinionis, vt duplicata cassiæ portio vnius cinnamomi

namomi partis vires æquet: quoniam licet caſſia reſpectu ſui caloris imbecilliùs quodammodo aget, ſi vtique duplicetur eius actio diutius quàm cinnamomi pars vna perdurabit, ac calor in ſubiectum corpus validiùs imprimetur. Iſtud ipſum de pipere albo Galenum aſſeruiſſe dicunt, quòd etſi nigro quodammodo ſit imbecillius, ſua tamen qualitate diutius perdurante, temporis ſpacio corpora ab ipſo magis alterentur: quapropter dicebat ille, ſi quis minùs boni duplum loco præſtantiſſimi accipiat, & corpori vel extra vel intus admoueat, duplo etiã nocebit: nõ quidẽ ratione partium calidarum, quæ eædem ſunt in ſimplici: ſed quoniam ſeiunctim ſolo eo applicito pharmaco calor ille diutius permanet, ac proinde validiùs in ſubiectum imprimitur. Quæ omnia non vini & panis exemplo, vt Quintus, ſed vitæ functionum, declaraſſe Galenum & confirmaſſe dicunt. Siquidem quæ ab vno agenda erant homine, ſi abſit, à duobus imbecillioribus commodiſſimè perficiuntur. Hæc quanquam ſummo elaborata ingenio à viris prodierint doctiſſimis, nobis tamen minùs arrident, quàm vt debeant accipi. Quicquid enim de Alchindi proportionibus graduum medicamentorum ſtatuendum ſit, quod nunc non quærimus, illud omnino certum eſt, quod & ab initio dicebamus, duplicatam cuiuſque medicamenti portionem, vel etiam triplicatam aut quadruplicatam, extenſiuam non intenſiuam eius caliditatem adaugere, quod ad æquandam medicamenti in gradu calidioris vim nunquam ſufficiet: & propterea priorum

opinio, quam aliis quoque validiſſimis rationi bus euerterunt M. Oddus & alij ſerm. 3. cap. 9. corruit. Hoc eodem argumento ſecunda quoque infringitur ſententia: licet enim duplicata vnius imbecillioris medicamenti portio diutius aget illo, quod maiorem quidem virtutem habet, ſed eſt in minori quantitate: cùm tamen vltra proprium gradum agere nequeat, eundem cum maiori gradu nunquam imprimet, quod alioqui ad illud æquandum ex neceſſitate requiritur. At ſi duplicata medicamenti portio maiorem poſſet caliditatis gradum imprimere, aucta ſanè magis quantitate, adhuc maiorem gradum víque ad ſupremum imprimeret, & ex conſequenti exurentem qualitatem indueret: ídque tam falſum eſt quam quod maximè. Neque Galeni de pipere exemplum conuincit. Damus album piper diuturniori ſua actione magis imprimere eo, quod nigrum eſt: maiorem tamen caliditatis gradum quòd imprimat, minimè verum eſt. Huius rei ſignificationem nobis attulit Galenus lib. 6. de ſimpl. med. facult. cap. de Gingibere: Excalefacit, inquit, valenter Gingiber, ſed non primo ſtatim occurſu, velut piper: vnde ſanè & minùs ſubtiliũ partium quàm piper exiſtimandum: ſi quidem in tenues ſoluerentur partes, & celerrimè actu, vt illud, fieret calidũ. Apparet enim illaborata & craſſior adhuc quædam ei ineſſe ſubſtantia, nec ea ſicca & terreſtris, ſed humida potiùs atque aquea: quò fit vt facilè perforetur, cùm ſcilicet excrementitia inſit humiditas: neque enim quicquam eorum quæ planè ſicca ſunt aut humida, ſed elaboratam & familia-

rem

rem continent humiditatem tale aliquid patitur. Idem vsuvenit piperrlongo. Atque hinc est quòd diutius perseuerat quæ proficiscitur à Gingibere aut pipere longo caliditas, quàm quæ ab albo aut nigro. Nam sicut ab aridis calamis flamma simul celerrimè accenditur, & vndequaque dispergitur: eundem in modum quæ à siccis potestate medicamentis editur caliditas. At quę prodit ab humidioribus, ceu ligna sunt viridia, ea tardiùs accēditur; & durat diutius. Hæc Galenus: ex quibus constat quæ longiorem habent actionem, ea maioris actiuitatis nequaquam esse. Quapropter duplicatam ligneæ cassiæ portionem longiorem quidem impressionem suæ propriæ caliditatis fecisse non negauerim, maiorem tamen caliditatis gradum quòd imprimat haud existimo. Panis vinique quod adduxit Quintus exemplum, eodem medio refellitur: minimè siquidem possibile sit, duplicatam triplicatámve vini & panis ignobilioris quantitatem, eandem omnino præstare alimoniam, quàm vna nobilioris præstabit. Differentia erit in ipsius alimoniæ qualitate certissima, quæ à nobiliori optima, quanquam minor: ab ignobiliori maior, sed minus bona, corpori accedet. Quod idem de caliditate cassiæ & cinnamomi asserere est: ab hoc enim caliditas ad tria: ab illa caliditas ad duo tantùm proueniet. Dicamus item duos sanè imbecilliores homines id oneris portare, quod vnus fortior portare aptus erat: quia fit quodāmodo inter duos onus diuisum, vnicuique parte sua imposita. At propterea non sequi, duo minùs calida medicamenta, siue minùs calidi me-

dicamenti partes duas, calidioris partem vnam in excalefaciendo æquare posse. Et vtcunque tandem rem hanc vertere libuerit, in eo negotium consistit totum, vt mole aucta caloris gradus augeri nullo pacto possit. Itaque cur duplum cassiæ cinnamomo ipsi Galenus substituerit, alia quærenda est ratio. An fortè ex mente aliorum, nõ ex propria sententia loquutus est, cùm de duplo cassiæ deficiente cinnamomo substituendo verba habuit? Id sanè ille idem nos persuadet, qui libro illo de tuen. valet. cap. 10. scribit hunc in modum: Minimè verò latet & quòd in penuria cinnamomi ponendum pro eo sit optimæ cassiæ duplum, quam aliàs ea esse virtute nonnulli putant, vt ab inualido cinnamomo absit nihil: nam à generoso etiam talis cassia longè superatur. Videas propterea eundem in proximè subsequente panis vilissimi, optimi penuria, in vsum venientis exemplo, his verbis ibidem adiecto: verùm sicuti in boni panis inopia vel vilissimo vescimur, sic in cinnamomi penuria, exquisitissima vtemur cassia: duplicationis nequaquam meminisse. Sed longè, arbitror, manifestiùs hanc dupli ponderis cassiæ pro cinnamomo substituendi opinionem, aliorum non suam fuisse ille idem ostendit, libro tertio de comp. med. sec. loc. capite primo, his verbis: Iniicies autem & cinnamomum si habueris, aut cassiam illo non præsente, tum eam quæ Zigeres: tum quæ Motodes appellatur. Item Carpesium quod plurimum in Sida Pamphyliæ nascitur, & ob id vilissimo pretio venditur. Quintus sanè cùm cinnamomi inopia

esset, carpesium pro ipso iniecit duplo pondere, velut aliqui eius loco cassiam. Ecce igitur quàm manifestè constat duplicationem Carpesij Cassiæue loco cinnamomi,non illi tribuendam.Hinc est quòd bonus Galeni imitator Auicenna libr.& tract.2. cap.128. & de cinnamomo, sic loquutus est:loco eius ponitur cortex cassiæ ligneæ stypticus,aut duplum ipsius de cubebe, aut duplum eius ex Heabel. Quòd autem ad ipsum Dioscoridem attinet,cassiæ duplum cinnamomi vires supplere asserentem,lib.primo,capite decimosecundo: maximam quidem in his quæ ad simplicium medicamentorum naturam attinet eius authoritatem esse fatemur lubenter, illíque propterea multum vbique tribuendum esse: sed cogente ratione, cur non deserendus? Quomodocunque tandem res statuatur, siue verum cinnamomum sit canella nostra,siue non, sed antiquorum cassia lignea:eius simplicem portionem in compositione huius medicamenti, seruata ab Andromacho determinata quantitate, sumere quòd præstet, satis supérque est, vt ego sentio, demonstratum. Quare ad ipsum Costum orationem traducere tempus est. Hunc ad nos minimè aduehi superioris ætatis medici constanter affirmantes,Pyrethrum ipsum ad ponderis dimidium, vel ad pondus idem Zedoariam, optima ratione substituerunt. At hoc tempore Venetiis illum afferri, & vænalem esse, vnius omnium est consensus:ideóque ex tribus eius speciebus,quænam huic Antidoto imponenda sit, sufficit determinasse. Arabicum esse candidum &

leuem, eximia odoris suauitate præditum: Indicum leuem, vberem, vt ferula nigrum: Syriacum grauem, colore buxeum & odore ferientem, docuit Dioscorides, lib. primo cap. 15. vt propterea differre illas inter se possimus persuaderi. Non tamen adeò differunt, si cuiusque vires ab ipso Dioscoride, Oribasio & Paulo explicatas considere-mus: quin vna deficiente alteram sine antidoti iactura multa ei substituere possimus. Porrò id admonuisse præstitit, quoniam Arabicum præcellere: Indicum secundum locum sibi vendicare: Syriacum tertium, Dioscorides loco assignato, Oribasius lib. 11. collect. medicinal. in litera C. & Z. lib. synop. cap. 56. Paulúsque lib. 7. in litera K. admonuerunt. Arabicum verò difficulter raro, & in pauca admodum quantitate ad nos peruenire obseruatum est. Quæuis itaque illius habeatur species, cum recentem esse debere: intus album, abundè plenum: densum, aridum: à teredinibus non erosum: sine graucolentia: gustu calidum & mordentem, non adulteratum, illi iidem qui proximè nominati sunt authores constituerunt. Porrò admixtis Comageni Helenij radicibus prędúris costum adulterari quidam admonent. Deprehendi tamen, quia neque gustu feruet Helenium, neque validum odorem vibrat, vt caput tentare possit. Sunt hæc itaque secundę partitionis medicamenta, omnia & singula ad quantitatem drachmarum trium ab Andromacho determinata. Tertię verò partitionis medicamenta sunt numero quinque, Myrrha scilicet: Folium Malabathri: Nardus Indica: Crocus, & Cassia, cuius vniuscu-

iusque

iusque drachmas sex requisiuit Andromachus. Quòd ad Myrrham ipsam attinet, iam eò vsque nota illa est cuique medico & pharmacopolæ, vt non sine magna oscitantia possimus decipi. Recẽs illa sit oportet, si Dioscoridi credimus, pinguis, leuis, splendens, quæ confracta inter natos quasi vngues candidos & lęues ostendat, valdè odorata, ignéque accensa vt lycium ardeat, suauémque spiret odorem. In huius electione diligentia adhibenda est, ne fortè lucididati nimis fidentes Opocalpasum, quod & ipsum lucidum est & myrrhæ quàm simillimum, Galeno magistro exitiale ac perniciosum, eius loco assumamus. Lumen itaque cùm extinguat neque ardeat Opocalpasum, secus ac Myrrhę eueniat, quæ & ardet, & lumen alit, facillimum erit periculum huiusmodi euitare, & in optima eligenda Myrrha minime decipi. Sed vt facilis est huius electio: difficile è contra est, quid folij Malabathri nomine intelligendum nobis sit determinare. Omitto eam distinctionem qua quæritur, sítne idem Folium cum Malabathro, an potiùs quid diuersum, quandoquidem sit res hæc à nonnullis rectè determinata, idémque esse vtrunque demonstratum. Omitto item quærere an Malabathrum per, o, vel potius Malabathrum per, a, scribendum sit & proferendum, nihil omnino ad rem ipsam hoc cùm spectet. Omitto ad hæc quærere illius natale solum, quod ab aliquibus in dubium vertitur. Minùs disputo an ex arbore cassiæ, vel Caryophylli decidat: & an sit Arabum & Persarum Tambor, vel potiùs Indorum Betol & Betteli & Bettre: vel etiam nostri Pota-

mogitonis folium: quia difficile sit nobis illud non ſpectantibus, de eo certi quidpiam affirmare. Atque id eò difficilius eſſe inde conſtat, quòd in dubium reuocent aliqui, an amplius in Indicis regionibus & in Syria (quæ ſunt loca in quibus planta hæc naſci dicta eſt) reperiatur Malabathrum, illud iam longo tempore euanuiſſe, vt Balſamum etiam, aſſerentes. Ad id potiùs ſermo noſter conuertendus eſt, & in eo diligentia omnis adhibenda, vt de Malabathro dubij cùm ſimus, vel etiam eo deſtituti: quodnam medicamentum ei ſubſtituere debeamus, inquiramus. Tutius enim futurum arbitramur, optimum aliquod medicamentum illi ſubſtituere: quàm in tanta rei obſcuritate certi quidpiam audentiùs determinare. Fuere qui dixerint vulgare quod appellant pharmacopolæ Folium ei ſubſtituendum eſſe: Macim alij ex Auicennæ mente eidem ſubrogant, quia id ſit in eodem ordine ſecundo calidum & ſiccum, maximéque odoratum, vt Folium. Phu ipſum, caſſiámque ligneam alios ſubſtituiſſe legere eſt: veluti & nonnullos canellæ, vel garyophillorum folia ſubrogaſſe audiuimus. Hi quanquam eò reſpexerint omnes, vt aromaticum eligerent ſubſtituendum medicamentum, eiuſdem quoad fieri poſſet facultatis & temperiei, ſuíſque minimè inanibus coniecturis ſuam confirmauerint ſententiam: longè tamen rectiùs ij mihi ſentire videntur, qui Nardi ſpicam ſubſtituerunt. Præterquam enim quòd inter Aromatica eſt & Nardus enumerata, eiuſdem omnino cum Malabathro facultatis & temperiei:

periei:non etiam tantas patitur hæc ſubſtitutio difficultates,quin ſimiles omnino,vt Galenus docuit libro ſeptimo de ſimpl.med. facult. cap. proprio, habeat cum Malabathro facultates: quod idem ſenſit eiuſdem operis lib. octauo, ſic & Damocrates in poſtremo Acopo, verſibus Iambicis deſcripto,& à Galeno libr. 7. de comp. med. per gen.recitato,dicebat:

Sin abſit autem Malabathrum tibi,
Adiunge Nardi tantundem Gangitidis.

videas & Dioſcoridem Malabathrum ſpicę Nardi vires eaſdem habere aſſerentem. Cæterùm an Celtica, vel Indica, vel Montana quæ ſubſtituatur Nardus ſit eligenda, quæſitu dignum eſt. Atque imprimis optima ratione Indicam nonnulli reſpuunt, quia iam iterum in horum paſtillorum compoſitione aſſumatur. Montanam Galenus Nardum, lib.9. de comp.med.ſec. loc.cap.4. ob id in compoſitionibus non admittit, quia Narditis herba ſit potiùs quàm Nardus, ſua opinione,appellanda,quam eſſe aliis imbecilliorem docuit,lib.8.de ſimpl. med.facult. Eſt igitur eligenda Celtica, eiuſdem ferè cum Malabathro facultatis & temperiei: & quæ, Dioſcoride magiſtro,lib.primo cap.7. in Liguriæ nobis vicinis Alpibus naſcitur, Aluingiæ nomine appellata: ſicuti etiam in Iſtria. Quærat tamen adhuc fortaſſe aliquis, an alius generis ſiue ſpeciei, Nardus his tribus exceptis, reperiatur: vt poſſit negotium hoc planiùs determinari. Sanè verò Sampharitícam Nardum reperiri Dioſcorides ſcribit, lib.primo capite ſexto, & Aſianæ Nardi

meminisse Galenum videre cuique licet, lib.7.de comp.med.per gen.cap.12.quam consecratoriam appellat: capite item proximè subsequenti Andromachi acopa referens, Nardi crocini Babylonij meminit. At lib.9. de comp. med.sec.loc.cap. 4.Creticam Nardum in sua Antidoto Philonem vsurpasse inde colligit, quia ab ipsa terra quæ Ioue Pissæo clara manet, colligendam iussit. Gallicam Nardum in theriaces compositione sumpsisse Andromachum, libri primi de antid. author cap.14.testatus est, quam aliis calidiorem esse Galenus constituit, lib.8. de simpl.med.facult. Sed & Syriacam Nardum posuisse Galenum in Arteriaco medicamento, lib.7.de comp.med.sec.loc.cā. 2.scribitur: de quo loquutus est Plinius lib.12.nat. hist. eiusdem numeri cap. Quin etiam & Oream & stachym, interdum appellari Nardum, ex eodem Galeno constat, lib.8. de simpl. med.facult. Paulus Aegineta, lib.7. de re med. in littera, N. Thylacitin & pyritin Nardum commemorat. Oribasius verò lib.12. collectan. medicinal. in littera P. syluestrem, quam rusticam & Baccarim dici Plinius affirmat. Tandem & Gangitim Nardum pro Malabathro substituisse Damocratem; paucis ab hinc dicemus. Quoniam itaque tres tantùm primo loco nominatæ Nardi species verè reperiuntur, nec plures, dictorum propterea nominum diuersitatem explicare necesse est, ne fortè in hæc incidentes aliqui animo hæreant, & quę Nardi species accipienda sit, ignorent. Animaduertendum ideò nobis est ad designanda particulariùs medicamenta modò regionis in qua nascuntur:

scuntur: modò fluminis montísue in quorum vicinia viuunt, nomine vsos fuisse antiquos medicos. Iidem interdum eorum consistentiam, aut effectum aliquem particularem, vel etiam inuentorem, aut quid huiusmodi quod rem manifestiorem facere posse imaginati sunt, sumpserunt. Atque hæc quidem eo vsque manifestum esse scimus: vt nulla ampliore sit opus demonstratione. Gangitim propterea eam Nardum appellauit Damocrates, quæ Indica est, quia in Gangitis fluuij littoribus orísue nascatur, quem fluuium in India esse Strabo docuit, lib. 15. Geographiæ: & hæc ea est Nardus, cuius Plinium lib. & cap. 12. meminisse diximus. Syluestrem Nardum esse ipsum Phu, illo eodem loco Oribasius animaduertit, in quo eius meminit. Thylàcitim & Pyritim esse eandem cum Montana Nardo, eodem & ipse loco affirmat Paulus, in quo ea nomina posuit: quòd factum fortasse fuit, quia sint ea mõtium nomina in quibus Nardus viget. Montanam pariter Nardum esse eam, quæ dicitur orea eodem loco Galenus admonet, à Græciæ ciuitate ea appellata, à qua Strabone authore lib. 9. Geograph. Oreenses dicebantur. Stachys vocabulum Græcum est, quod Latinè Spica dicitur: ita vt Nardi stachys idem sit ac Nardi spica, Syriacam autem Nardum esse eandem cum Indica inde colligimus, quia Asiæ regiones sint India & Syria, Strabonéque magistro lib. 16. Geographiæ, inter se admodum contiguæ: vel, vt Dioscor. inquit, lib. primo cap. 6. quia montis in quo nascitur pars vna ad Syrios, altera ad Indos vergat: vel, vt aliqui

voluere, à Syrastene regione. Nisi fortasse etiam dicere præstet, esse Montanam Nardum, quam in Syria nasci capite 8. libri citati testatus est Dioscorides. Porro Galliam siue Gallicam Nardum esse ipsam Celticam illud argumento est, quòd Galliæ partem ij Celticam fecerint, qui, Strabone lib. 4. & Plinio lib. 4. cap. 17. referentibus, Gallos trifariam diuiserunt, in Aquitanos scilicet, Belgas & Celtas. Cæterùm Nardi ab ipsa terra erutæ Pissæo quæ Ioue clara manet cognomine Philonem in suæ antidoti descriptione voluit Galenus intellexisse Creticam, vel potiùs quorundam aliorum testimonio ipsam Indicam, ea adiecta ratione, quòd ex ea terra ebur pòtius affertur, ex qua statua Iouis in Pissa facta est ac formata. At Crocinum & Babylonium Nardum, ab Andromacho in suo Acopo positū, & li. 7. de comp. med. per gen. cap. 13. à Galeno descriptum, vnguenta sunt, non radices. Crocini vnguenti meminit & Galenus, lib. primo de comp. med. sec. locos cap. 8. cuius vim discussoriam, adstringentem & concoctoriam capitis achoribus & fauis aduersam esse scribit. Babylonij pariter vnguenti, illo eodem cap. 13. libri 7. de comp. med. per gen. circa initium, mentio fit: vt non sit quod hac in re diu hæreamus animo, aut pluribus agamus. Asianæ quoque Nardi consecratoriæ dictæ nomine vnguenti speciem intellexisse Asclepiadem illud argumento est, quòd simplicibus quibusdam priùs in eo Acopo positis medicamentis, Adarce scilicet, Myrrha stacte, Aphronitro & Euphorbio, mox ad vnguenta se accingit, inquiens: vnguenti

Malaba-

Malabathrini primi pondo: foliati pondo ac ſelibram: crocini pondo ſelibram: Hedychroi pondo ſelibram: Nardi Aſiani conſecratorij primi pondo ſelibram: ceræ pondo vncias tres: conficito vt priora. Nec enim inter vnguenta & in poſtremo eorum ordine medicamentum ſimplex enumeraſſet, ſed inter ſimplicia priori loco enumerata. Aſianum autem Nardinum vnguentum componi antiquitus ſolitum, ex cap. 5. libri 8. de comp. med. ſec. loc. colliget qui voluerit. Iam igitur vel ad Celticam, vel ad Indicam vel ad Montanam, quomodocunque aliter nominatam Nardum quanque reduci conſtat vel manifeſtò. Vnam ex induſtria relinquimus Nardum à Dioſcoride, libro primo cap. 6. Sampharíticam appellatam, quam ad Montanam reduci poſſe ac debere ſi recuſaueris, iam non erit quòd eam pſeudonardum eſſe dicíque debere inficieris. Eam ſiquidem hircorum virus ſupra modum redolẽtem improbat vel maximè Dioſcorides. His itaque de Nardi ſpeciebus hunc in modum determinatis, quid per Indicam Nardum, ipſius Malabathri folia proximè hac in compoſitione ſubſequentem nobis accipiendum ſit, omninò conſtat: eam inquam quæ ex Indiæ oris Venetias ex Alexandria à mercatoribus afferri ſolet: quámq. reperiri verã ac genuinam, & multi firmiter demonſtrarunt, & nos ipſimet (niſi pertinaciter ac contentiosè nimis aduerſus veritatem niti velimus) viſu odoratúque cognoſcere poſſumus. Quòd verò Dioſcor. Montanam cęteris prætuliſſe videatur; id nobis in eum ſenſum accipitur, vt quę in montibus Indicis

nascitur, ei quæ iuxta flumen Gangem colligitur, tanquam odoratior & melior, sit præferenda: quod idem de multis aliis herbis & fructibus affirmari certum est. Eligendam autem esse eam, quæ magis sincera est, odorata, neque carie consumpta: non puluere inspersa, non sordida, ob adulterij suspicionem. Huius signum esse Dioscorides docuit, si candida fuerit spica & squalida, suáque careat lanugine. Croci. Nam dum ipsam ex ordine subsequentis conditiones omnibus notas, sinéque dubitatione receptas, superuacaneum esset hic adnumerare. Flauum illum postulauit Andromachus, nō quia species croci particularis hæc sit, (crocus enim omnis flauus est,) sed metri causa proprium croci colorem ceu epitheton adiunxit. Non tamen flauus adeò esse debet, quin candidi quidpiam gerat: quod non aliter intelligendum volumus, quam eius flauitiem quadantenus remissam esse debere. Et licet Corycium in medendi vsu omnium optimum fecerit Dioscorides, eúmque qui è tractu Lyciæ finitimo, aut ex Olympo monte, aut ex Aegibus Aetoliç aliàs exportabatur, multi laudauerint: qui tamen in Aquilæ regione colligitur: siue quia ex aliis regionibus non adferatur nunc crocus: siue quia is cæteris melior sit, hoc tempore apud Italos, vtróque etiam, in communi vsu est. Cassia croco succedit, quæ canella communis nostra esse cùm concedatur: non est propterea vt de ea alium ab eo, quem de cinnamomo habuimus, sermonem habeamus. Fuluescentem, pulchri coloris, corallij æmulam, per quam angustam, longam, crassam,

& fistu-

& fistulosam, gustu mordentem, & cum aliquantulo feruore adstringentem, aromaticam, vinum odore referentem, ab Alexandriæ mercatoribus allatam, cæteris prætulit Dioscor. lib. primo cap. 12. Profectò multa canella nobis hoc tempore abundantibus, si paulò accuratiori diligentia vsi fuerimus, hanc seligere non multum erit difficile. Post cassiam positum est Amomum, vsque ad drachmarum duodecim pōdus ab Andromacho designatum, quod ad nos minimè aduehi vt cōstat apud omnes, ita quid illi substituendum sit, est è contra in multa positum controuersia: substituentibus aliis Macim, aliis Carpesium, aliis Asari radicem, aliis Acorum, aliis Galangam: nonnullísque garyophyllum. Nobis tamen Acorum ab authore libri de substitutis medicinis Galeno adscripti, rectiùs & conuenientiùs substitui semper visum est. Nanque si cuiusuis medicamentis substitutionis finis alius non est, quàm vires easdem habens medicamentum ei quo destituimur subrogare: vel si nō prorsus easdem, eis saltem quàm proximas: iam non erit quòd pro Amomo Acorum substitui debere, quis nobiscum vltro contēdat. Amomum, inquit Aetius, tetrab. prim. serm. primo in littera A, viribus Acoro simile est, præterquam quòd siccius est Acorum: magis autem concoctorium Amomum. Eandem ad verbum scripsit sententiam Paulus, lib. 7. cap. 8. eandem & Oribasius, cùm lib. 15. collect. medicinal. in littera A, tum lib. 2. de virt. simpl. med. ad Eunapium in eadem litera. Confirmat hoc ipsum sua authoritate Dioscorides, qui eosdem penè in medicina

effectus ab vtroque hoc medicamento produci testatus est, libro primo ca.2. quod est de Acoro, & ca.14. quod est de Amomo. Posset his quisque acquiescere & persuaderi, rectã esse substitutionem huiusmodi: sed quoniã cũ magnis viris substitutionẽ hãc reprobantibus nobis res est; hãc rẽ ideò vltro ex Galeno ipso manifestiùs declarare conuenit. Imprimis itaque inter Aromata Amomum ille enumerauit, lib.7. meth.med. cap.4. & ex genere calidorum illud idem esse docuit, 5. aphor.com.18. Odoratum item illud fecit lib. primo de comp.med.sec.loc.cap.secundo. Ingentem adhęc ei tribuit exiccandi facultatem, eiusdem operis lib.7. cap. 2. Discutere etiam ac simul adstringere Amomum ab eodem admonemur, eiusdem operis libro quarto, cap.4. & lib.6.cap.primo, & lib.7.cap.secundo. At quòd valde concoquat, idém palàm facit, lib.6. de simpl.med.facul. cap. proprio. Amomum propterea maturare asseruit li.de oculis particul. 5.ca.sexto, mensésque & vrinas mouere, lib.5.de simpl. med. facult.cap. vigesimosecundo. Has porrò easdem facultates Acoro ipsi ille idem cùm tribuerit, summa propterea eius cum Amomo virium similitudo apparet manifestissimè. Acorum enim ipsum inter Aromata enumerari sexcentis in locis Galenum asseruisse scimus: calidum & valdè siccum, putà tertij ordinis esse eundem, & odoratum, itémque attenuare idem docuit, lib.6. de simpl.med.facul. cap.proprio: vrinas adhæc quòd moueat, cùm, hoc eodem loco, tum lib.de renum affect. dignot. & curat.cap.vltimo, demõstrauit: menses item illum mouere

mouere docemur, lib. de oculis, particul. 5. cap. 3. veluti & quòd discutiat, lib. 6. de comp. med. sec. loc. cap. primo. Propter hanc igitur horum medicamentorum adeò euidentem & penè absolutam facultatum identitatem, conuenientiorem ea inter se substitutionem admittere dicimus. Neque propterea futilem aut omnino incongruam esse dicimus aliorum substitutionem: sed nullo proximè adeò ad Amomi vires accedente medicamento, vti Acorum: hanc ideò cæteris præferendam esse nostra est opinio. Ne verò ex abrupto nos hæc promere quis existimet, rem ipsam sic se habere par est demonstrare. Macis enim licet inter Aromata verè recenseatur, odoremque spiret iucundum: diuersum tamen habet ab ipso Amomo temperamentum. Si enim Græcorum Macer est, vt sentiunt aliqui, constat id, Galeno magistro lib. 7. de simpl. med. facult. cap. proprio, ex mixta essentia, pleraque terrena, frigida: paucula verò calida. Sin potiùs nucis Myristicæ prætextus siue tegumentum (corticem vocant) non id quidem quod crassum est exteriùs, sed subtilius ipsum crassum subambiens, vt cùm Serapione sentiunt recentiorum plerique, vel etiam nucis putamen circumambiens tunica, vt alij, quibus nos assentimur, sentiunt, vix secundum excalefaciendi exiccandíque ordinem illum excedere omnes affirmant: tertium autem attingere ipsum Amomum, iam audiuimus. Carpesium deinde ipsum ab aliquibus ipsi Amomo substitutum quid sit, númq. reperiatur, nunc nō disputo. (licèt maxima quæ de eo contingit dubitatio substitutionē hāc,

aliquibus bona ratione futilem fecerit & incongruam.) Dicam solùm reprobasse Galenum lib. 7.de simpl.med. facult. eos qui illud cinnamomo vel cassiæ substituebant, quia non paulò deterius optima cassia sit. Quare cùm Amomi vires non deteriores cassiæ viribus vbique fecerit Galenus, non est quòd Carpesium Amomo substituamus. Asari item radicis substitutionem nos quoque non accipimus: non quidem ea ratione quòd radicem fructui substituere non liceat (hoc enim quanti faciendum sit, paulò post apparebit) sed quoniam imprimis iam iterum in hac eadem trochiscorum compositione assumptum sit Asarum. Radices deinde istas, Dioscoridis, Mesuiæ, experientiæque testimonio, purgantem habere facultatem, in superioribus intelleximus: qua facultate cùm careat Amomum, improbam ac minùs tutam esse hāc substitutionem existimamus. Habet adhæc, vt cum Galenò omnes fatentur, Amomo intensiores Asarum vires. Minùs item rectè substitutam fuisse à nonnullis dicimus Galangam. Præterquam quòd enim eorum substitutionis fundamentum ruit totum, quòd scilicet non sit Acorum Galanga (est enim hoc iam à plerisque ad satietatem confutatum) nec etiam viribus Amomo æquipollet Galanga. Hanc Serapio in suo Aggregatorio, cap. 332. calidam quidem esse & siccam tertij ordinis constituit; proindéque phlegmaticis & humiditati stomachi, ventositati, colicæque passioni occurrere colligit: earùm tamen virium, quas Amomo inesse dicimus, illi plerasque deesse constat. Quo eodem argumento illi

refel-

refelluntur,qui Garyophylla substituunt. Sunt hęc quidem inter Aromata enumerata: sunt acria & subamara: calida item & sicca ordinis fermè tertij,nec tamen propterea Amomi facultates habēt omnes,Serapione & Auicenna testibus. Rem itaque eò deductā esse quisque intelligit, vt nullum ex enumeratis medicamentis Amomi vires pleniùs subire possit,ipsa Acori radice. Qua in re ne quid omnino scrupuli relinquatur: quæ aduersus substitutionem huiusmodi adducta legimus diluere conuenit. Radicem pro fructu nolunt aliqui posse substitui, atque eò magis quia Acori radix, Galeno magistro, siccior est & minùs calida Amomo. Supponunt hi itaque solius Amomi fructum ex vsu esse: lignum nequaquam. Quod ne illis concedamus,multa suadent. Quamuis enim meliorem Amomi partem fructum esse concesserim: hanc tamen solam in medicina ex vsu esse, minimè dederim:quando & plantæ ipsi suas vires inesse,inde satis firmiter possit colligi:quòd ligni ipsius conditiones omnes, longitudinem scilicet, magnitudinem, colorem, odorem, ætatem, effectúsque omnes diligenter adeò & expressè nobis significarunt, Dioscorides, Plinius,Oribasius & Auicenna:solam vnam describere, & ad eam solam subfigurandam omnem adhibere diligentiam satis fuisset, si ea vna medico vsui apta, eorum opinione,erat. Neque videre est soli fructui medicas facultates eos tribuisse, sed toti plantæ. Legat qui voluerit Galenum, tot medicamenta ex Asclepiade, Andromacho, Damocrate,Hera, Apollonio & aliis plerisq. Græcis medicis,Amo-

mum continentia, in libris de comp.med.sec.loc. & per gen.fideliter conscribentem: neque eos solam Amomi vuam accepisse inueniet. Amomum simpliciter absolutéque illi proferunt, quasi vniuersæ plantæ vires esse easdem voluerint insinuare. Locus est in cap.3. libri de comp.med.sec.loc. noni: vbi Asclepiades Amomum postulat racemum. Est alius in 8. eiusdem operis, lib. cap. 10. vbi Damocrates in quodam malagmate Amomum exigit Scythicum. Est & alter in cap.14. libri de comp.med. per gen. septimi, vbi Amomi vuam in olei Gleucini compositione Andromachus ponit, ex quibus locis quod dicebamus adhuc constat manifestiùs: & lignum scilicet, & Amomi fructus in vsum medicum antiquos traduxisse. Ex posteriori enim loco, fructum in ea compositione receptum fuisse, dubio procul est omni. At Amomum Scythicum cùm expostulat Damocrates, non plus fructum quàm lignum desiderare videtur. Quod & de Asclepiade Amomum racemum postulante asserendum est. Amomum enim racemum, ad differentiam aliarum eius specierum, illum expostulasse vt optimum, illud argumento est, quòd Dioscorides & Oribasius Amomum Ponticum dixerunt esse racemosum: hoc est, racemo simile: ad Armeniaci & Medici differentiam: quibus id non tribuerunt. In huius rei confirmationem Serapionem legito in sui Aggregatorij c.279. hæc de Amomo dicentē: Est plāta sicut racemus, tota simul connexa. Legito & Auicennā, li.& tract.2.c.52. hūc in modū loquentē: Est arbor sicut botrus ligni, sicut rete inuoluti: paucis-

paucisque lineis interpositis: Et est species Aegyptiaca, quę non est longa, neque lata, neq. debilis, neque grauis ad frangendum, immò racemo vuæ similis. Habent & aliqui antiqui codices Dioscoridis: Amomi frutex est pusillus, ceu racemus è ligno conuolutus. Quapropter & Andromachum in ipsius theriaces compositione, hæc canentem:

Cúmq; racemifero Celtarum Nardus Amomo.

non ipsius plantæ racemum, sed plantam eam quę racemos habet, ad aliarum differentiam, subinnuisse, ratio ipsa suadet. Dioscoridem ipsum, Amomum semine plenum, præ cæteris diligendum ea de causa consuluisse credimus, quia optimi recteque constituti fruticis signum id sit. Quòd tamen, eius vnum collaudauerit racemum, quis inde verè colligat? Immò adulterium quod in Amomo, herba quadam ei simili deinceps fieri dicit, idem confirmat. Erat herba illa Amomis dicta, sed sine odore & sine fructu. Itaque si adulterium erat in planta fructu carente: quis, Amomi quoque plantam ex vsu medico fuisse, non concedet? Ad euitandum propterea adulterium fragmenta ipsa effugienda esse, & eligenda quæ ab vna radice suos surculos emittunt, necnon quæ cariem nequaquam contraxerint, ille idem Dioscorides docuit: quod pariter ad ligni optimi electionem facere, satis est manifestum. Hoc argumenti genus aliquos reprehendisse legimus, sumpta ex Plinij verbis reprehendendi occasione: quem asseruisse dicunt, à veteribus totam ipsam plantam adseruari solitam. Ij enim cùm inter portandum fragiles nonnunquam fructus

à planta deciderent, ſolos racemos, qui cum fructibus vſum præſtabant, ſæpenumero relictos aſſerunt, qui hunc in modum herbæ cuidam Amomidi dictæ facilè aſſimilabantur. Dioſcoridem præterea admonuiſſe negant, vt integra ſumatur planta: quoniã non fragmenta, ſed quæ ab vna radice ſuos integros ſurculos emittunt, eligenda: id enim dicũt eſſe falſiſſimum. Sed ex dictis inferũt eſſe debere nos vel maximè oculatos, ne fragmẽtis illis, quæ cùm Amomi particulis ſimilitudinem habent, decipiamur. Cæterùm reprehenſionis eorum vis in eo conſiſtit tota, vt quia racemi ipſius Amomi herbæ Amomidi ſimiles ſunt: adulterium ideò committatur. Sed eſt id tam falſum, quàm quod falſiſſimum. Etenim frutex eſt Amomis quoque non minoris fortaſſe altitudinis, ac ipſa Amomi planta: quod antequam à nobis patefiat, illud imprimis de Plinio, cuius authoritate potiſſimùm hac in re nituntur aduerſarij, proferre lubet, quod Hermolaus Barbarus acerrimi iudicij vir, in eo ipſo Plinij loco, in quo de Amomo locutus eſt, enuntiauit: non mirandum ſcilicet, ſi quando Plinius à Dioſcoride diſſonat: quoniam ſicut pretia rerum, ita & notæ & experimenta quoque variantur. Neque vlla medicinæ pars eius iudicio eſt incertior, quàm quæ ab alio Orbe quàm noſtro petitur. Quaſi Plinium in Amomi recenſenda hiſtoria, ſatis diuerſum ab ipſo Dioſcoride animaduerterit Antiſtes grauiſſimus. Sed qualis fuerit Amomis planta, nunc demonſtremus. Serapio, cui in ſimplicium medicamentorum deſcriptione Pa-

tres

tres quoque nostros multum vbique tribuisse certum est, hæc scripsit: Et quidam adulterant Amomum cum planta quę dicitur Amomis, eò quòd assimilatur Amomo, nisi quia non habet odorem eius, nec semen tale, & nascitur in Armenia, & flos eius est similis flori origani: & si vis non decipi ab hac, vel à similibus, caue à planta, quæ est nimis iuuenis, & elige eam, cuius rami egrediuntur ab vna radicę. Adulteratio igitur est in planta simili toti Amomi plantæ, non soli fructui: quia & semen & flores & altitudinem fructuum Amomi maiorem habet Amomis. Non deerunt, arbitror, cuique argumenta, quibus & lignum, & fructus Amomi ex vsu apud medicos antiquitus fuisse persuadeatur. Nos fortasse nimis hoc in argumento sumus commorati, qui si etiam solum Amomi fructum ex vsu fuisse statim ab initio concessissemus: radicem tamen in fructus locum posse substitui defendere poteramus. Equidem si medicamenti vis ea est, quæ mentem nostram in substitutione dirigit, & quid agendum sit docet: profectò de virium identitate planè edocti, nihil prohibet, quin semen radici, lignum semini, & è contra, substituamus. Exemplis id maximè fit manifestum. Acaciæ, quæ succus est. Rhois folia rectè substituuntur. Aspalathum frutex est, & viticis semen habet pro substituto. Calamo aromatico, qui radix est, schœnanthum quod flos est, substituitur: sic ossi de corde cerui, eiusdem rasura subrogatur. Hoc vnum in quacunque substitutione præ oculis habuisse medicos antiquos omnes videre est, vt eiusdem virium medicamenta elige-

rent substituenda: qui si omnino quid simile non inuenerunt, aliquid saltem quàm proximum acceperunt. Ex hoc illud tollitur, quod de Acori radice, Amomo ficciore & minus calida, ex Galeno aduersus substitutionem nostram dicebatur. Quanquam etiam admodum leuis sit differentia huiusmodi, & ferè nihili facienda: ambo si quidem hæc medicamenta, Galeno & aliis omnibus id asserentibus, tertij ordinis caliditatem & siccitatem habent. Amomo itaque Acori radicem substituendam esse, hæc nobis persuadent. Atque hac in re paulò exquisitiore longioréque oratione vti conueniens fuit, quoniam maior Amomi quantitas in hac trochiscorum compositione ab Andromacho posita, tanquam multi momenti res quędam, id requirere nobis videbatur. Mastiche vltimum locum obtinuit, cuius quantitas omnium minima designata fuit, drachmæ scilicet vnius solius. Lentisci resina omnibus nota, Mastiche est, in cuius electione vix est vt decipi quis possit: quare etiam nulla est inter medicos de hoc medicamento disputatio. Vnam chiam, candidiorem & pellucidam accipiendam esse antiquiores medici consuluerunt: dimissa quæ nigri est coloris, Aegyptia. Adulteratur, quorundam opinione, thure ac resina permixtis: ignis tamen adulterium prop labit, thuris, non resinæ, odore emisso. Porrò medicamentis hisce omnibus dictum in modum selectis, & ad quantitatem dictam ponderatis, nihil moræ ad ipsum Magma conficiendum interponere conuenict. Magmatis autem conficiendi modus ex Aetio tetrab. 4.

serm.

ſerm.primo.cap.89.eſto huiuſmodi: Arida contundenda ſunt & cribranda: crorum cum vino in pila diligenter diſſoluendum. Myrrha deinde & Maſtiche adiectis probéque tritis, oleo ex nuce myriſtica in Opobalſami locum ſubſtituto irrigabuntur arida: viníque ea quantitate affuſa quæ ad ſpiſſamentum efficiendum ſufficiat, fiet Magma. Ex hoc deinde paſtilli efformabuntur tenues, in vmbra exiccandi: ea tamen adhibita diligentia, vt ſingulis diebus ſinguli euoluantur, donec probè fuerint exiccati: mox vt Scillini & Viperini ſunt reponendi & conſeruandi. Atque hæc licet ad horum trochiſcorum ex mente Andromachi efformationem ſufficere videantur, vinum tamen ipſum, quod eorum compoſitionem ingredi audiuimus, explicationem aliquam requirere videtur. Huic conditiones nonnullas aſſignauit Aetius, nimirum vt vetus ſit, odoratum & dulce: quas eaſdem ad verbum explicauit Serapio, in li. de Antid. tract.7.cap.8. At Paulus lib.7. de re med.ca.11. vniuerſaliùs locutus eſt, vinóque bono omnia excipienda eſſe dixit. Particulariùs è contrà Andromachus, vt li.primo de Antid.c.10. ſcriptum eſt, ad Falernum deſcendit. Sanè verò ſi Andromachi ſententiam inſequentes (cur verò non ſit inſequenda, nulla extat ratio) vinũ Falernũ acceperimus, erit illud in primis odoratum, ídque cùm tardiùs concoquatur, non poterit non vetus aſſumi. Eſto autem vetuſtatis terminus, vt adhuc amaritudinis ſit expers, veluti authori libri primi de Antid.c.5. placuit. Quod ſi annũ vigeſimũ iam exceſſerit, neque adhuc amaritudinem adeptum

fuerit,id quoque lubentiùs ille idem, vt in cap.4. eiuſdem operis ſcribitur,amplectebatur. Quæ ratio autem fuerit,vt vinò Falerno antiquo,odorato & dulci vtendum nobis eſſe iuſſerint antiqui magiſtri noſtri,nunc explico.Cùm enim Antidotum componerent ad quadrageſimum vſque annum,imò & vlterius ſuas vires conſeruantem, eo vino vtendum illis fuit,quod & ipſum per multos annos ſuas vires ſeruaret,& non aceſceret, in totius compoſitionis perniciem. Eiuſmodi Falernum eſt ſua natura firmiſſimum,optimíſque conditionibus reliqua omnia vina ſuperans, optimúque ex Galeno lib. de ſuccorum bon. & vitio. ca. 11.ſucci.Odoratum pariter vinum requiſitum eſt, quia eius qualitatem huiuſmodi, ſucci bonitatis argumentum eſſe cenſuerit loco eodem Galenus. Hoc ſua quidem natura calefacit:ſed magis cùm vetus eſt,Galeno hoc ipſum expreſſis verbis affirmante,lib.7.meth.med.cap.4. Eam verò excalefactionem in ea Antidoto eſſe neceſſariam, quæ ſuas temporis proceſſu adepta vires calefacit haud ſegniter, eſt mea quidem opinione manifeſtum. Eſt ad hæc tenuius & minùs craſſum, per vlteriorem coctionem ętatis multę cauſa factam, tenuitate maiori acquiſita. Dulce tandem eſt hoc idem eligendum: non quia præ cæteris aliquam Antidoto vim afferat;ſed quia,inquit author libri primi de Antid.cap.5.eius guſtum gratiorem reddit,cui operam dare in his medicamentis quæ intrò aſſumimus cōuenit:præſertim ſi amara multa continuerint, vti theriaca. At quoniam Falernorum vinorum aliud dulce admodum eſt, quod Fauſtinia-

Faustinianum vocant: aliud si cùm hoc conferas, austerum: si cum Signino & Marso dulce, quæ diligens fuit Galeni nostri animaduersio, libr. 12. meth. med. cap. 4. propterea quódnam eorum ex vsu magis sit, non inaniter quæret fortasse quispiam. Galenus quidem, quia eorum medelam eo loco tractat, quibus ex crudis humoribus syncopes periculum imminet: quò maiorem stomacho firmitudinem afferat, austerum, quod & ipsum dulce est, alteri anteponit. At in ea antidoto, quæ, vt dicebatur, amarissima pleraque continet medicamenta, Faustinianum, vt dulcius, calidius & attenuans magis, alteri anteponendum esse ratio suadet. Quoniam autem Falernum vinum ita promptè haberi haud potest: quódnam ideò vini genus eius loco sumendum sit, in disputationem reuocauit Maranta, libr. primo de ther. capit. 29. rémque ipsam eum in modum determinauit, vt quia hac ætate Falernum vinum reperiatur necne, scitu difficile est: neque, si reperitur, omnibus illud habere posse conceditur: alterius propterea generis vinum, eiusdem cùm Falerno qualitatis & virtutis, vinosum nimirum, potens admodum, & multorum annorum, debeat substitui. Neque enim, inquit, Falernum ab antiquis Medicis ea ratione laudatum est, quia id vnum ex vsu esse debeat, sed quia optimi vini conditiones habet omnes, quas sua opinione in alio quoque reperiri posse, est minimè impossibile. Sane verò Falerno vino carentibus, aliud vini genus eiusdem cum eo facultatis & conditionis, substituere permisit Galenus lib. 12. meth. med. cap. 4. quod & voluit libri

primi de Antid. author cap.5. Substitutionis imò modum, nonnullis vini substituendi adiectis exemplis, docemur. Vinum enim, Falerno deficiente, docent conquirendum, quod colore fuluum sit: (non conuenientibus in hisce Antidotis, nigro albo, vel rubro) substantia adeò tenui, vt oculis peruium sit ac transparens: gratúmque eundem cum Falerno præ se ferat, nondum quidem amarum, nec adhuc ob iuuentam crudum, adductis in exemplum, Chio, quod in eiusdem nominis Asiæ insula nascitur: Ariusio, ab eo tractu in quo prouenit, sic cognominato: Lesbio, ita de nomine insulæ in qua oritur, dicto: Tmolite, à monte Ciliciæ cui Tmolus nomen est, vnde aduehitur, nomine sumpto. Ea tamen conditione ac lege vina eiusmodi in hanc substitutionem admittuntur: dummodò Aparachyta nō sint, id est, aquam marinam admixtam non habeant: vel, vt Dioscorides admonet, Sapam. Maximum enim futurum compositioni damnum, ex sic mixtis vinis, ratio ipsa suadet vel manifestè. Hanc igitur Galeni regulam insequentes, Chio, Lesbio & Tmolite vinis carentibus nobis, (neque enim cum Turcis Asiam ferè totam possidentibus liberum aut facile nobis est commercium) vini genus illud, quod Maluatici nomine Venetias in multa quantitate afferri solet, substitui debere, ex eo non solùm affirmat Maranta, quòd in Græcia ipsa nascatur, in regione prædictis Insulis omnino simili: sed quoniam etiam omnes ac singulas Falerni conditiones habeat. Quandoquidem sit aurei siue flaui coloris, pellucidum ac transparens, odoratum,

vinosum,

vinosum, potens ac multi roboris: si præsertim id eligatur quod dulcedinem habet euidentem. Eiusdem ferè conditionis esse voluere aliqui vinum in Centola, tractus Neapolitani oppido, nascens. Fuere & qui eiusdem tractus Græcum dictum laudauerint. Profectò rem hanc tanti momenti esse sentio, vt nisi rectè determinetur, magnum theriaces compositio sit habitura detrimẽtum. Minima siquidem quæque vini praua aut etiam minùs conueniens conditio totius theriacę vim ac præstantiam, Galeno magistro, euertet. Est igitur imprimis res animaduersione digna, vini substitutionem huiusmodi non cuilibet, nec ita liberè, Galenum permisisse: sed si in Asia aut gente aliqua alia, vino ad medicamentum requisito carente, antidotum conficere voluerit quis, supremam quasi substitutionis necessitatem adesse voluerit. Non est mehercle cuipiam ei parcendum diligentiæ, qui nobilissimam antidotum componit, vt optima quæque habeat medicamẽta: soláque necessitate coactus maxima, ad substitutionem deuenire debet. Solus in exemplum nobis sit Galenus, qui vt antidotos exactiùs componeret, nulli labori, nulli studio, nulli denique pepercit solertiæ, & ad substitutiones pro virili euitandas, genuina medicamenta per eos qui talibus in locis, in quibus nascebantur, diuersabantur, conquirebat: vel per Præfectos & Senatores qui illis Regionibus præerant, vel saltem per amicos ibi habitantes. Quare ex magna Syria, è Palæstina, ex Aegypto, è Cappadocia, ex Ponto, è Macedonia, & ex Prouinciis ad

occidentem positis quas Galli habitant & Hispani, & ex oppositas oras incolentibus Mauris, multa medicamentorum genera sibi afferri curauit. Nos verò tanti magistri exemplum dissimulantes & documenta optima spernentes ad exteras regiones confugiemus, & minùs optimum vinum inquiremus, eo relicto optimo quod ex vicinioribus & faciliùs habere possumus? In Italia certè est Falernum ab antiquis appellatum oppidum, prope scilicet Sinuessam in sinu fœlicis olim appellatæ Campaniæ, Capuam versus, sic referente Plinio, lib. 3. nat. hist. ca. 5. In hoc Falerni oppido enascens vinum pro theriaces compositione postularunt Damocrates & Galenus: non quidem tanquam exemplo ad vinum eligendum vtentes sed quia illud ipsum præ cæteris ex vsu futurum esse cognouerunt, dixerúntque: illud inquam quod & Dioscorides libr. 5. cap. 7. & Dionysius Halicarnasseus, lib. primo Romanarum antiquitatum, inter Italica principem locum obtinere enuntiarunt: & cui ferè soli tot annorum spatio, quot theriacam cum suis viribus perdurare posse statutum est, suas vires seruare posse integras datum est. Iam enim eo solo Galenum vti solitum fuisse didicimus, quod à vicesimo anno amaritudinis adhuc erat expers: cuius eiusdem vini mediam ætatem à decimo quinto tantùm anno incipere Plinius lib. 23. cap. primo affirmauit: Et licet lib. 14. cap. 6. Falernum exolescere dicat, copię potiùs quàm bonitati studentium culpa: exemplo tamen ab aliis locis in quibus vinorum copiæ student incolæ desumpto, vix fieri potest, quin & multa

multa optimi vini copia colligatur, recusante locorum quorundam particulari conditione eam culturam, quæ ad maximam vini copiam facit. Quare Dionysius Halicarnasseus loco proximè scripto Falernum agrum vitibus amicum mirum in modum esse dixit,& modico labore plurimos eas reddere fructus & optimos. Rei huius summa ferè tota in lõga vini Falerni(quæcũq. fuerit agri illius cultura)perduratione, cæteris non eueniente,ad longam theriacæ conseruationem necessariam prorsus posita est: cuius vel vnius occasione solum Falernum vinum exquirendum esse dicimus, & reliqua quæ substitui posse dicebantur, inefficacia satis nec admodum tuta esse animaduertimus. Quæ nanque in Chio insula, Lesbo, Tmolitéque colliguntur vina, præterquam quòd iis tantùm, qui in Asia Antidotos componunt, à Galeno conceduntur:nobis quoque à Turcis inimicis interdicuntur. Quòd si ob initum cùm Venetiarum Principe & Turcico Domino fœdus non impossibile esse quis dixerit vina illa habere: quis quæso nos à mercatorum adulteriis & fraudibus tutos faciet? Quo imprimis eodem argumento, vini maluatici vsum improbare fas est. Demus in Græcis insulis, Chio, Lesbo, & Tmolite illud nasci: omnésque cùm in colore, tùm in sapore Falerni & Asiaticorum vinorum conditiones habere:demus etiam in Creta insula, Candia appellata Venetorum dominio subiecta, idem vini genus colligi & faciliùs ad nos adportari, quis, quæso iterum, ab infidelium Turcarum & mercatorum imposturis nos tutos faciet? Adde

toties de vase in vas, vt per omnes Italiæ vrbes vinum huiusmodi exportari possit, refundi, tandem vt eius vires vel maximè frangi & eneruari necesse sit. Quod maius autem esse existimo, illud est quod Petrus Bellonius testis oculatus lib. primo suarum obseruationum ca.14. admonuit: multa scilicet ex iis vinis, quò longiùs exportari possint, priùs decoqui: & quæ circa Caneam & vrbem Candiam colliguntur, & duntaxat in Italiam deferuntur, non decoqui quidem, quia periculum non est vt acescant, sed singulis annis nouis vetera misceri vt meliora euadant. Vinum autē huiusmodi tot annorūm spacio quot theriaca perdurat suas vires integras seruare, quis affirmauerit? Quis item in experimento à Maranta adducto fidem reponet, vt in fundo vasis cuiusdam quædam pauca huius vini quantitas relicta trium annorum spatio integro optima sit conseruata? Demus si lubet id factum fuisse: annorum tamen triginta futuram perdurationem inde colligi posse, quis illi concedet? Adde quoque minus fidei huic vino dandum esse, quoniam de eius ætate certi omnino esse haud possimus. His porrò eisdem rationibus aliorum vinorum, siue Neapoli, siue alibi colligantur, substitutio reprobanda nobis videtur. Ne verò rem hanc contentiosè adeò à nobis tractari quis sibi persuadeat, vt Falerno vino deficiente theriaces compositionem nolimus admittere: eam propterea sententiæ nostræ limitationem esse volumus, vt omni ingenio euitetur substitutio quęque: vrgente tamen necessitate, eligendum inter cætera sit malua-

Maluaticum dictum: sincerum illud quidem, non adulteratum, non minorem quàm octo annorum ætatem habens, & dulce. Verùm vt perdurationi eius quàm par sit breuiori occurramus, minorem theriacæ quantitatem, quę citiùs distrahatur, consulimus componendam. Et de trochiscis Hedychroi sint hæc dicta satis.

PRIMVS SECVNDVSQVE THERIACAM INGREDIENtium medicamentorum ordo.

Caput sextum.

RELIQVA quæ ipsam perficiunt Antidotum nunc attingamus. Eorum sex ordines fecit Andromachus, numero quodam ac quantitate medicamentorum cuique ordini assignatis: nam & duo sunt in cõponendis rectè medicamẽtis spectãda, medicamẽtorũ imponendorũ facultas, eorũdémq; quantitatis conueniens seruata proportio. Nobis itaq; Andromachi compositionẽ hanc Theriacã dictã explicãtibus, deberent hæc omnia ad plenũ explicari. Sed quantitatis & numeri medicamentorum seruatã proportionẽ quid opus est explicare? Hãc exquisitè adeò seruauit Andromachus, vt nõ sine cõpositionis magna iactura aut numerus, aut quãtitas medicamentorũ possit euariari; imò damnẽtur ab omnibus, quicunque quidpiam etiam leuius immutare aut demere temerariè ausi sunt. Seruatæ autem ab Andromacho proportionis rationem reddere velle, superfluum omnino esset, nec præsentis nostri esse videtur instituti

rent substituenda: qui si omnino quid simile non inuenerunt, aliquid saltem quàm proximum acceperunt. Ex hoc illud tollitur, quod de Acori radice, Amomo ficciore & minus calida, ex Galeno aduersus substitutionem nostram dicebatur. Quanquam etiam admodum leuis sit differentia huiusmodi, & ferè nihili facienda: ambo si quidem hæc medicamenta, Galeno & aliis omnibus id asserentibus, tertij ordinis caliditatem & siccitatem habent. Amomo itaque Acori radicem substituendam esse, hæc nobis persuadent. Atque hac in re paulò exquisitiore longioréque oratione vti conueniens fuit, quoniam maior Amomi quantitas in hac trochiscorum compositione ab Andromacho posita, tanquam multi momenti res quędam, id requirere nobis videbatur. Mastiche vltimum locum obtinuit, cuius quantitas omnium minima designata fuit, drachmæ scilicet vnius solius. Lentisci resina omnibus nota, Mastiche est, in cuius electione vix est vt decipi quis possit: quare etiam nulla est inter medicos de hoc medicamento disputatio. Vnam chiam, candidiorem & pellucidam accipiendam esse antiquiores medici consuluerunt: dimissa quæ nigri est coloris, Aegyptia. Adulteratur, quorundam opinione, thure ac resina permixtis: ignis tamen adulterium prodabit, thuris, non resinæ, odore emisso. Porrò medicamentis hisce omnibus dictum in modum selectis, & ad quantitatem dictam ponderatis, nihil moræ ad ipsum Magma conficiendum interponere conueniet. Magmatis autem conficiendi modus ex Aetio tetrab. 4. serm.

ſerm.primo.cap.89.eſto huiuſmodi: Arida contundenda ſunt & cribranda: crorum cum vino in pila diligenter diſſoluendum. Myrrha deinde & Maſtiche adiectis probéque tritis, oleo ex nuce myriſtica in Opobalſami locum ſubſtituto irrigabuntur arida: viníque ea quantitate affuſa quæ ad ſpiſſamentum efficiendum ſufficiat, fiet Magma. Ex hoc deinde paſtilli efformabuntur tenues, in vmbra exiccandi: ea tamen adhibita diligentia, vt ſingulis diebus ſinguli euoluantur, donec probè fuerint exiccati: mox vt Scillini & Viperini ſunt reponendi & conſeruandi. Atque hæc licet ad horum trochiſcorum ex mente Andromachi efformationem ſufficere videantur, vinum tamen ipſum, quod eorum compoſitionem ingredi audiuimus, explicationem aliquam requirere videtur. Huic conditiones nonnullas aſſignauit Aetius, nimirum vt vetus ſit, odoratum & dulce: quas eaſdem ad verbum explicauit Serapio, in li. de Antid. tract.7.cap.8. At Paulus lib.7. de re med.ca.11. vniuerſaliùs locutus eſt, vinóque bono omnia excipienda eſſe dixit. Particulariùs è contrà Andromachus, vt li.primo de Antid.c.10. ſcriptum eſt, ad Falernum deſcendit. Sanè verò ſi Andromachi ſententiam inſequentes (cur verò non ſit inſequenda, nulla extat ratio) vinũ Falernũ acceperimus, erit illud in primis odoratum, ídque cùm tardiùs concoquatur, non poterit non vetus aſſumi. Eſto autem vetuſtatis terminus, vt adhuc amaritudinis ſit expers, veluti authori libri primi de Antid.c.5. placuit. Quod ſi annũ vigeſimũ iam exceſſerit, neque adhuc amaritudinem adeptum

fuerit,id quoque lubentiùs ille idem, vt in cap.4. eiuſdem operis ſcribitur,amplecteбatur. Quæ ratio autem fuerit,vt vinò Falerno antiquo,odorato & dulci vtendum nobis eſſe iuſſerint antiqui magiſtri noſtri,nunc explico. Cùm enim Antidotum componerent ad quadrageſimum vſque annum,imò & vlterius ſuas vires conſeruantem, eo vino vtendum illis fuit,quod & ipſum per multos annos ſuas vires ſeruaret,& non aceſceret, in totius compoſitionis perniciem. Eiuſmodi Falernum eſt ſua natura firmiſſimum,optimiſque conditionibus reliqua omnia vina ſuperans, optimíque ex Galeno lib.de ſuccorum bon. & vitio. ca. 11. ſucci. Odoratum pariter vinum requiſitum eſt, quia eius qualitatem huiuſmodi, ſucci bonitatis argumentum eſſe cenſuerit loco eodem Galenus. Hoc ſua quidem natura calefacit:ſed magis cùm vetus eſt,Galeno hoc ipſum expreſſis verbis affirmante,lib.7.meth.med.cap.4. Eam verò excalefactionem in ea Antidoto eſſe neceſſariam, quæ ſuas temporis proceſſu adepta vires calefacit haud ſegniter, eſt mea quidem opinione manifeſtum. Eſt ad hæc tenuius & minùs craſſum, per vlteriorem coctionem ętatis multę cauſa factam, tenuitate maiori acquiſita. Dulce tandem eſt hoc idem eligendum: non quia præ cæteris aliquam Antidoto vim afferat;ſed quia,inquit author libri primi de Antid.cap.5.eius guſtum gratiorem reddit,cui operam dare in his medicamentis quæ intrò aſſumimus cõuenit:præſertim ſi amara multa continuerint, vti theriaca. At quoniam Falernorum vinorum aliud dulce admodum eſt, quod Fauſtinia-

Faustinianum vocant: aliud si cùm hoc conferas, austerum: si cum Signino & Marso dulce, quæ diligens fuit Galeni nostri animaduersio, libr. 12. meth. med. cap. 4. propterea quódnam eorum ex vsu magis sit, non inaniter quæret fortasse quispiam. Galenus quidem, quia eorum medelam eo loco tractat, quibus ex crudis humoribus syncopes periculum imminet: quò maiorem stomacho firmitudinem afferat, austerum, quod & ipsum dulce est, alteri anteponit. At in ea antidoto, quæ, vt dicebatur, amarissima pleraque continet medicamenta, Faustinianum, vt dulcius, calidius & attenuans magis, alteri anteponendum esse ratio suadet. Quoniam autem Falernum vinum ita promptè haberi haud potest: quódnam ideò vini genus eius loco sumendum sit, in disputationem reuocauit Maranta, libr. primo de ther. capit. 29. rémque ipsam eum in modum determinauit, vt quia hac ætate Falernum vinum reperiatur nec ne, scitu difficile est: neque, si reperitur, omnibus illud habere posse conceditur: alterius propterea generis vinum, eiusdem cùm Falerno qualitatis & virtutis, vinosum nimirum, potens admodum, & multorum annorum, debeat substitui. Neque enim, inquit, Falernum ab antiquis Medicis ea ratione laudatum est, quia id vnum ex vsu esse debeat, sed quia optimi vini conditiones habet omnes, quas sua opinione in alio quoque reperiri posse, est minimè impossibile. Sane verò Falerno vino carentibus, aliud vini genus eiusdem cum eo facultatis & conditionis, substituere permisit Galenus lib. 12. meth. med. cap. 4. quod & voluit libri

primi de Antid. author cap. 5. Substitutionis imò modum, nonnullis vini substituendi adiectis exemplis, docemur. Vinum enim, Falerno deficiente, docent conquirendum, quod colore fuluum sit: (non conuenientibus in hisce Antidotis, nigro albo, vel rubro) substantia adeò tenui, vt oculis peruium sit ac transparens: gratúmque eundem cum Falerno præ se ferat, nondum quidem amarum, nec adhuc ob iuuentam crudum, adductis in exemplum, Chio, quod in eiusdem nominis Asiæ insula nascitur: Ariusio, ab eo tractu in quo prouenit, sic cognominato: Lesbio, ita de nomine insulæ in qua oritur, dicto: Tmolite, à monte Ciliciæ cui Tmolus nomen est, vnde aduehitur, nomine sumpto. Ea tamen conditione ac lege vina eiusmodi in hanc substitutionem admittuntur: dummodò Aparachyta nō sint, id est, aquam marinam admixtam non habeant: vel, vt Dioscorides admonet, Sapam. Maximum enim futurum compositioni damnam, ex sic mixtis vinis, ratio ipsa suadet vel manifestè. Hanc igitur Galeni regulam insequentes, Chio, Lesbio & Tmolite vinis carentibus nobis, (neque enim cum Turcis Asiam ferè totam possidentibus liberum aut facile nobis est commercium) vini genus illud, quod Maluatici nomine Venetias in multa quantitate afferri solet, substitui debere, ex eo non solùm affirmat Maranta, quòd in Græcia ipsa nascatur, in regione prædictis Insulis omnino simili: sed quoniam etiam omnes ac singulas Falerni conditiones habeat. Quandoquidem sit aurei siue flaui coloris, pellucidum ac transparens, odoratum,
vinosum,

vinosum, potens ac multi roboris: si præsertim id eligatur quod dulcedinem habet euidentem. Eiusdem ferè conditionis esse voluere aliqui vinum in Centola, tractus Neapolitani oppido, nascens. Fuere & qui eiusdem tractus Græcum dictum laudauerint. Profectò rem hanc tanti momenti esse sentio, vt nisi rectè determinetur, magnum theriaces compositio sit habitura detrimētum. Minima siquidem quæque vini praua aut etiam minùs conueniens conditio totius theriacę vim ac præstantiam, Galeno magistro, euertet. Est igitur imprimis res animaduersione digna, vini substitutionem huiusmodi non cuilibet, nec ita liberè, Galenum permisisse: sed si in Asia aut gente aliqua alia, vino ad medicamentum requisito carente, antidotum conficere voluerit quis, supremam quasi substitutionis necessitatem adesse voluerit. Non est mehercle cuipiam ei parcendum diligentiæ, qui nobilissimam antidotum componit, vt optima quæque habeat medicamēta: soláque necessitate coactus maxima, ad substitutionem deuenire debet. Solus in exemplum nobis sit Galenus, qui vt antidotos exactiùs componeret, nulli labori, nulli studio, nulli denique pepercit solertiæ, & ad substitutiones pro virili euitandas, genuina medicamenta per eos qui talibus in locis, in quibus nascebantur, diuersabantur, conquirebat: vel per Præfectos & Senatores qui illis Regionibus præerant, vel saltem per amicos ibi habitantes. Quare ex magna Syria, è Palæstina, ex Aegypto, è Cappadocia, ex Ponto, è Macedonia, & ex Prouinciis ad

occidentem positis quas Galli habitant & Hispani,& ex oppositas oras incolentibus Mauris,multa medicamentorum genera sibi afferri curauit. Nos verò tanti magistri exemplum dissimulantes & documenta optima spernentes ad exteras regiones confugiemus,& minùs optimum vinum inquiremus, eo relicto optimo quod ex vicinioribus & faciliùs habere possumus? In Italia certè est Falernum ab antiquis appellatum oppidum,prope scilicet Sinuessam in sinu fœlicis olim appellatæ Campaniæ,Capuam versus,sic referente Plinio,lib.3.nat.hist.ca.5. In hoc Falerni oppido enascens vinum pro theriaces compositione postularunt Damocrates & Galenus:non quidem tanquam exemplo ad vinum eligendum vtentes sed quia illud ipsum præ cæteris ex vsu futurum esse cognouerunt, dixeruntque: illud inquam quod & Dioscorides libr.5.cap.7. & Dionysius Halicarnasseus, lib. primo Romanarum antiquitatum, inter Italica principem locum obtinere enuntiarunt:& cui ferè soli tot annorum spatio, quot theriacam cum suis viribus perdurare posse statutum est, suas vires seruare posse integras datum est. Iam enim eo solo Galenum vti solitum fuisse didicimus,quod à vicesimo anno amaritudinis adhuc erat expers: cuius eiusdem vini mediam ætatem à decimo quinto tantùm anno incipere Plinius lib. 23.cap.primo affirmauit: Et licet lib.14.cap.6.Falernum exolescere dicat,copię potiùs quàm bonitati studentium culpa: exemplo tamen ab aliis locis in quibus vinorum copiæ student incolæ desumpto, vix fieri potest,quin &

multa

multa optimi vini copia colligatur, recusante locorum quorundam particulari conditione eam culturam, quæ ad maximam vini copiam facit. Quare Dionysius Halicarnasseus loco proximè scripto Falernum agrum vitibus amicum mirum in modum esse dixit,& modico labore plurimos eas reddere fructus & optimos. Rei huius summa ferè tota in lõga vini Falerni(quæcũq. fuerit agri illius cultura)perduratione, cæteris non euenien-te,ad longam theriacæ conseruationem necessariam prorsus posita est: cuius vel vnius occasione solum Falernum vinum exquirendum esse dicimus, & reliqua quæ substitui posse dicebantur, inefficacia satis nec admodum tuta esse animaduertimus. Quæ nanque in Chio insula, Lesbo, Tmolitéque colliguntur vina, præterquam quòd iis tantùm, qui in Asia Antidotos componunt, à Galeno conceduntur:nobis quoque à Turcis inimicis interdicuntur. Quòd si ob initum cùm Venetiarum Principe & Turcico Domino fœdus non impossibile esse quis dixerit vina illa habere: quis quæso nos à mercatorum adulteriis & fraudibus tutos faciet? Quo imprimis eodem argumento, vini maluatici vsum improbare fas est. Demus in Græcis insulis (Chio, Lesbo, & Tmolite illud nasci: omnésque cùm in colore, tum in sapore Falerni & Asiaticorum vinorum conditiones habere:demus etiam in Creta insula, Candia appellata Venetorum dominio subiecta, idem vini genus colligi & faciliùs ad nos adportari, quis, quæso iterum, ab infidelium Turcarum & mercatorum imposturis nos tutos faciet? Adde

toties de vase in vas, vt per omnes Italiæ vrbes vinum huiusmodi exportari possit, refundi, tandem vt eius vires vel maximè frangi & eneruari necesse sit. Quod maius autem esse existimo, illud est quod Petrus Bellonius testis oculatus lib. primo suarum obseruationum ca.14. admonuit: multa scilicet ex iis vinis, quò longiùs exportari possint, priùs decoqui: & quæ circa Caneam & vrbem Candiam colliguntur, & duntaxat in Italiam deferuntur, non decoqui quidem, quia periculum non est vt acescant, sed singulis annis nouis vetera misceri vt meliora euadant. Vinum autē huiusmodi tot annorūm spacio quot theriaca perdurat suas vires integras seruare, quis affirmauerit? Quis item in experimento à Maranta adducto fidem reponet, vt in fundo vasis cuiusdam quædam pauca huius vini quantitas relicta trium annorum spatio integro optima sit conseruata? Demus si lubet id factum fuisse: annorum tamen triginta futuram perdurationem inde colligi posse, quis illi concedet? Adde quoque minus fidei huic vino dandum esse, quoniam de eius ætate certi omnino esse haud possimus. His porrò eisdem rationibus aliorum vinorum, siue Neapoli, siue alibi colligantur, substitutio reprobanda nobis videtur. Ne verò rem hanc contentiosè adeò à nobis tractari quis sibi persuadeat, vt Falerno vino deficiente theriaces compositionem nolimus admittere: eam propterea sententiæ nostræ limitationem esse volumus, vt omni ingenio euitetur substitutio quæque: vrgente tamen necessitate, eligendum, inter cætera sit malua-

Maluaticum dictum: sincerum illud quidem, non adulteratum, non minorem quàm octo annorum ætatem habens, & dulce. Verùm vt perdurationi eius quàm par sit breuiori occurramus, minorem theriacæ quantitatem, quę citiùs distrahatur, consulimus componendam. Et de trochiscis Hedychroi sint hæc dicta satis.

PRIMVS SECVNDVSQVE THERIACAM INGREDIENtium medicamentorum ordo.

Caput sextum.

RELIQVA quæ ipsam perficiunt Antidotum nunc attingamus. Eorum sex ordines fecit Andromachus, numero quodam ac quantitate medicamentorum cuique ordini assignatis: nam & duo sunt in cōponendis rectè medicamētis spectāda, medicamētorū imponendorū facultas, eorūdémq; quantitatis conueniens seruata proportio. Nobis itaq; Andromachi compositionē hanc Theriacā dictā explicātibus, deberent hæc omnia ad plenū explicari. Sed quantitatis & numeri medicamentorum seruatā proportionē quid opus est explicare? Hāc exquisitè adeò seruauit Andromachus, vt nō sine cōpositionis magna iactura aut numerus, aut quātitas medicamentorū possit euariari: imò damnētur ab omnibus, quicunque quidpiam etiam leuius immutare aut demere temerariè ausi sunt. Seruatæ autem ab Andromacho proportionis rationem reddere velle, superfluum omnino esset, nec præsentis nostri esse videtur instituti

Andromachum exquisitè adeò eam seruasse sufficit credidisse: vt propterea mirandæ cuiusdam facultatis sit compositio. At medicamentorum compositionem ingredientium facultates nouisse tanti Galenus fecit, lib. 1. de Theriaca ad Pison. cap. 3. vt singulorum quæ theriacæ imponuntur diligentem examinationem, ita vt ne minima quidem res neglecta sit, mirabilium eius effectuũ magnam causam esse enuntiauerit. De medicamentorum igitur, quæ theriaca in compositione recipit, natura ac viribus agere necessarium nobis est atque simul vtile. Atque eò vtilior, quò difficilior, res hæc est. Artem quidem (dicebat libri primi de Antid. author cap. 2.) Antidotos conficiendi si quis acuto ingenio vir vel semel tantùm inspexerit, facilè discet: vt verò eorum quæ imponuntur notitiam consequamur, non semel bisue, aut ter, sed sæpius admodum sigillatim quęque obseruasse necesse est: etiam si quis attentiùs ab aliquo commonstrante ac verbis docentę cuiusmodi sunt quæ sunt optima discat. Quòd si nullo monstrante ex libri alicuius lectione, vt Dioscoridis vel Theophrasti, in eorum cognitionem peruenire aliquis velit, lõgè maiori ipsi opus est inspectione, priusquam exactè singularum medicinarum virtutes ac vitia diiudicare sciat. At longè difficilius negotium huiusmodi eo nomine cognoscimus, quòd Dioscorides, Theophrastus & alij de re herbaria scriptores antiqui medicamenta vulgo notissima persæpe non descripserint, aut saltem vix inchoatè: quia scilicet notissimas res nobis ob oculos ponere ineptum

ineptum fortaſſe iudicauerint: ſolis iis exactè deſcriptis, quæ vel omnino ignota erant, aut certè parum nota: ex quo factum eſt, vt ignota propter illorum diligentem deſcriptionem nunc agnoſcantur: notiora ob neglectam deſcriptionem aut inchoatè traditam vel prorſus ignorentur, vel tãtas inter medicos lites excitarint, vt poſſint cum ignoratis numerari: cuius rei cùm paſſim occurrant exempla, non eſt vt in eis recenſendis fruſtrà tempus conteramus. Rei itaque huius difficultate nequaquam perterriti, ſed commonefacti tãtùm, ad ea de quibus nobis ſermo futurus eſt attentiùs conſideranda maximè perſuademur. Primus itaque ordo ſolas ſcillinorum paſtillorum drachmas octo ſupra quadraginta continet: quod his carminibus expreſſit Andromachus:

His igitur lancem primùm cumulabis, & octo
Biſq; decem drachmas accipe biſq; decem.

Bis decem numerum explet vigeſimum: iterum bis decem additis, idem adhuc expletur vigeſimus numerus: quibus copulatis numerus conſtituitur quadragenarius: cui addito octonario, ad octonarium ſupra quadragenarium aſcendit totus. Eandem ſcillinorum paſtillorum quantitatem approbarunt Andromachus Iunior, vt primo lib. de Antid. cap. 7. ſcribitur: libri de vſu theriacæ ad Pamphil. author, Damocrates in prima deſcriptione: Actius tetrab. 4. ſerm. primo cap. 91. Paulus lib. 7. de re med. cap. 11. Serapio lib. de Antid. tract. 7. ca. 8. Auicenna lib. 5. ſum. prima, tract. primo: Haly Abbas lib. 10. tract. cap. 4. Horum omnium ſententia eo conſilio à nobis adducta eſt,

vt Demetrij erratum quisque damnaret promptiùs, qui Galeno referente damnantéque lib. de ther. ad Pis. cap. 12. in cæteris omnibus Andromachum secutus, in solo pastillorum scillinorũ pondere ab eo & aliis omnibus euariauit, solis quadraginta sex drachmis assumptis. Hos pastillos excalefacere, exiccare, attenuare, abstergere, venenísq; aduersari is intelliget, qui scillæ & orobi, ex quibus componuntur, easdem facultates inesse à nobis antea demonstratum meminerit.

Secundi ordinis medicamenta quatuor sunt ad summum, pastilli nimirum Viperini, Hedychroi, Piper longum & Opium: quorum singulorum quantitatem drachmas vigintiquatuor excedere minimè debere, hunc in modum determinauit Andromachus:

Dimidium super adde rotæ quam Vipera fecit:
Et piperis longi sit quoque pondus idem:
Sitq; Opij tantum: tantum medicaminis eius
Quod grati nomen Magma coloris habet.

Horum pastillorum vires hæ sunt: Hedychroi excalefaciunt, exiccãt, attenuantque valenter: viscera firmant omnia, córque ipsum potissimũ: quod quæ eorum compositionem ingrediuntur medicamenta præcipuè attestantur. Sunt ea omnia calida & sicca multùm: sunt Aromata, quæ omnia visceri cuique interno amicissima esse Galenus docuit, lib 14. meth. med cap. 12. At ex viperis cõpositos trochiscos id pręcipuum habere, quòd omnibus venenis & serpentum morsibus, viperęq; præsertim efficaciùs aduersentur, illud ostendit, quod de causa adiectionis viperarum, huius nostri sermonis

ſermonis cap. primo, ex Galeno adduximus. Attenuant hi, adhæc excalefaciunt, exiccant, ac valenter digerunt: quibus nominibus, morbis omnibus cutaneis, lepræque & elephantiaſi præſertim, illos præſtò eſſe, Galenus & cum eo antiqui Medici omnes affirmarunt. Piper longũm ad examẽ nunc reuocetur: de quo illud ante determinari debere nobis videtur: an ſcilicet lóngum, vt Senior Andromachus iuſſit, accipiendum ſit, an potiùs nigrum, vt Iunior eius filius, Damocrates, libri de vſu ther. ad Pamphil. author, Aetius, Auicenna, Haly & Serapio, quaſi aduerſus Seniorem Andromachum coniuratione facta, determinarũt. Etenim licet Senioris Andromachi authoritas vrgeat vel maximè: tantorum tamen virorum vnus conſenſus non ſine temeritate ſperni poſſe videtur: atque eò magis quòd ex recentioribus aliqui, Seniore Andromacho dimiſſo, alios inſequi potiùs voluerunt, nigrúmque, non longum Piper acceperunt. Sanè verò ſi quod Theophraſtus libro 9. de hiſt. plant. cap. 22. de Pipere ſcribit prorſus verũ eſſet, nec ab Andromacho Seniore Iunior, & alij antiqui medici, nec inter ſe recentiores multi diſſentirent. Duo tantùm piperis genera ibi cùm faciat Theophraſtus, rotundum vnum Erui modo, tegmine carnéque conſtans ſicut laurina bacca, ſubrutilum: oblõgum alterũ, nigrum, ſemina papaueris continens; & longũ & nigrum Piper idẽ eſſent & vnum, eodémq; modo & qui lõgum & qui nigrũ illud poſtulãt ſentirẽt. Sed quominus id Theophraſto cõcedamus & verũ eſſe fateamur, obſtant ſua authoritate Dioſcorides & Galenus,

tria Piperis genera, forma inter ſe prorſus diuerſa, manifeſtè qui conſtituerunt: lõgum, nimirum album & nigrum. His porrò tantò plus fidei dandum eſt, quantò fidelius recẽtiorum teſtimonium eſt, qui eas regiones in quibus piper naſcitur perluſtrarunt, ſuiſque oculis tria dicta Piperis genera obſeruarunt, & rem ſic ſe habere affirmarunt. Nos in ea ſumus ſententia, longum Piper, non nigrum accipiendum eſſe. Præterquam quòd enim δολιχὸν Græca Andromachi lectio habet: quę dictio longum ſine controuerſia ſignificat, illud vltrò addimus in quarto huius compoſitionis ordine nigrum poſtea Piper aſſumi, vt non ſit credendum idem medicamentum in eadem compoſitione bis & in diuerſa quãtitate aſſumptum fuiſſe ab Andromacho. Galenus verò in lib. de ther. ad Piſ. cap. 12. longum piper & non nigrum in ea quam ibi deſcripſit theriaces compoſitione poſuit. Quòd verò ad eorum multorum qui ſecus ſenſerunt opinionem attinet, eos omnes Iuniorem Andromachum cæcutientem & à Patris voluntate recedentem inſecutos fuiſſe certa res eſt. Tribuerunt ei certè nimis viri illi grauiſſimi, in eo, vt ipſe arbitror, decepti, quia Senioris Andromachi filius fuit. Hunc autem à Patre ſine ratione receſſiſſe illud argumento eſt, quòd nullam huius permutationis rationem attulit. Non ſunt tamen antiquorum compoſitiones ne minima quidem ex parte ſine neceſſitate immutandæ. Sunt qui exiſtiment, longo Piperi nigrum ſubſtituiſſe Iuniorem Andromachum, vt acutiorem ſicciorémque redderet theriacã, quam mitiorem

conficere

conficere Senior voluerat. Calidius autem & ſiccius eſſe Piper nigrum, minùs calidum & ſiccum longum vt certum ſupponunt. Sed quicquid ſit de vtriuſquePiperis facultate determinandum (quod nunc non aggredior) quis Iuniorem Andromachum à temeritate defendet, ſi Patris medicamẽtum eo conſilio immutauit? Vel enim Patris ſui theriacam nobis quaſi per manus tradere inſtituerat, vel non. At quam equeſtri oratione Senior compoſitionem conſcripſerat, Iuniorem filium in eo libro cui titulus eſt de medicinis intrò aſſumendis pedeſtri oratione ſcripſiſſe, in cap. 7. libri primi de Antid. admonemur. Vt quid igitur Patris ſcripta filius immutauit? Si mitiorem Senex facere determinauit theriacam, cur eam acutiorẽ & ſicciorem facere Iunior voluit? Propriam igitur non paternam compoſuit. Ea propter qui pipere nigro vti maluerunt, Iunioris non Senioris Andromachi theriacam compoſuerunt. Et tamen Senioris Antidotum omnes ac ſinguli titulo quoque illius adiecto componere profeſſi ſunt. Rem tamen paucis perſtringamus, dicamúſque Piper lõgum poſuiſſe in ſua cõpoſitione Seniorem Andromachum: nobíſque eiuſdem compoſitionem facere volentibus idem piperis genus accipiendum eſſe. Quid igitur ſit Piper longum & quam facultatem habeat, nunc explicemus. Hoc, ſi Galeno Dioſcoridique fides adhibẽda eſt, eſt ipſummet Piper immaturum, veluti ſiliqua habens intus aliquid tenui milio ſimile, quod tandem in perfectum Piper euadit: ſuis nanque temporibus dehiſcens, pãdenſque ſeſe racemos emittit, grana

ferentes qualia videmus: quæ si acerbæ colligãtur, candidum colorem habent & albũ Piper faciunt. Ab his, vt proximè admonuimus, diuersus fuit Theophrastus, duas tantùm eius species constituens, longũ quod idem cum nigro esse voluit, & rotundum, Erui modo tegmine carneque constãs sicut laurina bacca, subrutilum: quem voluisse inter eius species candidum enumerare quis fortasse dixerit, quia sola acerbitate & colore à nigro differat, huic alioqui in cæteris simillimum. Et hæc ab omnibus singulísque approbata fuit Piperis historia, donec regiones illas in quibus nascitur recentiores perlustrarunt, & diuersas Piperis species, & in diuersis regionibùs diuersas eiusdem enascentes plantas suis oculis inspexerunt. Videas itaque Garciam ab Horto medicum Hispanum, Christophorum à Costa medicum Africanum, in his quos de simplicibus medicamentis in India prouenientibus libris scripserunt, & Ludouicum Romanum in suis nauigationibus id potissimùm affirmasse. Multi sanè ab omnibus fieri video oculatam istorum fidem, ac meritò quidem. Quòd tamen ad rem hanc attinet, longi Piperis plantam se vidisse non affirmant, sed ex aliis tantùm audiuisse dicunt: de qua re omnes hoc loco volumus esse commonefactos. Sed siue hoc, siue illo modo res hæc determinetur, non multi facimus. Nobis sufficit cùm in conditionibus, tum in facultatibus longi Piperis omnes in vnum cõuenisse. Longitudinem admittũt omnes ac singuli, eíque tertij ordinis caliditatem, cũ secundi

cūdi ordinis ſiccitate iunctam neſſe omnes affirmant,ipsūque inter aromata enumerāt,venenorū euincendorum facultate eidem conceſſa.Lōgum tamen paulò vehementiùs mordere, & ſubamarum eſſe, Antidotis & theriacis medicaminibus expetitum, Dioſcorides admonet. Hoc idem non eſſe calidius nigro & albo Pipere, his qui hoc aſſeruerunt concedimus, ſed illius actionem diutius perſeuerare verè Galenum affirmaſſe dicimus,cùm libro ſexto de ſimpl. med.facult. cap.de Gingibere, tùm eiuſdem operis libro octauo, cap.de Pipere: quod propterea fieri idem ibidem affirmat, quia non ita elaboratam, vt alia Piperis genera,habet ſubſtātiam, ſed craſſiorem, non ſiccam & terreſtrem,ſed humidā potiùs atq; aqueam: quò fit vt, ſicut ab viridis calamis flamma ſimul celerrimè accenditur & vndique diſpergitur,eundem in modum quæ à ſiccis poteſtate medicamentis editur caliditas. At quæ prodit ab humidioribus, ceu ligna ſunt viridia, & tardiùs accenditur,& durat diutius. Hoc,mea opinione, dum conſideraſſet Andromachus, in eo medicamento, cuius vires multis annis poſſe perdurare deſiderabat, longi Piperis actionem ſuam diutius producentis duplo plus poſuit, quàm nigri, cuius actio citius multò abſoluitur. Quod dicunt recentiores aliqui Piperis cuiuſque duplex genus eſſe, domeſticum vnum, quod optimum ſit,ſilueſtre alterum, ceu ineptum id curæ nobis eſſe non debet, qui (ſi notas ipſius attendimus) id tantùm quod illi domeſticum appellāt habemus. Eſt tamen in eo ipſo ad nos delato Pipere longo

aliqua bonitatis differentia, & quandoque etiam adulterij suspicio maxima: quæ duo Galenus nos admonuit, bonísque eligendi, & adulterati deprehendendi methodum docuit. Esto, inquit ille lib. 4. de tuen. valet. cap. 5. longum Piper, integrum miniméque foratum: esto & verum, ex Barbaris allatum, non adulteratum. Adulteratur autem vel in Alexandria quadam adhibita præparatione: vel herbæ cuiusdam germine supposito. Alexandriæ factam præparationem eam esse credimus, quam ille idem in lib. de ther. ad Pis. cap. 12. his verbis detegit: Quidam enim ipsum confingunt vero piperi longitudine æquale, & imposito Pyrethri vel Napyos aliquantulo, quia sensum hoc pacto mordet, gustātem fallunt. At herbam idem adulterium facientem esse fuluam ab exteris regionibus aduectam, longo Piperi aspectu proximam, scripsit libri primi de Antid. author. cap. 11. Prioris adulterij detectio gustu fit, Galeno magistro, lib. 4. de tuen. valet. loco dicto, diligenter æstimantibus nobis an piperis qualitatem seruet, in aquā deinde illud mittentibus: quia quod factitium est, si per diem integrum in humore maceretur, illico liquatur & soluitur. Adiecit ille idem ad adulterium huiusmodi certiùs deprehendendum, libro de ther. ad Pis. cap. proximè scripto, si pediculum ipsi Piperi adhærentem accuratiùs quis inspexerit, quasi scilicet non possit apposité omnino pediculus effingi. At herba cōcinnatum fraudulenter Piper longum gustu potissimùm detegi, qui à Pipere vero longè diuersus erit, libri primi de Antid. author. eodem loco affirmat.

Opium

Opium, quod secundi huius ordinis vltimum est medicamentum, ex papauere quidem elici vnus omnium est consensus, résque est omni ex parte manifesta: vtrum verò illius succus sit, an lachryma, non item. In libr. 9. de comp. med. sec. loc. cap. 4. & in libr. 8. eiusdem operis cap. primo, Papaueris succum esse Opium ipsum à Galeno admonemur: idem asseruit & Scribonius Largus in lib. de comp. med. in cap. 48. quam in sententiam eoúsque ille processit, vt Meconium idem cùm Opio esse ibidem affirmauerit. In eadem sententia esse Auicennam ea demonstrant, quæ lib. & tract. 2. cap. 527. scripsit. His imprimis aduersatur Dioscorides, lib. 4. cap. 60. qui ex lachryma Papaueris Opium, ex eiusdem succo Meconium cõfici docuit. Qui deinde librum de Antid. 2. scripsit, Opium esse Papaueris lachrimam ab eius succo diuersam, in cap. 7. affirmauit. Marcellus item lib. de medicam. cap. 8. Opium, inquit, verum quod ex lacte Papaueris syluatici captum sit, non ex succo foliorum eius: illud enim cum magno labore, & exiguum conficitur: hoc sine molestia & abundanter teritur. Oribasius idem cum Dioscoride sensit, qui eiusdem de Opio verba lib. 11. collect. medicinal. in dictione Mecon transcripsit. Colligitur & idem vel manifestè ex Theophrasto lib. 9. de Hist. Plant. cap. 8. Itaque diuersa cùm sint succus & lachryma, Galeno sic statuente lib. 7. de simpl. med. facult. ca. de Hedera, digna consideratione nobis visa est controuersia. Facilem tamen hæc habet, mea opinione, solutionem, ob idque potissimùm, quod vt aliàs

quoque à nobis dictum est, nominum obseruationi strictè adeò sese alligare medici noluerunt, quin sæpe & generis nomen pro specie,& speciei pro genere è contra vsurpauerint:cuius rei infinita propemodum sunt apud Medicos scriptores antiquos exempla. Licèt itaque herbarum succus id propriè sit quod exprimitur, à Græcis χυλὸς dictus: lachryma verò,quod ab incisione vel sponte defluit, δάκρυον ab eisdem dicta: nomine tamen ὀπȣ̃, succum vel humorem ab aliqua re quomodolibet emanantem communiter significante, aliquandò succum,quandoque lachrymam subintellexerunt, alterúmque pro altero promiscuè sumpserunt. Galenus manifestè adeò id obseruauit, vt nullus vltro dubitationi locus relictus esse videatur. Libro nanque de simpl. med. facult. 8. in cap. de succo quem ὀπὸν nominat hæc habuit: quauis radice incisa aut caule quod ex vulnere crassum ac lentum effluit,succus est:cęterùm specialiùs & velut per excellentiam quandam Cyrenaicum ita nuncupant & Medicum & Syriacum. Hunc tamen eundem succum, lib. 6. meth. med. cap. 2. & lib. 3. de temp. eiusdem numeri cap. lachrymã appellauit: quo posteriori in loco, quem lib. 7. simpl. Medicum & Syriacum appellauerat succum, lachrymæ nomine vocauit. Quinimò quæcunque ex alio effluunt,siue succi,siue liquores,sub humoris appellatione comprehendi debere præcepto statuit vniuersali, in 6. Epidem. com. 5. Habent hæc autem omnia rationem qua confirmentur satis euidentem:quando non aliter differant succus & lachryma, quàm quòd succus

quidpiam

quidpiam concretum magis eſt:lachryma verò aqueus quidam liquor, quæ fuit Galeni ſententia & doctrina,lib.7.de ſimpl.med.facult. cap.de hedera. Porrò curioſè nimis hæc nos explicaſſe,non eſt vt quiſpiam exiſtimet:ſiquidem & ad aliam de Opio componendam controuerſiam faciant. Succúmne ex papauere expreſſum coctionéve eductum, an potiùs per inciſionem effluentem lachrymam hac in compoſitione aſſumere conueniat, diſputant nonnulli, ſuccúmque alij, alij lachrymam accipiendam eſſe contendunt. Hanc antequam aggrediamur ſedare controuerſiam, nullam inter Galenum, Dioſcoridem & alios adeſſe de Opij eſſentia diſcordiam, vt priùs doceamus conuenit. Qui Papaueris lachrymam eſſe Opium dixerunt, hi magis propriè loquuti ſunt: minùs propriè qui ſuccum, generaliori quodam modo vtentes nomine. Atque ſuccum à lachryma differre vt verum eſt, cùm ſubſtantiæ, tum efficientis cauſæ ratione, vtrunque ita eiuſdem eſſe naturæ, ſola ſecundum magis & minus inter ſe exiſtente differentia, certum eſt: ita vt nec qui eadem, nec qui diuerſa hæc eſſe affirmarunt, corrigi aut debeant aut poſſint. Cæterùm non lachrymam, ſed ſuccum theriaces compoſitionem ingredi debere, eo imprimis argumento perſuadere conati ſunt aliqui, quia ὀπὸν μήκωνος, hoc eſt, papaueris ſuccum ſuis expreſſit carminibus Andromachus. Galenum deinde, ſiue hoc ſiue illud accipiamus, his verbis paruipendiſſe dicunt: ſucci autem omnes ideò vino macerãtur, vt & diſſolui & cõminui aptiùs poſſint, ſagapeni, dico, ſuccus, Panacis, Pa-

K

paueris,quem & Meconium & Opium nominát: leguntur hæc autem in primo lib. de Antid. cap. 15. Neque multi faciunt quod testatur Dioscorides, esse Meconium Opio ignauius, neque propterea succo imposito theriacam suæ perfectionis quidpiam amittere existimant:siquidem testatur Galenus Antoninum Imperatorem theriacam aliquando sine Papaueris succo, quò se Imperii curis occupatissimum à somno liberaret, sumpsisse:neque ob id quicquam ex eius bonitate eam amisisse : quo argumento quemque persuaderi debere volunt,quòd si absque papaueris succo adhuc perfecta est theriaca, eade quoque perfecta erit succoPapaueris,nõ lachryma imposito. Iuniorem propterea Andromachum ipsúmque Damocratem opium,id est, lachrymã imponētes cum his rationibus,tum etiam quia ὀπὸς, vt dicebamus,& humorem expressum, & lachrymam,& Gũmi vniuersaliter significat,nihili fecerũt. Hęc licèt probabilia satis sint, & à viris sint dicta grauissimis,eiusmodi tamen nõ sunt,quæ ex necessitate concludãt. Quin etiã minùs firmis cùm nitãtur fundamētis, & aduersam habeãt rationem, vt ruant necesse prorsus est. Primùm enim si dictionē ὀπὸς & expresso humori & lachrymæ & Gũmi cõmunē esse illi cõcedunt, (quod fatemur nos quoq;)non est ideò vt Andromachi orationē ad succũ potiùs quàm ad lachrymã traducant : cùm potuerit ipse(metríque prętertim causa)succi nomē pro ipsa lachryma vsurpare.Idem de Galeno, de succis vino dissoluēdis differente,dicimus:succíq.n omine nõ minùs lachrymã, quã succũ eum

subin-

ſubintellexiſſe ea verba docẽt, q̃ hũc in modũ eo loco adiecit: Papaueris cuius liquorẽ & Meconiũ & Opiũ vocãt: nominũ æquiuocationẽ his verbis prudẽter omnino effugiens. Neq. minori liquore egere lachrymã vt diſſoluatur, quã ſuccus, qui illius colligendi obſeruãdiq. modũ ſciuerit, cõcedet. Adductã deinde Antonini theriacã ſine Opio aſſumentis hiſtoriã, ex 1. c. li. 1. de Antid. exceptã nõ ea nũc ratione damnare lubet, quia genuinúſne ſit is liber dubitent multi. Sed dẽpto à theriaca Opio, ſomníq, conciliandi facultate eidẽ theriacæ detracta, Andromachi quoque nomen & authoritatẽ eam amiſiſſe dicimus. Licèt ne fortè ſine totius harmoniæ diſſonantia medicamentũ aliquod, ex iis quæ tãto ſtudio, ac mirando vbique iudicio in hac prçſtãtiſſima Antidoto poſita ſunt, ex toto eximerç, aut alitercũque immutare? Tãti hoc referre cẽſeo, vt ſeruatis etiã medicamẽtorũ numero põderéque ſi fortè fortuna valida debilibus admiſceantur, inualidis fortia prçualẽãt, totáque cõpoſitio vitietur. Hoc eorũ exẽplo lib. 1. de Antid. author animaduertit in cap. 2. qui validum opium & validam Myrrham inualidis aliis medicamentis immiſcentes, particularem quandam vim theriacę tribuerunt. Peculiare quoddam medicamentum, ſuis pro tempore neceſſitatibus ſatisfaciens, expetiuiſſe Antoninum Imperatorem conſtat, qui modò Opium ad vigilias accerſendas, demebat: modò ad eaſdem impediendas illud idem reponebat. Nobis verò theriacam ad effectus ab Andromacho enumeratos componentibus, hæc particularia affectare, nequaquam li-

cet.Minùs itaque firmis quòd nitatur horum opinio fundamentis,iam, vt arbitror,manifestè constat.Rationem autem ipsam contrarium suadere nunc demonstro. Ex his quæ Iunior Andromachus soluta oratione scripsit,ea quę Senex Elegiaco versu obscurè tradidit posse quemque intelligere, in cap.7. libri primi de Antid. scriptum est. Quid ὀπὸς μήκωνος Seniori Andromacho significet obscurum cùm sit, ex Iunioris descriptione Opium ipsum,'quod propriè lachryma est,imponentis manifestum fit.Damocratem item res easdem cum Andromacho Seniore imposuisse, ac solo pondere diuersum fuisse Galenus affirmat, lib.de ther. ad Pison. cap.12. At in eius Antidoti descriptione Elegiacis carminibus exarata,Opij, quod lachryma est, nō succi fit mentio.Rem hāc manifestauit clariùs qui librum de theriacæ vsu ad Pamphil.scripsit, Papaueris lachrymā pressiùs exprimens:constat hoc idem adhuc clariùs ex antiqua theriaces descriptione, in cap.17. lib. primi de Antid. hexametro carmine nobis tradita, in qua carmen est huiusmodi:

Atq; suo fundunt quem secta Papauera succum Vulnere.

Rectius quoque esse lachryma quàm succo vti,inde quoque certiùs ostenditur : quòd perfectissima quæque in suo genere medicamenta, ad optimam conficiendam theriacam,omni cura ac diligentia perquirenda esse Galenus vbique inculcauit:sed Papaueris lachrymam,quæ verum est Opium , eius succo quomodolibet aliter collecto præstantius multò esse Dioscorides & Galenus

lenus vnà cum cæteris omnibus vno ore enunciant. Præterea siue Opium imposuisse Andromachum dixeris, vt vim somniferam medicamẽto ipsi daret ex tempore:siue ad calidorum medicamentorum vim quoquomodo contemperandam(quorum vtrumque probabilitatem multam habet) id Opij genus, quod magis refrigerantem vim habet, maiori ex vsu futurum esse vt fatearis necesse est. Tot tantæque caliditatis sunt reliqua ferè omnia medicamenta,vt ab eo solo,quod vehementiorem habet frigiditatem, posse ea contemperari persuadeamur. Atque eorum ipsorum eadem reluctante caliditate, solius insigniter frigidi medicamenti vires eam superare,& somnum conciliare posse manifestum est:cuius rei non inde tantùm certa colligitur demonstratio, quòd inter ea medicamenta Opium reposuit Andromachus, quæ maiorem habent quantitatem: sed quoniam etiam tempore procedente, calidioribus pártibus, frigidas superantibus euincentibúsque,totius Antidôti frigiditatem euinci ac propemodum totam euanescere contingit: tantúmque abest vt somnum conciliare apta sit ampliùs, vt potiùs somniferis aduersetur morbis, & vigilias excitet longiores. Hæc si vera sunt,vt certè verissima, Papaueris lachrymam in Antidoto nobilissima imponentes iis longè rectiùs sentiunt ac faciunt, qui succum imponi debere contendunt. Sunt tamen qui propter multum ipsius Opij amarorem eius frigiditatem in dubium reuocent: sed si id eueniat, quia frigidis Opij multis partibus paucæ aliquę calidæ amaritudinem habentes

adiungantur (quæ recentiorum multorum fuit o-
pinio) siue etiam quia in frigiditate ipsa essentiam
aliquando habeat amarus sapor, vt Auerroes lib.
5. colliget cap. 27. contendit, præsentis non est in-
stituti disputare. Vna nunc nobis sufficiat ex-
perientia, cuicunque Opij speciei insignem ad-
esse frigiditatem in dies confirmans. Quoniā au-
tem & lachrymam hanc, quam in theriaca impo-
nendam esse contendimus, non vna tantùm Papa-
ueris specie incisa effluere constat: quænam ideò
ex multis eligenda sit, docere operæpretium e-
rit. Papaueris quatuor ad summum producuntur
genera, satiuum vnum, siue hortense, quod θυλα-
κίτην Græci vocant, cuius tres produntur species:
capitulo oblongo & semine candido prima: quod
semen aliàs, núncque etiam in aliquibus regioni-
bus panibus sanitatis causa inspergitur, vel totum
in secunda mensa bellarij loco editur: secunda, cui
caput insidēs demissúmque est, & semen nigrum,
id πιθῖτις nominatur nonnullis: tamen & ipsum
ῥοιὰς dicitur, quoniam ex eius scapo lacteus suc-
cus emanat, Dioscoridi siluestre papauer dictum:
tertia multò his longior & productiore capitulo,
magis adhuc siluestris. Secundum verò genus Pa-
paueris erraticum est, quod ῥοιάδα dicunt, quia
flos eius protinus decidat, in aruis cū hordeo na-
scens, capite oblongo, cuius semen est ruffum.
Tertium κερατῖτις, hoc est, corniculatum ab iis-
dem dicitur, semine pusillo nigróque. Quartum
ἀφρῶδες, hoc est, spumeum siue Heracleum iidem
dixere, totum candidum. His porrò omnibus
Papaueris speciebus insignem refrigerandi vim
Diosco-

Dioſcorides tribuit: magis tamen aptam medicamentis eam primi generis ſpeciem iudicauit, libro 4. cap. 60. quam ille idem magis ſilueſtrem appellauit, quæ cum ſemine nigro longiora habet capita. Sed hæc quoque ſemina ex ſolo ipſo in quo naſcuntur diuerſitatem habent aliquam. Galenus enim interdum Hiſpanicum commedat Opium, interdum Libycum & ſæpius Thebaicum, Aetius aliquando Aſianum, interdum & Achaicum. Aduehitur quoque ex Indicis regionibus, putà è Gairo, ex Adem aliiſque locis Erythræo mari propinquis. Et qui Indicas ſcripſerunt hiſtorias in Cambaya, in Mandam & Chitor Opium quoque colligi docent. Ex Apulia etiam non exigua eius copia Venetias afferri ſolet: ſicuti etiam in Ferrarienſi agro tertiam ſilueſtris Papaueris ſpeciem à Dioſcoride deſcriptam copioſè creſcere, magis etiam quàm in montibus efficacem, Braſauolus in Herbarum examine teſtatus eſt. Non defuere cuique ſua argumenta, quibus hoc vel illud Opij genus ſuæ accommodarent opinioni: in ea tamen de qua nunc agimus theriacæs compoſitione Thebaicum, vt omnium potentiſſimum, imponendum eſſe ratio ipſa ſuadet. Eſt id tantæ facultatis, vt quendam, hoc ipſo in theriaca impoſito, reliquiſque medicamentis imbecillioribus poſitis, Philonio ſimilem viribus theriacam feciſſe admonuerit, libri primi de Antidot. author, capit. ſecundo. Quapropter cuiuſque generis præſtantiſſima medicamenta eligenda nobis cùm ſint, Thebaicum quoq. Opium, ceu optimum, erit nobis eligendū.

sunt Thebæ (siue Thessalicas, siue Bœoticas, siue Aegyptias, siue Troadas, siue Phthiotidas intellexeris) Aegypti oppida, insulæ vrbésque, Plinio lib: quarto; cap. tertio & octauo, & lib. quinto cap: decimonono, & lib. trigesimosexto, cap. 8. Strabone lib. 9. & 17. Geographiæ, & Homero lib. 9. Odysseæ authoribus, regiones siue loci omnes fere conterminí. Quanquam sint qui hoc tempore dicant Thessalicam & Bœoticam insulas maximo interuallo ab Aegypto distare, neque esse illius conterminas regiones. Quare cùm prope Alexandriam Aegypti sint Thebæ, vt docet Strabo lib. 17. cùm agit de Palmæ fructu, & ab Alexandria ad nostras regiones multa medicamentorum & aliarum mercium genera, deferantur; mirari non desino cur Thebaicum Opium afferri non curent, qui alias minoris multò momenti res habere contendunt. Atque eò magis miror, quia qui longinquas illas regiones lustrarunt medici doctissimi Thebaicum ab antiquis vocatum Opium illud esse affirment, quod in vrbis Cairi tractu colligitur: ex quo loco pleraque ad nos adferri quis nescit? Atque vt hanc negligentiam damnare par est: ita iam consuetam in multis Italiæ vrbibus Meconij in Opij locum liberè accipiendi pertinaciam non possumus non summopere dedignari. In eo saltem qui theriacam componunt diligentes esse deberent, vt si Thebaicum Opium, quod omnium est præstantissimum, habere nulla possunt industria, saltem ei quàm proximum, quo vtantur inquirerent: lachrymámque non succum eligerent omni adulterij suspicione

carentem

carentem & optimam, cuius conditiones omnes & singulas planè adeò docuit Dioscorides, lib.4. cap.60. vt is solus decipi posse videatur, qui oscitanter nimis rem inspexerit. Graue esse optimum Opium, densum, gustu amarum, odoratu soporiferum, quod facilè aqua diluitur, leue, candidum, neque asperum, neque grumosum: quod inter colandum, non vt cera coëat, & in sole diffundatur, lucernis admotum non atra luceat flamma, & denique extinctum odoris vim conseruet, loco scripto docemur. Adulterari ibidem admonemur Glaucio, Gummi, aut siluestris lactucæ succo. Facilem tamen docemur ibidem esse adulterij cuiusque detectionem. Nam Glaucio fucatum Opium, in dilutione croci colorem reddere: quod è lactucæ succo factitium est, exiliter spirare, & asperum magis spectari: Gummi vitiatum splendescere, & infirmũ esse Dioscorides asserit. Quo igitur Opij genere in huius Antidoti compositione vtendum nobis sit, satis, arbitror, manifestè ostensum est: cuius item facultatis sit, & cur impositum fuerit, dictum est pariter. Sed quærat adhuc fortasse quispiam curiosus cur maximè refrigeranti huic medicamento, reliqua omnia excalefacientia & subtilium partium in hoc totius compositionis ordine apposuerit Andromachus. Hoc idem de celebri illa Philonis Antidoto Opium habente, quod Philonium appellatur, quæsiuisse Galenum constat, lib.9. de comp. med. sec. loc. ca. 4. quo in loco hunc in modum respondit: Opium ex iis quæ somnum altiorem inducunt, ac sensum stupefaciunt, fortissimum est: sed eiusmodi medi-

camentis dixerat ille idem lib.eiuſdem operis 7. cap.3: rationabiliter alios partim excalefacientia adiunxiſſe partim cum modica adſtringendi vi aromatica & reſiccantia: itémque ſemina quædam familiaria, veluti Aniſi, Fœniculi, Apij, Dauci, Seſeleos, vtpote quæ tum pharmacorum iniucunditatem ac vim obtundunt, tum vrinam etiam prolectant: quædam etiam aſperitates læuigant, veluti Tragacantha, Glycyrrhiza & vina dulcia: ex quo illud eis in animo fuiſſe priore citato loco dicebat, obſtupefacientium medicamentorum vim moderari his admixtis, quæ aut concoquere, aut mitigare doloroſam affectionē, aut humores affectionem efficientes diſcutere, aut ſecare, aut attenuare, aut iuxta totam ſubſtantiam alterare apta erant: eo inſuper adiecto, talem medicamentorum mixtionem inuentam eſſe, vt & ſenſus ſtupefiat, & nullum in poſterum inde circa particulam detrimentum permaneat: ampliùs vt affectio ipſa maximè inde iuuetur. Ad quæ, ſua opinione, reſpiciens Philo, ex Opij quidem & Hyoſcyami mixtura ſomnum ſoporiferum, & ſenſitiuæ facultatis ſtuporem inducere voluit: quò verò citius diſtribueretur, & ad affectorum corporum vltima quæque penetraret, calefacientia admiſcuit, Pyrethrum, Euphorbium & Piper: quò verò nocentes humores diſcutere poſſent, extergere viſcoſos, ſecare craſſos, flatus attenuare ac euacuare, Nardum Celticam & crocum impoſuit. Hac eadem incedens methodo Andromachus, cámque compoſitionem facturus, quæ his eiſdem doloroſis affectio-

affectionibus aliquando occurreret, Opium in primis imposuit, quod sensum obstupefaceret, & soporiferum somnum induceret. Ad commoderandam verò eius insigniter refrigerantem vim, vt in affecti corporis intimas partes permeare posset, Piper adiecit: ad excalefaciendum autem attenuandum, abstergendum euacuandúmque, pastillos illos posuit, magna nimirum hac in re arte vsus. Sunt hæc quæ in primo & secundo ordine totius theriaces compositionis Andromachus posuit medicamenta.

ORDO TERTIVS THERIACAM INGREDIENTIVM MEDICAMENTORUM.

Caput Septimum.

PORRÒ tertij ordinis medicamenta vt numero sunt plura: ita in pondere minora. In secundo quatuor tantùm numero fuere: in hoc tertio sunt octo: duodecim tãtùm drachmarum ponderis sunt quę in tertio ordine posita sunt: vigintiquatuor quę in secundo posita fuere. Adhæc opium extremè refrigerans medicamentum in hoc positum fuit: in illo maximè tẽperatæ rosæ positæ fuere. In vtroque autem aromata posita sunt quædam. Cæterùm vniuersus hic ordo tertius ab Andromacho hisce carminibus explicatus est:

Inde quater ternas mutato pondere drachmas
Iridis & siccæ protinus adde rosæ.
Addatúrque tui radix dulcißima succi

Et dulcis tantùm feminis inde Napi.
Scordium iungas, & odoribus inclyta semper
Balsama, qui Syrio mittitur orbe liquor.
Tum quæ suspendas æquata cinnama lance
Conyce: & Agarici par quoque pondus eat.

Eorum igitur singula ad examen reuocaturi, quas conditiones habere debeant, quid virium illis insit, addita duntaxat appositionis eorum causa, paulò diligentiùs explicantes, ab Iride primum in ordine locum obtinente incipiemus. Hanc, quia Hesperis noctu magis oleat, sic appellatam fuisse Plinius existimauit, lib. 20. nat. hist. cap. 7. Sed ex cœlestis arcus similitudine nomen huiusmodi ei euenisse Dioscorides lib. & cap. 1. rectiùs censuit, quoniam scilicet, quemadmodum cælestis ille arcus varios mentitur colores, sic vt cœruleas, virides, luteas, candidas, pallentes purpureásque lineas ducat, ita & Iris herba. An verò in tota ipsa huius herbæ specie, vel in vno flore tantùm, hæc colorum varietas attendatur, superuacaneum esset disputare: quando in vtroque eam reperiri certum sit. In aliquibus enim Iridis floribus, & præsertim in cauo calyculi sinu, colorum illa mirabilis varietas reperitur: veluti & in tota herba, cùm flores habuerit: si & folia, & radices, & flores & semina illius inspexeris. Et florum ipsorum alij candidi, alij pallidi, alij lutei, alij purpurei, alíque cœrulei in ipsa Illyrica regione sunt, si Antonio Musæ Brasauolæ, viro de medica materia bene merito, testi, vt ille in suo radicum examine inquit, oculato fides adhibenda est. Hanc eandem diuersa apud antiquos scriptores habuisse nomina satis

constat.

constat. Ab aliquibus enim Illyrica, bonitatis laude, quam à regione adipiscitur, pro ipsius nomine impropriè vtentibus: ab aliis Telpide: ab aliis Vranio: à nõnullis Catheron, aut Thaumastos: ab aliis Hierida, id est, consecratrix: à Romanis Marica radix: à quibusdam Gladiola: ab Aegyptiis Nar dicta est. Huius eiusdem vnam solam speciem licet nobis ob oculos posuerit Dioscorides, satiuæ nomine ab his, qui eum secuti sunt insignitam: dari tamen ei siluestrem Galenus lib. 10. de comp. med. sec. loc. cap. primo, Marcellus lib. de medicam. cap. 24. ac Plinius libr. 27. cap. 11. attestabãtur. Nobis tamen de sola satiua, vt meliore, sermo futurus est: quam ratione regionis, in qua nascitur diuersæ, diuersa quoque acquisiuisse cognomina animaduertere est. Alia enim Illyrica dicitur, alia Macedonica, & alia Africana, Dioscoride magistro. Aliam appellauit Galenus Astragalitem, lib. primo de comp. med. sec. loc. eiusdem num. cap. aliam Libycam, qui primum librum de Antid. scripsit, cap. 12. Damocrates & ipse, vt libro 8. de comp. med. sec. loc. cap. 10. legere est, Irim quandam expostulabat, in ea quæ ibi describitur Antidoto, candidam. Italicę quoque meminit Theophrastus, lib. 9. de hist. plant. ca. 7. quippe qui nihil (quod ad vnguentorum odoratorum compositionem faciat) in Europa, præter Consecraticem, quæ Iris est, inueniri scripsit: cuius sententiam recentiorum omnium, qui de re herbaria scripserunt, authoritate confirmatam legimus. Inter has ea est constituta ab ipso Dioscoride differentia, vt Macedonica & Illyrica cæteris omni-

bus bonitate ac excellentia præferantur: & apud Illyrios optimam exire, non in parte maritima, sed mediterranea, magísque ad septentrionem sita, Theophrastus, loco proximè scripto, admonet: in siluestribus Drilonis ac Narone adiecerunt Plinius & Nicander: hic in Alexipharmacis, ille loco non ita dudum citato. Cur autem in Illyrica melior sit Iris, rationem adducit Theophrastus euidentem, libro sexto de cau. plant. capit. vigesimooctauo, quia scilicet eius regionis terra neque limosa sit, neque pinguis, neque lenta glutinosáque: sed huiusmodi vt neque frigiditatem aëris circumfusi admittat: & quantum caloris in se tenet (hunc enim concoquentem odoriferæ qualitatis efficientem causam esse iam docuerat) obturare, seruaréque polleat. In Thracia eapropter cæterísque frigidioribus locis, ac coctura minùs idoneis, odore penitus carere Iridem affirmat. Ager enim, subdit, præpinguis, & humor multus, & hyems vehemens prohibent. Hac de causa scriptum fuisse puto, libro primo de Antid. in cap. 12. Libycam Irim ab Illyrica non aliter differre, quàm vt mortuum corpus à viuo: nullo inquam odore è Libyca exeunte, ex Illyrica multo gratóque. Non tamen in aliis regionibus ortam Iridem tam multum ab Illyrica degenerare eodem loco scribitur. Et rectè sanè: Macedonicam enim, tametsi ab Illyrica, ex Theophrasto loco proximè signato, in eo differat, quòd minùs sit odorata: proximè tamen ei accedere Dioscorides existimat. Marcelli propterea, Illyricam Iridem cum Macedonicâ eandem existimantis, lib. de me-

de medicam. cap.27. error hinc detegitur manifestus. Sed & Italicam odorem multum expirare, docuisse Theophrastum iam audiuimus: idque in multis Hetruriæ locis, in quibus Iridis radix odoris fragrantia & virium robore Illyricam ferè æquat, se suis ipsos oculis obseruasse multi affirmant: quod adnotasse quid referat, pòst apparebit. Esse hanc eandem Illyricam duarum specierum, quisque ex Plinio affirmat: Raphanitim vnam, ob eius radicum cum raphano similitudinem, quam & ille meliorem esse prædicat: Rizotomon alteram, id est subruffam. Nos tamen ex Dioscoride ipso id colligi asserimus, qui subruffam Illyricam inter alias laudatissimam esse dixit. Quare nisi quis Raphanitim ipsam plures colores habere dicat, & subruffam alijs meliorem esse Plinium subintellexisse velit: malè illum Raphanitim Rizotomo prætulisse, Dioscoridíque sine ratione contradixisse, fatendum erit. Atque ex hoc eodem quòd radicis colorem qualis esse debeat, Dioscorides docuerit, & reliquæ omnes conditiones ab eodem appositæ ad radices ipsas non ad flores aut folia Iridis pertineant (inter has, inquit laudatissima, quæ mutila ferè & densa constat radice, frangenti contumax, subruffo colore, gustu amaro, odore per quàm grato ac sincero, ita vt nullum prorsus situm redoleat: quæ dum tunditur sternutamenta mouet) radices quoque solas in ea de qua nunc nobis sermo est Antidoto ex vsu esse nos quoque affirmamus. Accedit & Plinij ipsius authoritas, Irim radice tantum commendari, vnguentis &

medicinæ naſcentem eodem loco aſſerentis. Clarè idem confirmat Theophraſtus, lib.9. de hiſtor. plant. cap.7. qui de Iride hæc ſcripſit: cultus nullus ei accommodatur, niſi quòd ablaqueatam ſoleant reſiccare: radiculæ enim quas Thracia fert, videlicet quæ odoris Nardo ſimilis eſt, & aliæ quædam paruam exilémque odoris gratiam habent. Dicito adhæc odoratiorem commendari ab authore libri primi de Antid. cap.12. Iridem: ſolis autem radicibus gratum odorem ineſſe & omnes dicũt, & experientia manifeſtum facit. Sed quid in his demonſtrandis diu immoramur, quæ ab omnibus admittuntur, & nullam habent dubitationem? Quæramus potiùs, an radix hæc antiquior & magis ſicca, an recentior humidiórque ſit eligenda. Quæramus item quo tempore è terra euellenda illa ſit, númque pro theriaces compoſitione ſola Illyrica ſit ex vſu, an & in alia regione collecta poſſit accipi. Quæ omnia difficultatis quidpiam ſecum habere videtur. A poſtremo itaque eorum quæ propoſita ſunt incipientes, ſi toties adducta regula optimorum ſui generis medicamentorum in hac compoſitione imponendorum attendatur, ſolam Illyricam, quam & Galenus in theriaca imponebat, accipiendam eſſe dicendum eſſet, atque eò magis quia ſingulis ferè diebus in Illyricam inſulam, quæ Ptolomæo lib.2. & Plinio lib.3. cap.21. aſſerentibus prope Scardonam eſt in mari Adriatico, nauigent Veneti mercatores. Quoniam verò in multis, vt audiuimus, Italiæ locis Illyricæ ferè ſimilis adnaſcitur colligitúrque Iris, res hæc propterea ſtrictè adeò non eſt determinanda,

minanda, quin & Italica ex vsu esse possit. Quod eò promptiùs admittere par est, quia possit his in locis nobis vicinioribus certo quodam tempore colligi, & ad quendam terminum pro voluntate exiccari: quod quanti referat, mox apparebit. Ne verò de Italica Iride dubium aliquod vltro remaneat, easdémque vires, licet non admodum absolutas, cum Illyrica eam habere quisque fateatur: animaduertendum est facultatem eam bilis & pituitæ euacuandæ, quam Iridi Dioscorides tribuit, cuius potissimum ratione καθαίρων, i. purgans, ἀπὸ τοῦ καθαίρειν, dicta est, Italicæ Iridi passim hodie in seplasiariorum viridariis prouenienti prorsus inesse: recenti siquidem eius succo ad euacuandos humores Ascitem facientes Italos medicos omnes summa sæpe cum ægrotantium vtilitate vti nullus nesciat. Huic eidem medicamento facultatem tribuit Mesues, materiam lentam, crassam, hęrentem in thorace ac pulmone concoquendi, attenuandi, promptéque educendi, & viscera omnia expurgandi. Plateariј itaque error hinc detegitur manifestè, Iridem & Ireos diuersa esse (licèt easdem vires habeant, & inter se possint substitui) in lib. de simpl. medicina in littera I asserentis. Deceptus enim in eo fuit, dum diuersitatem florum in Iride contemplatus, Iridem appellauit herbam purpureum florem gerẽtem: Ireos, album. Hic idem eodem loco radicẽ Iridis, qua vtamur, in fine veris colligi & per duos annos seruari affirmat. Quæ eadem (quod ad ver attinet) fuit etiam Mesuei opinio in lib. dę simp. c. 8. quod est de Iride, vt scilicet vere colligatur:

in eo tamen differt, quòd veris initium statuit accipiendum. His tamen eo argumento sese opposuit Manardus, quia incipiente florum defluuio, quod adueniente autumno accidit, colligendas medicinæ causa radices istas iusserit Dioscorides. Habet autem multam rationem opinio vtraque. Vere enim, dicunt aliqui, maior succi quantitas in his reperitur, quippe cùm caules, folia, floresque nondum plantæ emiserint, à quibus radicum succus exhauritur multus. At è contra, dicunt alij, quæ vere colliguntur, copiosiore quàm par sit humore redundantes, illoque longè minùs concocto, eo qui in collectis in autumno radicibus continetur, putredini & corruptioni sunt magis obnoxiæ, præsertímque si longo adseruentur tépore. Alicuius ea propter momenti hunc in modum constituta esse videtur controuersia: pro qua sedanda in varias plerique abiere sententias. Sunt qui existimauerint, nullam esse inter Dioscoridem & Mesuem discordiam, quia varijs anni téporibus, pro natura diuersarũ plantarũ, defluãt à plantis ac fruticibus folia. Fuere & qui dixerint generale esse Dioscoridis præceptum de radicibus omnibus: Mesuem verò de floribus loqui colligendis antequam defluant. Dixere & aliqui de earum herbarum radicibus loquutum fuisse Dioscoridem, quæ folia habent autumno decidua. Quantas hæc responsa patiantur difficultates & qua reprehensione vnaquæque opinio digna sit, nostrum nunc non est explicare: quibus de vna Iridis radice sermo institutus est, de cuius collectionis tempore nullo pacto inter se discordes esse Dio-

ſe Dioſcoridem & Meſuem inde conſtat, quòd varios radicis huius vſus in mente illi habuere. De Iridis radice eo potiſſimùm conſilio loquutus eſt Meſueus (idque ex eius lectione conſtat) vt expurgantem eius facultatem nobis inſinuaret: quæ ſanè, ſi experientiæ credimus, maior eſt in ſucco ab ea expreſſo: & veris tempore ſucci plus eam continere, verum eſt. At Dioſcoridem de radicibus recondendis & adſeruandis locutum fuiſſe, viros doctiſſimos, qui hanc controuerſiam contentioſè adeò pertractarunt, non animaduertiſſe, nequeo non vehementer admirari. Hęc enim ſunt Dioſcoridis verba: radices & liquamenta corticéſve vt recondatur, eximere conuenit, cùm herbæ ſuis foliis exuuntur: ſiccantur etiam expurgatæ inibi, locis aſperginem non redolentibus: ſed quæ luto aut puluere ſunt obſitæ, aqua elui debent. Reponendæ igitur radices, minùs humoris, præſertim excrementitij, habere debent: quò diutius à putredine vindicentur, & cariem non ſubeant: idque autumni tempore euenire, ſumma ratione Dioſcorides exiſtimauit. Cæterùm quia pro theriaces apparatu ſiccæ omnino radices Iridis expetuntur, autumni quoque tempore vſus huius gratia eruendas illas eſſe dicendum eſt. Duplici ſanè argumento ſiccas eas eſſe debere, perſuademur: tum quia contundendæ ſunt, & in puluerem reducendæ: tum etiam quoniam laudantur odoratiores. Contundendæ & in puluerem reducendæ quòd ſint, qui neget futurum eſſe neminem arbitror, idque præcipuè aſſerente lib. primi de Antid. authore, in cap. 15. qui idem in cap. 12.

Iridem, velut & reliquas medicinas, odoratiorem eligendam esse ea ratione st.tuit, quia vnũ quodque optimum sit, quod sui generis odorem vehementiorem habet. At siccitate media, humore scilicet exhausto ac veluti excocto, odorem in rebus fieri Aristoteles, Theophrastus, Pliniúsque constituerunt: videréque est odorata omnia ad siccitatem inclinare. Hac de causa Dioscoridem ipsum. Iridis radicem præ vetustate teredines sentientem odoratiorem reddi, affirmasse dicimus: aucta inquam illius siccitate. Ideóque & in ea de qua loquimur Antidoto, in qua odoratiorem Iridem tanquam sui generis optimam conuenire didicimus, eam quæ propter vetustatem teredines iam patitur, tanquam odoratiorem & meliorem, ex vsu futuram posset quis persuaderi. Valeret sanè ratio huiusmodi probabilis & speciosa satis: si solius odoris causa Iridis radix in theriaca ab Andromacho fuisset assumpta: sed ob alias quoque eius facultates, paucis post explicandas, assumpta cùm fuerit, hæ propter vetustatem & teredines essent iã abolitæ. Sicca igitur, sed non adeò vt teredines sentiat, accipienda radix hæc est. Odoratiorem sui generis laudatã quidem fuisse dicẽdũ est: sed eam quę reliquas suas vires integras adhuc habet omnes. Est etiam sine dubitatione verũ, odoratiorem eam laudatã fuisse: vt reliquæ sua natura minùs odoratæ, quales Libyca & quæ in frigidis regionibus nascitur, excluderẽtur. Confirmat hoc idem Dioscorides, vna hac conditione in optima radice Iridis constituta, vt nullum prorsus redoleat sitũ, quod propter nimiã vetustatem ei accidere-

dere necesse fere est. Quin etiam in libr. 1. de Antid. ca. 12. meliora in omni specie esse medicamēta dicuntur, quæcunque nec rugosa fuerint, nec exilia. Et c. 15. radices medicinarum quæ in vsum cōpositionis theriaces veniunt, extento cortice, non rugoso, esse debere constitutum fuit. Propter vetustatem autem teredinem habentes & foramina, rugas quoque multas ex necessitate habere debere certum est. Quare & Paulus Aegineta, eius obolos octo agarici modo purgare dixit: modò nō sit antiqua nec perforata. Radicis itaque Iridis conditiones quænam hunc in vsum requirantur, diximus. Quas vires habeat, nunc dicamus, vt causa, cur hac in compositione assumpta illa sit, innotescat. Inter aromata hanc Galenus enumerat, l. 7. meth. med. c. 4. Eandē excalefacere, attenuare, digerere, pituitam purgare, serpentūq; ictib. auxiliari à Dioscoride scriptū est, li. & ca. 1. Quarum viriū causa non modò Andromachū eam theriacę indidisse dicimus: sed & propter odoris gratiā, referente Galeno, lib. 1. de comp. med. sec. loc. c. 5. Illyricam Iridem odoratas reddere medicamentorum compositiones. De Iride igitur, hæc erant dicenda: de Rosis hanc proximè subsequentibus iam dicamus. Harum quia aliquot sunt species omnibus notæ, soléntque cùm maturę, tum immaturæ colligi, quæ species ex vsu sit, & hæc nū matura vel immatura sit colligenda, determinatione egere nobis videtur. Siccæ nāq; esse quòd debeāt, prętcrquā quòd ab Andromacho apertè statutum est, rationem etiam qua confirmetur hoc habet euidentem. Virentes rosæ multa aquea humi-

ditate abundant, aluúmque mediocriter mouent: exiccatæ hac priuantur facultate, adstringentémque vim induunt maiorem, Dioscoridéque magistro magis roborant. Quare in eo medicamento, cui pro fine alui purgatio constituta non est, sed roboratio potiùs & exiccatio, siccas non virentes sumi conueniens omnino fuit. Id porrò omni ex parte necesse erat, vt in puluerem promptè redigerentur: redigendas autem in puluerem esse rosas pro theriaces apparatu vsque adeò manifestum puto, vt in eo demonstrando nullum vltro tempus sit superfluè conterendum. Hoc eodem nomine, quòd adstringendo roborare habeant, satis maturæ erunt colligendæ, quando eædem odoratiores sint, cuiusmodi illas esse volebat libri primi de Antid. author, cap. 12. Esto maturitas hæc media quodammodo inter euanescentem illam maturitatem, & asperam immaturitatem: huic enim nec odor multus adiungitur, nec calor: illi & odor & calor deesse incipiunt: inter medio tempore vtrunque viget: quod tempus ad omnia quę in tertio hoc compositionis ordine assumuntur colligenda aptissimum esse in cap. 12. libri primi de Antid. scribitur. At ex multis rosarum speciebus, puniceo colore rubescentes cæteris omnibus odoratiores, recentiorum ferè omnium accedente consensu, erunt accipiendæ: id autem eo nomine promptiùs fateri conuenit, cùm absolutè prolata ab authoribus rerum nomina quæque de perfectioribus sint intelligenda. Omnibus autem rosarum speciebus quæ puniceo colore rubent, vt perfectiores melioresque, anteponi nulli adhuc dubium

dubium controuersúmque fuit. Accedat quoque earum colligendarum modus à Dioscoride assignatus, forcipe duntaxat dissectis candidis partibus, vnguibus dictis. Quod licèt quibusdam minimè arrideat, vnguésque etiam ea ratione velint accipiendas, quia Galenus totum folium assumat: Dioscoridésque, eorum opinione, non à foliis exiccandis vngues forcipe auferendas iubeat, sed ab his tantùm ex quibus succus exprimitur: nobis tamen vtilius fore visum est vngues abiicere, eadem omnino ratione persuasis, qua à foliis succum per expressionem reddituris eos illi concedent abiiciendos. Profectò eos abstulisse Dioscoridem existimauerim, quia nihil fortasse virium in eis cognouerit. Quare etiam ex sex partibus, quas rosæ inesse quisque concedit, omnibus ac singulis, vngue excepto, virtutem aliquā tribuerūt magistri nostri. In ea eapropter Antidoto quę perfectissima vbique requirit medicamenta, eas solas rosarum partes accepisse, tutius vtiliúsque futurum dicimus, quibus vis inest manifesta & optima, iis relictis quę nullas omnino aut certè quàm minimas vires habent. Neque verum est Galenum in theriaces compositione totum folium accepisse, aut accipiendum iussisse. Locus solus circa hanc rem extat in libro primo de Antid. capit. 12. vbi hæc ad verbum habentur: rosas primùm, vt de pastillis dictum est, exiccabis, illas decerpens quæ plus aliis benè olebunt & rubicundiores fuerint: vbi verò etiam id verum esset, totúmque rosarum folium accipiendum esse Galenus iussisset, nulla profectò alia apposita conditione aut di-

ſtinctione,de ſola tota perfectiore roſæ parte eius ſermonem interpretandum eſſe,ratio ipſa ſuadet. Hæc leuioris fortaſſe momenti eſſe quis dixerit. Quare ad Glycyrrhizā ipſ im, roſas hac in partitione ex ordine in ſequentē,ſermo noſter cōuertendus eſt. Hanc ſiue ex Cappadocia & Ponto, ſiue ex Creta vel Apulia,vel Germania,vel Hiſpania(in his enim omnibus locis plurima prouenit) deferri curaueris,non eſt vt de ea dubites:quando æquè bona nō modò ex omnib. hiſce regionib⁹, ſed etiam ex quāplurimis aliis Italiæ locis omniū teſtimonio defertur.Non etiā plantę huius radicē ſolā ex vſu eſſe demōſtrandū eſt, quandoquidem hoc eſt omnibus cōpertū. Minúſq; plantā paucis non cognitā cenſemus delineandā.Tantùm an radix ipſa,vel potiùs ex ea extractus ſuccus & dēſatus in hac cōpoſitione conueniat,quærendū.Radicis vſum cùm Senioris tū Iunioris Andromachi ſententiæ aduerſari,fuere qui aſſeruerint, eo vno freti argumēto, quòd cùm Glycyrrhizæ mellitos ramos habentis dixerit ſenior: Patris mentem intuitus filius ſucci Glycyrrhizæ dixerit. Quod idē ſēſit Damocrates, qui ſuís carminibus,ξηρῶ δ' (inquit)γλυκυῤῥίζυ χυλαρίυ,quod illi aridi Glycyrrhizæ ſucci interpretantur, qui ſuccus ex radicibus, teſte Dioſcoride,extrahitur & lycij exemplo denſatur. His aſſentiri videntur libri primi de Antid.author,& qui Hexametro carmine primam theriaces deſcriptionem reddidit in eiuſdem libri cap.decimoſeptimo pōſitam, itémque Aetius, Serapio & Haly. Sed non video Seniorem Andromachum expreſsè ſuccum nominaſſe, immò

imò eum, siue Græcam eius dictionem inspexeris, siue ex ea translata in Latinum sermonem carmina attenderis, radicem, non succum, manifestè omnino expostulasse intelliges:

Κυανέης μίξαιο μελιπτόρθου γλυκυρίζης,

habet Græca lectio Andromachi: quam illi iidem qui succum postulasse illum dicunt hunc in modum latinè verterunt:

Cerulea misceas mellitos ramos habentis Glycyrrhizæ

Latina verò rotæ carmina sic habent:

Addatúrq; tui radix dulcissima succi.

Quæ si paulò diligentiùs attendantur, radicem ipsam, non ex ea extractum succum, significari luce clarius est. Galeni quoque theriaces descriptio soluta oratione in libro de ther. ad Pison. capite decimosecundo posita radicis dulcis habet: idem & qui librum de vsu theriaces ad Pamphil. scripsit. Et glycyrrhizam simpliciter protulit Paulus lib.7. cap.11. quæ vox radicem ipsam, non ex ea extractum succum, solet vbique significare. Quin & Haly Abbas in eodem paucis ab hinc assignato c.5.li.10.pract. vnā habet theriaces descriptionem, priorem scilicet, quæ succū continet: alteram, & est secunda, quæ radicem habet. Sic & Auicenna licèt in primis duabus descriptionibus liquiritiæ succū posuerit, in tertia tamen radicem ipsam desiderauit. Neq; propterea facilē res hæc habet determinationē. Andromachū n. Seniorē de radice locutū fuisse si contendere voluerimus: Iunioris opinio obiicietur protinus, quē eandē cum Patre theriaces descriptionē pedestri oratione scripsisse sæpe antea audiuimus, atque id argumenti genus

maximam vim habere non inficiamur. Galeni Paulíque, radicem accipientium authoritatem multi quidem faciendam dicimus: sed Auicennæ Serapionis, Haly, & lib. primi de Antid. authoris, qui omnes succum accipiunt, opinionem nihili facere & spernere, temerarium nimis esset. Non est quoque, vt ipse sentio, satis tuta res, inter magnos hosce viros sese medium ponere, déque eorum sententiis liberè determinare. Componendi illi igitur potiùs sunt, & amicè interpretandi. Hoc nunc maximè faciendum iudico, cùm sine compositionis ipsius iactura aliqua opinio vtraque accipi possit & defendi. Dicimus eapropter & radicem & succum liquiritiæ accipi posse. Suadent hoc nobis Dioscorides & Galenus simplicium medicamentorum exploratores diligentissimi, ac iudices peritissimi. Hic enim lib. 7. de comp. med. sec. loc. cap. 2. de Arteriacis ab Andromacho descriptis medicamentis sermone instituto, in ea parte in qua de vsu cõfectionis ex Papaueris capitibus loquitur, Miscẽda, inquit, etiam huiusmodi Pharmaco dũ coquitur radix dulcis, quò simul coquatur: vbi verò hęc non adsit, succus qui ex Creta apportatur. Ille verò li. 3. c. 5. & radici & succo easdem prorsus inesse vires clarissimè aperuit: quem quoque secutus est Galenus lib. 7. de simpl. med. facult. cap. proprio. Sunt tamen qui existiment, quòd vt viribus sint æquales vt minimum sextuplũ radicis sumẽdum esset, ideóque ne symmetria compositionis vitietur, tutius esse vti ipso succo. Sed si succo vtendum, num illum priùs exiccare expediat, ex Damocratis placitis, quærat fortasse

fortaſſe quiſpiam: quod ne quis fortè præter rem quæri exiſtimet, tanti referre animaduertimus, vt exiccato & humido adhuc ſucco contrarias facultates ineſſe docuerint Dioſcorides & Galenus. Aſperitates non modò in arteria, ſed etiam in veſica lenire radicem hanc, eiúſque ſuccum illi ob id cenſuerunt, quòd mediocris cuiuſdam ſit temperaturæ: quam exiccatas radices potiſſimùm exuere & ratio ipſa ſuadet, & illi iidem docuerunt, pterygiorum ſeu vnguium & vulnerum oculorum eas eſſe remedium, ſi ad læuorem redigantur, docentes: quòd exiccando tantùm præſtare illas poſſe, morborum huiuſmodi natura & conditiones oſtendunt. Sanè verò Damocratem vbique, & in hac præcipuè theriaces compoſitione, multi faciendum eſſe ea demonſtrant, quæ de eo hucuſque dicta ſunt: tanti tamen momenti ac pōderis eſſe non debet, vt reliquis omnibus ſucci huius exiccationem non commendantibus ſit ille præferendus. Neque propterea illum hac in re erroris inſimulamus, quippe qui non ſine aliqua ratione ſuccum hunc exiccari debere potuerit exiſtimaſſe. Cùm enim nullam aduerſus venena peculiarem habeat vim radix hæc eiúſve ſuccus, ſed ſua mediocri temperatura arteriæ, veſicæ, ſtomachi & thoracis aſperitates leniat tantùm: profectò hac vna de cauſa medicamentum huiuſmodi ipſi theriacæ potuit imponi, vt poſſet illa aliquando hæc præſtare. Præſtat autem hæc potiſſimùm ſuæ ætatis initio, Opij viribus adhuc ſummè vigentibus: quo tempore opiatæ cuiuſdam confectionis vices gerit. Sed huiuſmodi confectiones liquiri-

tiam maximè expetere, vt arteriacis affectionibus promptiùs occurrant, in ea l.7.de cōp.med.sec.loc. parte à Galeno scribitur, quæ proximè assignata est. At eiusdem operis lib. 6. capite tertio aridis quoque & tritis arteriacis medicamentis, inter quæ præcipuè liquiritiæ succum exiccatum ibidem enumerat, ad columellæ inflammationem aliquando vtendum esse docet. Hæc igitur præcipuè respiciens Damocrates, exiccatum liquiritiæ succum commēdare potuit. Quem eo quoque nomine tueri posse certum est, quia radice cùm vtimur liquiritiæ, in puluerem vt redigatur necesse est, veluti & reliquæ radices: quod nisi ea exiccata fieri posse certum est. De liquiritia autem iam dictum sit satis. De Napi semine dicamus deinceps. Magnam certè de huiusmodi medicamento inter recentiores medicos esse controuersiam animaduertimus: cùm de essentia, tum de speciebus illius illis inter sese digladiantibus. Et qui de theriaces compositione scripserunt, in eius seminis electione haud pariter concordes sunt. Rē pro virili rectiùs breuiúsq; manifestare conabimur, & quòd semen in vsum veniat cōueniēter, orationis superfluitate omissa, demonstrabimus, initiū hinc sumētes, quòd de Napo à Græcis Napy nominato, facultatis ac essentię ab eo cuius semina hic quærimus omnino diuersæ, imò cōtrariæ, nullus posthac nobis erit sermo. Excalefacit hoc ordine quarto, vnaq. & desiccat, Galeno magistro li.8.de simpl.med.facult. vrítque propterea, eodem authore, eiusdem operis li.6. c.25. Est hoc propriè Sinapi, vt docet Dioscorides, li.2.ca.148.

cui

cui nihil ferè commune cum Napo ipſo, ſi vires, plantam, ſemina, reliquáſq. vtriuſq. conditiones diligenter attēdas. In eo deceptos nōnullos fuiſſe arbitror, quòd à Gręcis dictũ Napy cõmunis noſtri Napi ſpeciē quandã eſſe ob id exiſtimauerint, quia Pliniũ ſpeciē quandã Napi (ſinapi inquam) folia rapis ſimilia habere dicentem legerint, li.19. nat.hiſt.c.8. De eo tantùm Napo nobis in pręſentia ſermo futurus eſt, qui ex genere Raparũ cũ ſit, comeſtibilis eſt & omnib. notus. Cùm.n. Βουνιάδα preſſius expreſſerit in ſuis carminibus Andromachus, de eo Napo, cuius cõmunis eius eſſe ſolet, dubio procul intelligendus eſt: Galenus enim lib. de cib. bon. & mali ſucci cap. 8. βουνιάδας radices eſſe in cõfinio ciborũ boni malíq. ſucci, velvti cæpe, porrũ & alliũ, docuit. Eſſe eundem hunc Napũ è Raporũ genere, non ex eodem tantũ Galeni loco conſtat, itéq. ex Dioſcoride, ſtatim poſt rapas de Napo nullo ferè adiecto diſcrimine diſſerente, ſed quoniã etiã ſoli proprietatē Rapã in Napũ mutari: & rapã biennio ſatam in alio ſolo degenerare in Napum, rei ruſticæ ſcriptores omnes atteſtentur. Huius num plures ſint ſpecies an vna tantùm, vt determinemus neceſſe eſt: quò ſemina ad noſtrũ vſũ eligamus conuenientia. Duas in vniuerſum à nonnullis Napi ſpecies conſtitui videre eſt: ſatiuam vnam, ſilueſtrem alteram. Satiuã, buniadem appellãt: ſilueſtrem, bunium. Quod Plinij imprimis authoritate affirmãt, Naporũ duas differentias à Græcis in medicina ſeruatas fuiſſe aſſerētis, li.20. nat.hiſt.c.4. Anguloſis, inquit Plinius, foliorũ caulib. florētis, & quod Buniõ vocãt

purgationibus fœminarum,& vesicæ & vrinæ vtile decoctum,potum ex aqua mulsa,vel succi drachma: alterum genus Buniada appellant, & Raphano & Rapo simile, seminis præclari contra venena:ob id & in Antidotis vtuntur illo. Aliqui Ruellij versionem insecuti Lampsanam esse Napum siluestrem affirmant, quia hanc à Romanis Napum siluestrem dictum fuisse, Dioscorides admonuerit libro 2. Horum sententiam approbasse visus est libri primi de Antid. author, dum cap. 12. agrestis Napi semen, quòd è Creta quàm optimũ tunc Romam afferebatur, in theriacæ compositione Andromachum posuisse admonet. His accedat Oribasij authoritas, libro 11. collect. medicinal. in litera B. hæc scribentis: Bunion sunt qui Action vocent. Napus caulem quadratum, oblongum, crassitudine digiti, emittit: folia fert, & quæ sequuntur: Qua ex Oribasij lectione, Bunion Napi speciem quandam esse, colligi posse videtur. At ex recentioribus nonnulli siluestrem Napum hodie animaduerti dicunt, foliis ad Erucam accedentibus, radice ampliore & rotundiore. Addunt alij dulcis Napi semina Andromachum particularius expressisse, vt siluestris, qui dulcis non est, semina excluderet. Porrò duas hasce Napi differentias admittentes aliqui, sola authoris libri primi de Antid. authoritate freti, eius qui agrestis est semen theriacæ imponendum esse contendunt. Sed præterquam quòd satiui potiùs semina ex vsu esse multa firmiùs suadent: illud quoque eis vltro aduersatur vel maximè, quòd siluestris Napi species nulla detur, hucusque saltem nobis cognita.

cognita:id quod primo quoque loco demonstrare aggredimur. Quis, quæso, duplicem hanc Napi speciem apud Dioscoridem, Galenũ, Theophrastum obseruauit? Sanè verò conueniens fuisset de vtraque specie eodem loco viros istos disseruisse, qui de aliis plantis, herbis, fruticibúsque, quorum satiua & siluestris species datur, codẽ immediatè loco disseruerũt. Exẽplo sit Rapa, quæ siluestrem speciẽ cùm habeat, hanc illi suis scriptis inseruerunt, & de eius viribus nos cõmonefecerunt: idem profectò de Napo siluestri, si daretur, facturi. Hos rem hanc silentio præteriisse si quis fortè dixerit, quia notas cuique vtriusque Napi species supposuerint, quod & in plerisque aliis fecerunt, debuisse illos saltem hic non negabit eius aliquando meminisse, eiusdémque in medicina vires docuisse. Rapæ (vt in eodem persistamus exemplo) quam & satiuam & syluestrem dari Dioscorides docuit, & formam & figuram, omnibus putà notam, minimè designauit: vtriusque tamen in medica facultate vires docuit. Napum pariter vt notum non delineauit, sola medicarum suarum virium explicatione contentus: siluestrem eius speciem ne per somnium quidem enumerans. His adducor vt credam, futilia & vana ea omnia esse quæ ad hanc siluestrem Napi speciem commonstrandam adducta sunt. Quis est, quæso (si tamen mente constat) qui Plinio ipsi tantum in rebus medicis tribuat, vt illius tantùm authoritate fretus arduum quidpiam determinare audeat? Immò verò hac in ipsa Napi specierum assertione eum seueriùs ab Hermolao Barbaro castigatum fuisse

constat. Quæcunque enim ille Napo siluestri adscribit, ea omnia Theophrastum & Athenæum Raphanidi, hoc est, Radiculæ tribuisse docet. Neque aliter Plinium ea in parte tueri posse animaduertit, quàm vsurpando vetus illud quod de Vergilianis insolubilibus dici solet: emẽdaturum scilicet eum, si vixisset. Sed longè minùs Plinio hac in re credendum esse illud suadet, quòd siluestrem Napum idem cum Bunio Græcorum fecerit: quo nihil dici potuit absurdius. Nolo in omnimoda absolutáque eorum diuersitate explicanda diutius immorari, quandoquidem hæc est cuique manifesta. Id vnum nunc sufficiat, de Napo disseruisse Dioscoridem libro 2. de Bunio, li. 4. quo in loco nihil minus in mentem habuit, quàm siluestrem Napum esse Bunium imaginari. Id vnum habet eius libri cap. 120. de Pseudobunio verba faciẽs: Napi ramulos illud ferre: ex quo si Napi speciem illud esse dicendum sit, iam tùm multa stirpium, herbarum, plantarum, fruticúmque diuersa genera, in aliquibus similitudinem habentia, eiusdem speciei protinus constitui par erit. Herba simplex est Bunium: Napus verò olus. Quid causæ autem fuerit, vt aliquam in nómine similitudinem habuerint hæc quæ planè diuersa sunt, nũc explico. Quoniam Bunij radices vt Napinę extuberãt, ideò sic appellata est herba à Gręcis, qui βουνοὺς appellant colles & loca verrucosa. Minùs quoque verum est Lampsanam, teste Dioscoride, dici solitam fuisse à Romanis Napum siluestrem. Multi nanque codices ea non habent, quæ Ruellius in suo codice posuit: sed hæc tantùm

tùm: Lampſana ſiluestre olus eſt: plus alit quam Rumex, & stomacho vtilius, cuius folia cauléſque coquuntur in cibo. Et ea ipſa Ruellij verſio eſt huiuſmodi: Lampſana, quod Romani Napium vocant, ſiluestre olus eſt. Napium igitur & Napum diuerſitatis quidpiam inter ſe habere, ex ipſa ſcriptione conſtat imprimis: ſiluestre deinde, oleri ipſi quod Lampſana dicitur, non Napio accommodatur: interpoſita ſcilicet inter verbum vocant, & nomine, ſiluestre, virgula, hunc in modum: Lampſana, quod Romani Napium vocant, ſiluestre olus eſt. Ad Oribaſium autem, qui quæcunque eo loco de ſimplicibus medicamentis ſcripſit, ex ipſo Dioſcoride ad verbum tranſcripſit, dicimus Napi nomine eum intellexiſſe radicem: Napíque nomine pro radice vſum fuiſſe. In hanc nos coniecturā adduxit Paulus Aegineta, qui li. de re med. in litera B. eadē quę Oribaſius de Bunio ſcribēs dixit: Buniō, quod alij Arction appellant, calidū eſt, & vrinā ciet, & menſes ducit: ſed & Pſeudobunion huic ſimile eſt: ex quo dictionē illam, Napus, in Oribaſij codice poſitam nihil ad rē facere manifeſtum eſt. His porrò recentioribus, ſiluestrem Napum hodie animaduerti ſcribentibus, foliis ad Erucam accedentibus radice ampliore & rotundiore (niſi aliud vltro nos docuerint, rémque diſertiùs oſtenderint) neque aures, neque manus præbendæ ſunt gratæ. Authori libri primi de Antidot. Napi ſiluestris in theriaces compoſitione ſemina accipienti, híſque qui ex dulcedine Napi ab Andromacho ſuo carmine inſerta ſiluestrem Napi

ſpeciem dari argumentabãtur, proxima quæ ſubſequetur noſtra diſputatio abundè ſatisfaciet. Vt tandem igitur res hæc ſemel finiatur, tametſi ſilueſtrem Napum adhuc quis contentioſus ſibi dari voluerit, ſatiui tamen ſemen in huius Antidoti compoſitione conuenire liberè affirmamus. Cùm enim Βυνιάδος dictione vſus fuerit Andromachus, idque Galenus lib. de ſucc. bonit. & vitio ca. 8. inter cibos hominibus conſuetos apertiſſimè enumerauerit, de ſatiuo ſuam Andromachum protuliſſe ſententiam, ex neceſſitate concludendum eſt. Dioſcorides adhæc lib. 2. c. 105. βυνιάδος ſemen epotum venenorum vires hebetare, antidotis admiſceri, & rapa minùs nutrire docuit. Quòd verò dulcis Napi ſemina voluerit Andromachus eligenda, hoc idem manifeſtat apertiùs: quia ſatiui propria ſit dulcedo. Fac eſſe ſilueſtrem aliquem Napum, profectò vel nullam vel paucam dulcedinem habebit: ſilueſtribus omnibus oleribus & fructibus amaritudine potiùs quàm dulcedine inexiſtente. Sed nec etiam dulcem Napum eo conſilio poſtulaſſe Andromachum credimus, vt aliam non dulcem eius ſpeciem excluderet: ſed dulcis nomine eum in metro vſum fuiſſe dicimus, vt peculiarem ac propriam Napi conditionem, quæ dulcedo eſt, explicaret: quemadmodum & de radice liquiritiæ proximè fecerat, cuius dulcedinem particulariùs expreſſit: neque tamẽ propterea aliam non dulcem dari liquiritiam colliges. Sanè verò in hac deſcribenda compoſitiõe familiare illi fuiſſe, particulares quaſdam ac proprias medicamentorum conditiones, vel à ſolo,

vel

vel à regione in qua nascuntur, vel ab eorum virtute prouenientes, nonnunquam metri causa, aliquando etiam ad maiorem medicamenti commendationem & laudem apponere. An modò Napi species aliqua dulcedine carens alicui cognita sit, hucusque discere nobis non licuit. Dices alterum altero, soli ratione, dulciorem esse, quia è solo putri soluto, stercorato & versato extuberantem Napum illo dulciorem esse, qui in solo deuexo, sabuloso, non stercorato nascitur obseruauerint docuerintque rei rusticæ scriptores: quod profectò negari haud potest. Sed animaduertendum primùm, magis solummodò ac minùs, non specie hæc differre inter se: & in ea Antidoto, in qua sui cuiusque generis perfecta eligenda sunt medicamenta, dulcioris Napi semina aliis esse anteferenda. Eos eapropter bene sentire dicendum est, qui Iunioris Andromachi, Galeni atque aliorum simplicem seminum Napi enuntiationem de perfectiore & optimo genere volunt accipi. Vna est authoris primi libri de Antid. agrestem Napum postulantis in contrarium adducta authoritas: pro qua diluenda in varias plerique abierunt sententias. Petrus Andreas Mathiolus, lib. 5. suarum epistol. id ab eo authore enuntiatum fuisse existimat, quia compertum haberet, suo æuo ex Creta Romam allata Napi agrestis semina propria quadam vi ad antidota paranda pollere. De semine siluestris rapæ, quam eandem cum Napo satiuo esse constituunt, eam sententiam dixerunt alij interpretandam. Quin & Maranta lib. primo cap. 2. de rapæ semine, eandem absolutè

voluit intelligi. Postremam hanc solutionem nullus, arbitror, accipiet, qui sciat inueniri verũ antiquorũ Napum vbique, vnà cũ eius seminibus. Dicunt difficile id esse, obscurãque esse Napi cognitionẽ seminis causa, quod acre esse debet (eo n. piper longũ adulterari Galenus admonet) quã acrimoniã in cõmunis Napi semine nõ inueniri asserunt: vel si inuenitur, remissam esse. Sed erat vt animaduerterent non esse impossibile, dulcedinem in fructu aut radice, acrimoniam in semine eiusdem plantę esse. Imò semina Naporum nostrorum (sunt n. hi dulces admodũ gustu) mordacitatẽ habere, sensus ipse cuique gustãti persuadere potest. Hoc illi iidẽ negare haud possent, & Naporũ nostrorũ semina admittere, qui rapæ semina eius loco substituunt: quasi non maior sit inter Napos nostros & antiquorũ (vbi etiã eosdẽ esse pertinaciùs cõtendere voluerint) similitudo, quã cũ rapa. Prima verò solutio plena falsitatis est, ex hisque quæ de siluestri Napo dicta sunt satis cõfutata, vlteriore nõ eget confutatione. Quę secundo loco posita fuit solutio, ad rẽ maximè facit & dubium omne tollit, vbi verũ sit, siluestrẽ Rapam esse satiuum antiquorũ Napum: quod quàm verè docuerint, aliorũ sit iudicium. Galenus enim li. de succ. bonit. & vitio ca. dicto, buniadẽ inter Rapas manifestè connumerat. Nos in ea sumus sententia, vt quia librum illum Galeni genuinum esse minimè constat, aut saltem apud viros doctissimos in dubium vertitur: neque etiam hæc de agrestium Naporum semine accipiendo assertio multi facienda sit. Quoniam autem satiui Napi species

fecerunt

fecerunt aliqui multiplices, res ideò vlteriore quadam explicatione egere videtur, ita vt an illæ dētur sciamus: & quænam eorum hac in compositione aliis anteferenda sit. Plinius li.19.nat. hist.c. 5. quinque eius cōstituit species, adiecta duntaxat medicorū idē sētientiū authoritate: Corinthium, quod in amplitudinē adolescit, nuda ferè radice, supernè nō in terrā tendens: Cleoneū prælōgum: Liothasium, quod & Thraciū appellari dicit, frigorū patientissimū: Bœoticū dulce & rotunditate breui notabile: & denique aliud quod per se viride dixerunt. Sumpta item eodē loco à diuersitate regionum differentia, palmam Romæ Amiternis dari scripsit, inde Nursinis, tertiam nostratibus. Cęterū rei rusticæ scriptores, vnà & qui simpliciū medicamētorū vires Dioscoridis æmulatione indagarūt recētiores plerique, Naporū alios candidos siue albos, alios buxeos siue flauos esse cōstituerūt. Vnam tamē adhuc solā Napi speciē inueniri nos asserimus. Iā n. Pliniū ab Hermolao Barbaro in eo castigatum fuisse diximus, quòd quæ Theophrastus l.7. de hist. plāt. c.4. raphano tribuit, ea ille ad verbū descripta omnia Napo assignauit: & quas ille ex antiquorū Græcorū mēte enumerauit raphani species, eas Plinius fatuè admodū ad Napos trāstulit. Si verò sumpta ex eo loco in quo nascitur Napus differentia, eius species cū Plinio multiplicare volueris: in infinitū dubio ꝓcul eas augebis: quippe cū vbiq; terrarū nascatur & pro soli diuersitate magis minúsve grat⁹ existat. Neq; etiā coloris diuersitatē species multiplicare cōcedēdū est: qppe cū sciamus eiusdē speciei fructus multos

& olera pleraque soli diuersitatis occasione colores mutare: à ficu, à cæpa, à beta & ab ipsa rapa exemplum hac in re desumi potest manifestum. Quæ macilenta, tristi ieiunáque natura sunt Plantæ, eæ inquit Theophrastus lib.2. de cau. Plant.c. 6. in solo pingui rectiùs se habent, quod vel hominum naturam huiuscemodi indicare abundè existimant. Homines enim macilentos ieiunósq; pingui maximè delectari, eiúsque vsu in colore viribúsque proficere. Vna igitur Napi species est, cuius semina tanquam venenis aduersa, theriacæ ipsi imposita fuisse planum est. Scordium ad examen nũc veniat, herba hoc tempore notior quàm Arabum ætate, qui siluestre allium pro ea vsurparunt. Causa erroris à quocunque recentiorum diligenter fuit adnotata. Illius verò notas tanquam cuique in medica materia etiam mediocriter erudito apprimè cognitas, vel inquirere diligẽtiùs, vel adscribere pleniùs, superuacaneum omnino est. Quæramus potiùs si multas habet species, quænam pro hac compositione ex vsu sit. Quæramus item, cuiusnam regionis siue loci (multis enim in locis nascitur) sit eligẽdum: explicata deinceps causa, cur in theriaces compositione fuerit assumptum. Plinius itaque, quem persæpe rebus obscuritatem attulisse certum est, lib.25.cap. 6. tres illius constituit species: vnam ipsi Mithridati à Crateua adscriptam, Mithridation vocatam: cui folia duo inesse dicit à radice, Acantho similia: caulem inter vtraque, sustinẽtem roseum florem. Alteram à Lenæo Scorditin siue Scordin ipsius manu adscriptam, magnitudine cubitali, quadran-

quadrangulo caule, ramoſum,quernæ ſimilitudine,foliis lanuginoſis: reperitur.in Ponto, campis pinguibus humidíſque, guſtus amari. Tertiam alterius generis,latioribus foliis, Mētaſtro ſimilem, plurimos vtranque ad vſus per ſe, & inter alia in Antidotis. Adiecerūt & herbarij aliqui Alliariam dictam herbam,tāquam ex illius ſpeciebus vnam: nonnulli & Chamedryon, quæ Trixago minor dicitur. Locum pariter non mediocrem differentiam huic herbæ adferre,ſcriptum fuiſſe inuenio. Inter prima,inquit Dioſcorides,lib.3 ca.108. efficax Ponticum natione,Creticúmque. Libri primi de Antid. author cap.12. non ſolùm in Creta optimum reperiri teſtatur Sçordium, ſed & in aliis multis regionibus. Ex recentioribus alij Apuliam laudant,alij Ferrariam,alij alios montes & diuerſas planities. Naſcitur hoc quoque vel in locis planis & humidis:vel in montoſis & ſiccis. Quodnam ſit eligendum quæritur: veluti etiam num ſolam ſimpliciter herbam, vel cum ea etiam ſemina,flores,virgulta, fructúſque accipi oporteat. Vt quærāmus illi in cauſa ſunt, qui omnia ſimul quæſierunt accipienda. Cęterùm non eſt vt in hac vel illa ſpecie eligenda ſolicitudinis quidpiam ponamus: illius ſimplicem cùm cōſtituerint ſpeciem Dioſcorides & Galenus. Qui verò ſpecies has ſine neceſſitate multiplicarunt, aut herbarum ſimilitudine quadam decepti,aut rerum nouarum nimium curioſi, aut ad pauca reſpiciētes,de facili ita pronuntiarunt. Mirari ſanè debet quiſque cur has ſpecies ad Trixaginem ipſam, Mētaſtrum & Chamedrym,quibus ſimiliora fortè ſunt,quàm

vero Scordio, potiùs non reduxerint. Vtcunque autē sit, ſolo vero Scordio nobis vtendum eſt, foliis, vt docuit Dioſcorides, Trixaginis, maioribus, non ſic in ambitu diuiſis, aliquantum allia redolentibus, guſtu amaris & adſtringentibus, quadrāgulis caulibus, ſubrubróque flore. Hoc licèt in Ponto ac Creta optimum ſit, aliis tamen etiam in regionibus progenitum ex toto minimè explodendum eſt: tum quia hoc ipſum vno ore atteſtētur Medici omnes, herbariiq́ue præcipuè: tum etiam quoniam vix à Cretenſi vel Pontica regione citra cariem ſitúmve deferatur. Quanquam autem & paludes amet Scordium, dicatúrque ideò à Romanis Plinio authore Triſſago paluſtris: quia tamen & in montibus naſcitur, vt docuit Dioſcorides, montanæq́ue herbæ paluſtribus vt plurimùm anteferuntur: montanum ideò ſcordium erit eligendum. Etenim quæ agro feruenti leuíque proueniunt, dicebat Theophraſtus lib. 4. de cau. plant. cap. 13. coctilia ſunt: è contra quæ terra frigida, ſpiſſa, lenta, & quaſi figulari, atque etiam pratenſi, madida & paluſtri exurgunt, omnia hæc incoctilia propter copiam viréſque alimenti, & denſa duráque ſunt ex permixtione terrenæ atque frigidæ partis. Spiſſiora, ſubdebat cap. proximè ſubſequenti, conſtantioráque procreantur locis montoſis quàm planis, atque etiam magis quàm pluuiis. Huius virgulta, folia, flores & fructus quibuſdam ſic ſuadentibus ſimul ſi acceperimus, in id inconueniens incidemus, quod de Maro & Amaraco proximè differentes adnotauimus. Dicunt illi ſic iubere Galenum: hiſque omnibus ſimul

mul mixtis, iure postea in caliditate & siccitate ad tertium excessum pertingere Scordium. Sed quòd ad Galenum attinet, ea hic repetenda non sunt, quæ pro illius sententiæ explicatione loco dicto scripsimus. Miramur deinde viros doctissimos in ea opinione fuisse: vt foliorum, fructuum, & virgultorum facta in vnum collectio temperamenti gradum augere valeat. Illud placet adiicere, non vnius temperamenti causa, ad excalefaciendum scilicet & exiccandum, impositum fuisse in theriaca Scordium: sed potissimùm quia venenis aduersetur ac corruptioni. Ad quam rem patefaciendam eo tantùm contentus esse nolo, quod ab authore libri primi de Antidot. in capitulo duodecimo scribitur: literarum quippe monumentis traditum esse à quibusdam celebribus viris, cùm in prælio interemptorum cadauera multos dies insepulta iacuissent, quæcunque supra Scordion fortè fortuna ceciderant, multò minùs aliis computruisse, ea prę sertim parte qua herbam attigerant. Ob quam sanè rem, inquit ille, persuasum est omnibus tam reptilium venenis, quàm noxiis medicaminibus, quorum vi corpora computrescunt, Scordium aduersari. Nolo inquam hac vna contentus historia esse, vt qui ad vires istas Scordij confirmandas certius argumentum, fabulæ suspicione carens, habeam. Galenus enim libro nono de simpl. med. facult. cap. primo, ex quodam in Insula Lemno inter Medicos principes habito se didicisse scribit, terrã Lemniam ex aceto ferarum ictus persanare, extrinsecus foliis insuper positis

quæ putredini reſiſtere dicuntur. Imprimis verò, ſubdit Galenus, prædicabat Scordium, deinde Centaurium exile, inde Marrubium. Sed Dioſcorides, cui longè maior in medica materia eſt tribuenda fides, aduerſus venenatos ſerpentium morſus ſcordium valere manifeſtè docuit. Qui cùm ſoli herbæ & ex ea extracto ſucco virtutes omnes tribuat, nulla florum aut ſeminum, aut virgultorum facta mentione, dē ſoliſque foliis proximè quoque locutus ſit Galenus: cur in theriaces compoſitione eius folia tantùm non ſint imponenda, nulla poſſumus ratione perſuaderi. Cuius itaque regionis Scordium, quæ illius pars, & cur ſit accipiēda, ex his, arbitror, eſt ſatis manifeſtum. Opobalſami autem, poſt Scordium poſiti, loco quidnam ex vſu fuerit, in ea parte quæ paſtillorum Hedychroi compoſitionem continet abundè dictum eſt. Eadem & ratione, quæ de Cinnamomo eodem loco dicta ſunt, hic rurſus commemorare nihil eſt opus. Sola ea dictio prorſus inſueta cinnama in Andromachi carminibus, à Iulio Martiano Rota Latinè factis, poſita, quæ nimium curioſis ingeniis aliquam parere poſſet obſcuritatem, explicatione hoc loco egere nobis viſa eſt: eóque magis quòd & in Hedychroi compoſitione, in ſubſequenti carmine poſita fuerit:

Phu: quibus æquale fragrantia Cinnama pondus.

cinnamomum itaque ea voce ſignificari, oſtendit imprimis Andromachus, qui Græcè hæc habuit: τοῖς δ' ἐπὶ κινάμωμον ἰσάζεο: Andromachus deinde Iunior in ſua theriaces deſcriptione quæ ſoluta oratione legitur: Galenus lib. de ther. ad Piſon. cap. 12.

cap.12. author libri de ther.vſu ad Pamphil. Aëtius,Oribaſius,Paulus,Auicenna,& Haly, omnes ac ſinguli cinnamomum hoc loco ponentes.Ratio eſt in promptu pariter validiſſima, quòd alio nullo huius compoſitionis loco ponatur cinnamomum,paſtillis Hedychroi exceptis.Metri cauſa Iulianum Martianum ea dictione vti coactum fuiſſe is concedet,qui verſuum componendorum rationem calluerit.Neque tamen inſolenti & abſurda omnino voce virum doctiſſimum imprudenter vſum fuiſſe dicendum eſt,qui libri de ſimplicib. medicamentis ad Paternianum (falsò Galeno attributi)authorem Græcum quidem Medicum antiquum, & Scribonium Largum in hieræ ſimplicis deſcriptione habuit, quos imitaretur. Primus enim Cinnamomi vires & conditiones explicans, Cinnami dictione vſus eſt. Alter verò Cinnamum in hieræ compoſitione poſuit,in qua Cinnamomum omnes poſuerunt.Videas & Paulum lib.7.de re med.in litera K & Oribaſium li. 15. collect. medicinal. in littera C, poſt quam de Cinnamomo tractauerunt, quid ſit Cinnamomis explicare, eſſéque velut Cinnamomum imbecillum: vel,vt nonnullis placebat, pſeudocinnamomum,docere. Atque hæc omnia virum grauiſſimum,dictione inſolita vtẽtem, excuſant vel maximè. Vnum denique relictum eſt Agaricum,in hoc tertio huius compoſitionis ordine vltimum locum obtinens,conſiderandum, cuius Hiſtoria ſiue fungus ſine radix ſit,vt multi diſputãt, notior omnibus medicis eſſe debet, quàm vt pluribus debeat hoc loco patefieri. Solam quæramus cau-

ſam cur in theriaca poſitum ſit. Purgantem quidem habet facultatem , quam in ea medicamenti compoſitione,cuius facultas huiuſmodi nulla eſt, locum nullum habere dicendum eſt. Exiccat autem ſecundo gradu , & excalefacit primo , vno medicorum omnium conſenſu : quarum quidem qualitatum ratione non modò acceptum fuiſſe dicendum eſt, ſed quoniam etiam,Dioſcoride & Aetio magiſtris, diſcuſſoriam & inciſoriam craſſorum humorũ, obſtructiónúmque in viſceribus expediendarum vim habet. Adhæc Venenis ſerpentiúmque morſibus pro Antidoto eſt,quæ potiſſimum in theriaca deſideratæ fuêre facultates. De his itaque medicamentis, quæ tertium ordinem complent,iam dictum ſit ſatis.

ORDO QVARTVS THERIACAM INGREDIENTIVM MEDICAMENTORUM.

Caput Octauum.

QVARTI huius ordinis medicamentorum numerus multam habet difficultatem:pondus nullam.Quod enim hoc in quarto ordine eadem ponderis ad dimidium minuendi fuerit obſeruata proportio , quæ in tribus aliis ordinibus eſt obſeruata , vt ſcilicet ſolas ſex drachmas in hoc quarto pendant,cùm in tertio duodecim pependerint, omnes conſentiunt , idque ſine controuerſia affirmant. At in numero eorum minimè ſeruatam fuiſſe

fuisse proportionem illius conduplicandi, vt sicuti octo tantùm in tertio ordine sumpta fuere, in hoc quarto sexdecim sumerentur: magna est inter viros grauissimos controuersia, volentibus aliis quarti huius ordinis medicamenta decem septémque numero esse: aliis decem & octo. Tanti profectò facienda est difficultas huiusmodi, vt nisi rectè determinetur, compositionem totam è vestigio vitiari necesse sit. Hoc eo argumento coniicere fas est, quòd Galenus Iuniorem Andromachum, Demetriumque, solo vnius medicamenti pondere quadantenus aucto, damnauerit vel maximè: non sine magna compositionis iactura fieri id potuisse persuasus. Longè maius igitur erratum fuerit, medicamentorum numerum secus ac statuerit Andromachus auxisse, diminuissléve: ex quo & maius ponderis vitium, maiorémque seruatæ vtcunque ab eo proportionis labefactationem sequi necesse est. Res est igitur attentè, vt conuenit, consideranda, maturóque accedente consilio determinanda. Hoc vt assequamur rectiùs, omnísque obscuritatis occasio in re tam graui euitari possit, ingredientium hunc ordinem medicamentorum examen aggredi: sermonéque procedente num addita à quibusdam medicamenta sint accipienda, an è contra ab aliis nonnullis dempta sint demenda, suo conuenienti loco disputare conueniens erit. Hac enim via rectum hunc medicamentorum numerum veriùs lucidiúsque determinari posse existimauimus, difficultatésque omnes auferri posse credidimus. Quartum itaque hunc ordinem duodecim

hisce versibus comprehendit Andromachus:

Hinc superest Myrrham, Costúmque, speciúq; reuulsum
Corrycio fragrans imposuisse Crocum.
Et casia calamos, & quam tulit India Nardum,
Teq; Arabi Schænum gloria prima soli.
Inde nigrum coniunge Piper, Thurísq; nitorem
Diuite quod felix rure Sabæus alit.
Nec tu Dictamnum, nec tu quoq; Põtica Rheon
Defueris stæchas, Marrubiumq; virens.
Atq; Apium petris quod nasceris, & Calaminthe
Afraq; cum lachrymis ô Therebinthe tuis.
Et foliis gramen quinis & Gingiber ardens:
Singula sed drachmas sex tibi quæq; trahant.

Sanè verò his versibus explicata medicamenta decem & septem numero esse videntur: quorum sex priorum natura viribúsque in sermone de trochiscis Hedychrois explicatis, nõ est, arbitror, quod de iis plus operæ vltro inutiliter insumatur. Sunt hæc autem, Myrrha, Costum, Crocum, Cassia, Nardus, Schænúmque. A nigro igitur Pipere, post ipsum Schænum posito, sermo noster incipiendus est. Hoc notissimum cùm sit, nulláque, vt multi sentiunt, fraudes imposturásue admittat, pauca admodum de se dicenda postulat. Grauissimum vt sit oportet, plenum, bene nigrum, sine multis rugis, quoad fieri potest recens, ac minimè furfurosum, Dioscoride magistro, libro 2. ca. 153. Et quam Piperis speciem in Indicis regionibus reperiri siluestrem dixit Christophorus à Costa Africanus, eam amaritudine in eo existẽte detegi

ille

ille idem docuit. Posita est & hæc Piperis nigri species in hac Antidoto nobilissima, non vna ea de causa, quòd excalefaciat & exiccet, vt omnes asserunt: sed quoniam etiam serpentium morsibus illud strenuè auxiliari Dioscorides docuit. Quoniam autem altera quoque Piperis species reperitur, quæ alba est, vt in sermone de trochiscis Hedychroi dicebamus, & antidotis ac medicaminibus contrà venenata paratis, ex Dioscoridis sententià, misceri solet: num ideò hæc quoque in theriaces compositione ab Andromacho reposita fuerit, quotquot de theriaca componenda scripsere medici omnes, inquisitione dignum esse iudicarunt. Dubium in eo esse videtur totum, quòd Piper album expresè minimè nominauerit Andromachus. Multa in vtranque partem disputarunt Maranta & Patauini medici, mea quidem opinione, illustres. Affirmatiuam hi partem sustinent, & Piper album posuisse in sua descriptione Andromachum dicunt, sermone primo cap. 15. Negat ille hoc totum lib. primo de ther. capit. 5. Nobis tamen rem huiusmodi, obscuram quidem ac difficilem, paucioribus determinari posse visum est, eo solo scilicet argumento, quòd in ea Iunioris Andromachi descriptione, quæ pedestri oratione in cap. 7. libri primi de Antid. scripta est, positum sit album Piper. Hanc ab ea, quæ Senioris Andromachi fuit, solo Piperis pondere differre, Galenum affirmasse, sæpius hucusque audiuimus. Senioris igitur descriptionem Piper album continuisse, ipse Iunior testis est locupletissimus. Huius Græca lectio habet πεπέρεως λευκῦ καὶ μα-

κρῦ: quæ verba Iulium Martianum Rotam eius libri interpretem prætermisisse dissimulasséue, nos quoque cum plerisque vel maximè miramur. Eadem porrò afficimur admiratione, verba hæc: πεπέρεως λευκοῦ καὶ μέλανος, in Græco de theriaca ad Pisonem Galeni libro existentia, in ea scilicet libri parte, in qua Andromachi senioris compositio soluta oratione à Galeno ex professo descripta est, eundem interpretem vel prætermisisse, vel dissimulasse: ea nanque Piper album luce clariùs significant. Atque maiorem inde fidem argumentum huiusmodi suscipit, Pipérque album in theriaces compositione ponendum suadet: quia Damocrates, Aetius, Paulus, Actuarius ex Græcis medicis: Serapio, Haly, & Auicenna aliquando ex Arabibus, Piper album in ea theriaca quam ex senioris Andromachi instituto professi sunt omnes ac singuli posuerint. Sanè verò vniuersalis iste horum virorum consensus tanti à nobis fit, vt nulla nos oratio, nullum argumenti genus, nulla persuasio in aduersam sententiam trahere possit: atque eò magis quia Piper album præstantius esse Dioscorides statuerit, antidotísque & medicamentis aduersus venena paratis antiquitus misceri solitum affirmauerit: quo nomine ab Andromacho Seniore non debuit prętermitti. Quicquid sit igitur, quod subtiliùs & multa oratione de re huiusmodi prædicti viri disputant, ad suámque defendendam sententiam argumentis multis hinc inde adductis ingenij vires mirum in modum exercent: cùm responsione careat adductum à nobis argumentum, nullámque prorsus limita-

.tionem

tionem admittat, minúsque infringi valeat, Piper album theriaces compositioni imponendum esse dicimus: ídque voce illa, ἀγλαῶ, in Andromachi carmine contenta, expressum fuisse necesse est. Vox hæc autem ad thus ipsum referri quamuis posse videatur, immò & propriè magis thuri possit accommodari: ad Piper tamen quoque eandem posse referri nec inconueniens est, nec impossibile. Vox hæc quidem ἀγλαΐα apud Græcos splendorem, nitorem, claritatem, voluptatem maiestatémque propriè significat, non albedinem, vnde ἀγλαΐζομαι, splendeo, ornor, glorior, iisdem significat. Cùm tamen Piper album nigri respectu splendere dici possit, licèt impropriè, per metaphoram quandam vocem ἀγλαῶ ei accommodari posse non est inconueniens, Poëtæ præsertim, cui licentiæ tantum datum est, vt etiam impossibilibus, dummodò verisimilitudinis quidpiam habeant, possit vti. Profectò vocem illam Piperi potiùs, quanquam impropriè accommodare præstat, Galeniq; & aliorum antiquorum Medicorũ Piper album in theriaca ponentium insequi vestigia, quàm seruata vocis proprietate aduersus eos insurgere, eorúmque scripta sine necessitate dilacerare, & audacter nimis mutilare. Et quanquam Pipere albo non apposito eam proportionem quaternariam in tota compositione seruari Maranta docuerit: tamen & Pipere apposito aliud proportionis genus seruari quoque magna iudicij præstantia & doctrinæ soliditate declarauerunt Medici Patauini: vt propterea proportionis seruandæ causa, non minùs

poſſit apponi album Piper, quàm demi. Hæc itaque de albo apponendo Pipere noſtra eſt ſententia. Thus proximè ſequitur, de quo non eſt vt verba faciamus, tanquam de re omnibus apprimè nota, & à multis longa oratione examinata: quorum ſcripta inutiliùs repetere & cum temporis iactura hic tranſcribere, noſtri non eſt inſtituti. Quare, ad ipſum tranſeamus Dictamnum, illuſtre omnino medicamentum, quod ſi dixerimus eſſe eligendum Creticum: protinus & Dictamnum album à quibuſdam Fraxinella dictum, ad lumbricos ventris enecandos aptum, & Pſeudodictamnum à Dioſcoride appellatum, & quæuis alia herbæ ſpecies hoc nomine inſignita, excluſa remanebunt & interpuncta. Porrò Creticum eligendum eſſe, vno omnium conſenſu Medicorum conſtat: & hoc inter res omnino cognitas primi libri de Antid. author retulit in cap. 14. Has tamen habet notas, Dioſcoride, Theophraſto, Pliniòque magiſtris: frequentibus ramulis fruticat, & illis quidem lignoſis, vt *Maiorana*: foliis rotundioribus, maioribus, multa lanugine candida obſitis: hyeme candidioribus minoribúſque, æſtate grandioribus & nigrioribus, ſiſymbrij æmulis: in ſummis ramulis ſpicas ſquamoſas fert craſſiores ac longiores noſtro ſcarſa pepe montano: colore ex rubro nigricante: flores fert purpuraſcentes: tota planta odoratiſſima eſt, ac ſapore acri valde conſtat. Cæterùm quòd flores ab eo auferre viſus ſit Dioſcorides, quem quoque ſecutus eſt Plinius, in cauſa fuit vt diu Medicos latuerit optimum hoc medicamentum, ſtrenuo illo commiſſo errore,

rore,

rore,vt dictami radices eius loco acciperent. Re tandem à pluribus doctissimis viris diligentiùs & attentiùs examinata, eius cognitioni, Dioscoridísque & Plinij excusationi aditus patuit manifestus. Virgilium enim imprimis lib. 12. Aeneidos hunc in modum cecinisse obseruarunt:

Tum Venus indigno nati concussa dolore
Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida,
Puberibus caulem foliis & flore comantem
Purpureo.

Statium deinde Papirium libro siluarum primo hæc de eodem medicamento animaduerterunt cecinisse:

Si qua salutifero gemini Chironis in antro
Herba Tholo quocunque tibi Troiana recondit
Pergamus aut medicis, felix Epidaurus arenis
Educat, Idæa profert quam Creta sub vmbra
Dictamni florentis opem.

quam eandem sententiam Damocrates ipse quoque referente Galeno, lib.5. de comp. med. per gen. his verbis confirmauit.

Cunctis herbæ his Diptamni quoque
Siccæ, sed habentis florem drachmas bis decem.

Quod idem sensit sine dubio libri primi de Antid. author cap. proximè scripto, inter eas plantas, quarum flores, fructus, rami & folia in theriaca ponuntur, Dictamnum enumerans. Hoc eapropter freti argumento, quòd flores dubio procul proferat Dictamnum, excusandum non accusandum esse Dioscoridem existimarunt, eiúsque locum peruersè legi affirmarunt, ita vt illa negatio non partes, sed partium facultates auferat, sensús-

que sit: flores & semen nullum vsum præstant. Quæ eadem fuit Theophrasti opinio, qui lib. 9. de hist. plantarum cap. 16. Vsus, dixit, foliorum dictāni, non ramorū nec fructus est. Dioscoride autem excusato Plinius quoque à calumnia defenditur, qui deprauatum Dioscoridis codicem insecutus est. Atque ex his non modò horū virorum defensionem habemus: sed etiam quæ Dictamni pars pro theriaca facienda ex vsu potissimùm sit, docemur: folia scilicet, non ramos, fructus, florésve esse accipiendos. Foliorum verò germina fuere qui magis approbarint, ea, vt puto, ratione id affirmantes, quia Græca lectio habeat, δικτάμνου τοὺς κλῶνας. Videas eapropter & Dioscoridem herbæ, eiúsque succo maiores vires tribuere. Quid tandem causæ fuerit, vt in theriaca positum fuerit, ex eodem Dioscoride satis constat, illud contra serpentium morsus præsidio esse, suóque odore bestias abigere quæ venenato ictu sæuiunt, appensúmque contactu exanimare, vulneribúsque ferro illatis & venenatis morsibus præsentaneo esse remedio asserente. Quanquam etiam sua vi attenuante, excalefaciente, exiccantéque manifestas theriacæ qualitates haud segniter illud idem adiuuare negandum non sit. Dicamus nunc de Pōtico Rheo. Hoc Rheon seu Racoma, siue Pōticum, siue Turcicū, siue Sceneticum, siue Barbaricum, vel etiam Raued, aut quomodolibet aliter nominare placeat, nobis curæ non est: licèt de nomine eius valde fuerint solliciti nonnulli, dummodò quid verè sit certò constet, & in eo cognoscendo minimè decipiamur. Num item rhabar-

bari

bari species quędam sit, communémque cum illo habeat naturam (quod verum esse ipse existimo) vel quid diuersum potiùs & facultatis diuersæ, nunc quoque non disputo: quandoquidem habet Rheon hoc, quod ab omnibus Ponticum dictum est, suas quibus cognoscatur proprias ac peculiares notas. Nigri coloris est radix, Dioscoride magistro, lib.3.cap.2. Centaurio similis magno, sed minor & russa magis, fungosa, aliquantulum leuis, sine odore. Et ea optima erit, eodem authore, quæ teredines non sensit, si gustatu cum remissa adstrictione lentescat, manducatáque colorem reddat pallidum, aut ad crocum inclinantem. His notis cùm eius cognitio manifesta est, tum eiusdem à rhabarbaro differentia certa colligitur. Est tamen vt quisque quas admittit imposturas animaduertat, eásque diligentiùs etiam detegat: ne fortè in eo eligendo cum maxima compositionis iactura decipiatur. Quibus enim in locis nascitur Rheon hoc, simulatque euulsum est, ipsum elixant, inquit libri primi de Antid. author, capit. decimoquarto, quò succum remittat: ac tam succum vt sincerum & aquæ impermixtum, quàm Rheum exiccatum, vt non elixum, ad nos postea mittunt. Sed adulterium ab eo facillimè detegi ille idem eodem loco docet, qui suæ spontis Rheum aliquando viderit. Præterea etiam elixi pars quæ sub aspectum venit, densa per totum & compacta, sua opinione, non est, sed rarior, & gustu tentata saporem adstringentem, vel nullum, vel obscurum remittit, cùm tamen si Rheon adulteratum non

ſit,vehementer adſtringat. Quin & illud animaduerſione multa dignum eſſe iudico,quod ab Andrea Ceſalpino lib.4.cap.29.ſcriptum eſt:ei radici quæ pro Rhapontico hoc tempore venit colorem ruffum & croceum ſæpe deeſſe ſuum, per quē verum non eſſe id Rhaponticum deprehenditur: cui rei mentem adhibere conuenit diligentem. Porrò an purgatoriam facultatem habeat(quam tamen illud habere multi cōtendunt) hoc loco quærere, expediens non eſt: quando ea vna de cauſa theriacæ impoſitum id fuiſſe dicendum ſit,quia cōtra venenatorum morſus,vt Dioſcorides aſſeruit, valeat maximè. Recens eſſe illud accipiendum ſtatuit Aetius:quod eum in ſenſum à nobis nunc accipitur,vt quàm minimè fieri poſſit antiquum exquiratur,locorum à quibus ad nos affertur diſtantia maxima ſic ſuadente. Stœchas ex ordine venit, de qua ne verbum quidem facere lubet, quia hoc tempore res omnibus nota ſit,& de illa diſertè admodū ſcripſerint pleriquе, vt non poſſit rudis quantumuis pharmacopola in eo eligendo decipi. Hoc idem de Marrubio virent Stœchadem ipſam inſequente dictum volumus. Quid tamen dictione illa, virentis, intelligēdum ſit: eorum occaſione expedit examinare, qui virentis, hoc eſt, vigentis, ſiue in ſuo vigore conſiſtentis: putà,inquiunt, cum ſuis floribus ſemine repletis interpretantur.Atque pro ſuę huius opinionis confirmatione, Damocratem ipſum adducere potuiſſent, cuius carmen hunc in modum ſe habet:

Marrubij ſemen,quod globuli continent.

Sed

Sed quanquam omnes herbas ad hanc parandam antidotum in ſuo vigore accipiendas eſſe Galenus conſtituerit: ſitque propterea & Marrubium in ſuo vigore colligendum: globulos, vt inutiles, dicimus eſſe reiiciendos: dictionéque illa, vigentis, ſeu virentis, ſemen quoque ipſum comprehendi negamus. Primùm enim cùm herbæ omnes in ſuo vigore ſint colligendæ, hac ſeruata interpretatione, omnes cum ſuo ſemine eſſent colligendæ: quo nihil dici poteſt abſurdius. Semen deinde Marrubij & flores nullius eſſe vſus, docuit Theophraſtus. Dicunt Galenum Marrubij ramos cum ſemine & flore carpi iuſſiſſe, dum methodum componendæ theriaces tradidit: neque Theophraſtum abſolutè ramorum & fructuum vſum interdicere: ſed ad mulierum partus tantùm, in quibus foliis potiſſimùm vtuntur Medici. Hæc enim de Marrubio ſcripſit: Eſt autem folium pulegio valde ſimile, & quid habet quod ad ſuccum proficit: rami verò tenuiores ſunt: vtuntur autem foliis, non autem ramis neque fructu: nam ſi rami tenues admodum ſunt, ſuccoſi eſſe nequeunt, vt ex his pro educendis partubus medicamentum conficiatur. At, inquiunt, ſecus eſt in theriaces Antidoto, in qua rami & fructus ad puluerem redacti ab Andromacho ſtatuuntur. Sunt hæc, noſtra quidem opinione, ſpecioſa ſatis, ſed quæ nullam habeant veritatem. Omittamus nunc de Theophraſti, ſemen & flores nullius eſſe vſus dicentis, opinione diſputare: tum quia ſatis eius cõſtat ſententia, nec niſi dilacerata in aliũ ſenſum traduci poteſt: tum etiam quoniam eorum quoq.

poſita interpretatione, folia valentiores vires habere conſtituitur. Dicamus tantummodò falſum omnino eſſe, Andromachum & Galenum Marrubij ramos cum ſemine & flore in hac compoſitione poſuiſſe. Andromachus ad examen veniat primus, qui Græcè ſic locutus eſt:

Δικτάμνου τε κλῶνας, ἠδὲ χλοεροῦ πρασίοιο.

quæ verba Latinè ſic vertuntur:

Dictamniq; ſummitates, & virentis Marrubij.

Quin & omnes alij, qui theriacæ compoſitionem Latinè explicarunt, ſolum virens Marrubium, nulla ramorum, ſeminis, vel florum mentione facta, poſuerunt. Sic & Iunior Andromachus Marrubium ſimpliciter appoſuit. Idem de Galeno dicendum eſt, in lib. de ther. ad Piſon. cap. 12. ſolum Marrubium, nulla appoſita alia conditione, ponente: quem & ſecuti ſunt, li. de ther. vſu ad Pamphil. author, Actuarius lib. 5. meth. med. cap. 6. Haly lib. 10. pract. cap. 4. Sed Aetius rem hanc totam rectiùs aliis definiuiſſe videtur, tetrab. 4. ſerm. primo capit. quinto. vbi theriacam Andromachi deſcribens: comæ, dixit, Marrubij virentis drachmas ſex. Et rectè ſanè id ſtatuiſſe Aetium dicendum eſt: quando Dioſcorides ipſe, cui in medica materia tanta vbique danda fides eſt, Marrubij vires explicans, ſolis foliis contentus eſt exiccatis, lib. ſcilicet 3. ca. 102. vt propterea Damocratis, ſemen Marrubij in globulis contentum accipientis, opinio tanquam à veritate aliena ſit reprobanda. Ob id autem quòd, vt docuit Dioſcorides, his qui venena hauſerunt, aut à ſerpentibus demorſi ſunt, auxilio ſint Marrubij folia exiccata: hæc propterea the-

ea theriacæ impoſita fuiſſe dicimus. De Apio dicamus deinceps, quod eã primùm dubitationem habet, num ſcilicet Apium ipſum accipiendum ſit, an potiùs Petroſelinũ. Iulius Martianus Rota Græcũ Andromachi carmen ſic Latinè trãſtulit:

Atque Apium petris quod naſceris.

Idémque in alia theriaces deſcriptione, c.17. eiuſdem 1.lib.de Antid.poſita, ſic vertit:

Atque Apium petras quod amat.

ſed Græcã Andromachi lectionẽ in omni codice Græco habere, πετροσέλινον, notiſſimũ eſt. Accedit Iuniorẽ Andromachũ, Galenum in li.de ther. ad Piſon.& qui lib.1.de Antid.& li.de vi ther.ad Pamphil.ſcripſerũt, Damocratẽ, Aetiũ, Actuariũ, Auicennã & Haly Abbatẽ, omnes vno ore & ſine dubitatione Petroſelinum habere. Deceptio in eo fortaſſe fuit, quia Petroſelinum, eſſe antiquorum hortenſe Apium nõ modò Serapio in ipſius theriaces deſcriptione, l.7.de Antid.poſita, ſed & recentiorum plerique exiſtimarũt: quos nunc refellere præſentis non eſſe videtur inſtituti. Quicquid enim de horum ſentẽtia ſtatuendum ſit, dari nunc apud nos & vbique terrarum herbã Petroſelinum dictam, ab hortenſi ſiue montano antiquorum Apio diuerſam, & cui Petroſelini antiquorum notæ omnes conueniant, multis recentioribus hoc diſertè planéque oſtendentibus credẽdum eſt. Huius particulares notas, cuique etiam ancillulæ notiſſimas, ſuperfluum eſſet hic adſcribere. Cæterùm & illud apud aliquos in dubium verti potuiſſe animaduertimus: an Macedonicum Petroſelinum, in alteráue regione natum,

in hac compositione assumendum sit. Sanè verò Galenus in lib. de ther. ad Pison. cap.12. Aetiúsque loco proximè assignato, Macedonicum expressè postulasse visi sunt, quippe quod cæteris omnibus ab ipsis Dioscoride & Galerio anteponatur: in præruptis præsertim saxosisque locis nascens, Estreaticum à loco Macedoniæ particulari in quo nascitur appellatum. At non ita strictè id accipiendum est, quin & alterius regionis Petroselinum accipi meritò possit. Tibi verò, inquit, primi libri de Antid. author cap. 14. si Petroselinum Estreaticum quandoque deerit, ne peiorem existimes futuram theriacam, si aliud imposueris: duplicémque assignauit rationem: à re ipsa desumptam vnam, à necessitate alteram. Non enim inquit, si mortiferis venenis, si venenatorum morsibus aliud ab Estreatico Petroselinum minùs congruit, propterea reliquis etiam morbis, vt torminibus, ventriculo debili, aquæ intercutem, & id genus aliis segniùs opitulatur, quos in primis sanare theriaca promittit. Est præterea, subdit, præruptus, est angustus locus is, in quo Macedonicum nascitur Petroselinũ: vt propterea exiguum prorsus ibi proueniat, ad omnium gentium vsus minimè sufficiens. Quapropter illud idem ei accidere ex necessitate existimauit, quod Attico melli & vino Falerno contingit. Nam cùm in exiguo quodam Italiæ agro Falernũ proueniat, cõplura alia vina in Falerni speciem à vini magistris concinnantur, quæ perinde atque Falerna in omnes prouincias Imperio Romano subditas exportantur. Atticum pariter mel exiguum est, in

Cycladibus

Cycladibus plurimum:idque ex his Insulis Athenas affertur,& pro Attico vænit. Sic & Petroselinum in Epiro multum nascitur,quod inMacedoniam comportatur,plurimúmque immò penè totum Thessalonicam, vnde tandem tanquam Macedonicum quocunque asportatur.Neque tamen maior inde nobis de hoc Petroselino est suscipienda dubitatio, quia vel ex Macedonia, vel ex Epiro tam facilè ad nos illud non adferatur, sed difficillimè rarissiméque; quoniam cùm in plurimis Italiæ locis allatum ex Macedonia verissimum Petroselini semen satum sit iam multis annis, herbariorúmque industria conseruetur diligenter,eandē prorsus cum Macedonico speciem habens, eo non multa cum Antidoti iactura audenter vti possumus. Iam quæ eius pars in hunc vsum veniat,eorum occasione disquirendum est, qui foliáne, an potiùs semen accipere præstet, in dubium reuocarunt.Galenus porrò libro de ther. ad Pison.cap.12.Iunior Andromachus,Damocrates,Aetius,Actuarius,Auicenna & Haly,Petroselinum simpliciter nominantes,herbam ipsam accipiendam esse haud dubiè insinuarunt: qui de compositione medicamentorum differentes, semina expressè nominarunt,cùm iis vti voluerunt. Idem argumenti genus ex ipso Seniore Andromacho licet desumere, qui sola Petroselini voce vsus est, nulla seminis facta commemoratione, secus ac fecerit in Napo, Chamædry, Fœniculo, Dauco,quorum semina expressè nominauit. Cōtrà verò qui sentiunt, caput imprimis 15.libri primi de Antid. adducunt, in quo qui fructus, quæ

radices,quæ folia,& quę semina theriacam ingrediantur,ex professo enumerantur,intérque semina Petroselinum reponitur.Damocratem deinde in vtraque Carmene vocata confectione Petroselini semen imposuisse dicunt,quod Galeno magistro tertij ordinis excalefacientium & exiccantium est. Miror eos Serapionem non adduxisse, qui lib.de Antid.tract.7.c.8. Petroselini nomine Apij montani semen intelligendum esse constituit.Hæc quanquam multi facienda non sit difficultas, quia tam seminibus quàm foliis eandem tribuerit Dioscorides virtutem : iis tamen potiùs assentiri lubet,qui folia accipiunt. Etenim etsi vnius Andromachi authoritas, semina non postulantis, sufficere posset ad id confirmandum : Iunioris tamen & aliorum idem sentientium adiecta sententia longè magis rem hanc confirmat. Profectò Damocratem qui vt alias diximus, Andromacho ipsi ferè conuixit, & Aetium qui theriacam ex Andromachi sententia descripsit damnare par esset,qui Fœniculi, Napi,Thlaspi & Ammi semina particulariùs explicantes, solius Petroselini semina nobis reliquissent subintelligenda.Neque tanti faciendus est Serapio, quanti Aetius,& alij scriptores Græci.Vrget quidem satis libri primi de Antid.locus recitatus,cui tamen, ob eam quam sæpius retulimus libri suspectionum, plenam vbique fidem dare haud conuenit, in iisque præcipuè quæ Aetio cæterísque antiquis Græcis,quoquomodo aduersantur. Petroselino succedit Calamintha, quæ notissima cuique herba est,ex Creta quidem interim allata,sed

&in

& in Italia passim collecta optima, serpentum morsibus & venenis, ex Dioscoridis sententia, lib. 3. cap. 36. vehementer resistens, siue sit Montana Ocimo similis, siue maior, pulegio par, vel oblonga Mentastro cognata, cùm tres illæ eius species in vniuersum constituantur. Cæteris tamen omnibus postremam vires habere inefficaciores idem Dioscorides eodem loco cùm docuerit, & in Antidoto nostra nobilissima quæcunque sui generis perfectissima & valentissima assumenda esse Galenus constituerit, hanc ob id reiiciendam esse planè constat: reliquarum vtra sit eligenda haud planum est. Andromachũ Seniorem si inspexeris, ἠδ' εὐώδης καλαμίνθη, hoc est, & bene olens Calamintha, dixit. Neque propterea hãc plusquã illam eum cõmendasse dixeris, vbi vtramq; bene olere scieris. Iunior verò Andromachus Nepitæ nomine vsus est, voce nimirum Latina, ex Dioscoridis opinione secundæ Calaminthæ speciei conueniente, ei scilicet quæ Pulegio similis est & maior: & hæc videtur eligenda. Num item aquatica species maioris vsus fuerit, suspicari nõnulli videntur, Nicandri in suis Theriacis eam cõmendantis authoritate moti: quin & alij solam Mõtanam Seniorem Andromachum laudasse eo argumento asseuerant, quòd benè olentem postulauerit Calaminthaṃ. Hęc, inquiunt, ocimo similis est, citri odorem, suauiorẽ tamen & acutiorem præse ferens. At species altera quãuis nõ modò foliis pulegium æmuletur, verum & sapore & odoris fragrantia, non tamen adeò suauiter redolet, vti prior Montana. Sunt hæc quidem speciosa

multùm, ſed quæ rem præcisè minimè determinent. Nanque quòd ad Iuniorem Andromachum attinet, Nepitæ quidem nomine Latino vſus eſt, ſecundæ Calamenti ſpeciei magis propriè conuenienti. Sed ob id ſecundam hanc ſpeciem magis eum approbaſſe, inde colligi haud poſſe, duo nobis ſuadent vel maximè. Primò enim cùm nullam particularem ſpeciem expreſſerit Senior Andromachus, vix credibile eſt Iuniorẽ eius filium, eandem Patris deſcriptionem ſcribentem pedeſtri oratione, rem hanc particulariùs exprimere auſum fuiſſe, qui de nullo alio medicamento, aut ſaltem de pauciſſimis id fecit. Miratur deinde libri de Antid. author cap. 7. Iuniorem Andromachum cætera omnia Græcè ſcribentem, hanc ſolam Romanam vocem Græcis vocabulis interpoſuiſſe, cùm Græca vti poſſet. Romani enim, inquit, Calamintham Nepitam vocant. Commune igitur erat ſua opinione apud Romanos Nepitæ nomen cuique Calaminthę ſpeciei. Quare & Plinius Calaminthæ ſpeciem omnem ſub Nepitæ nomine comprehendit, eíque vires eaſdem cum Dioſcoride tribuit, libro 20. nat. hiſt. cap. 14. Minùs profectò Nicandri authoritas conuincit, qui aduerſus ſcorpionis morſum tantùm aquaticam pugnare Calamintham ſcribit, maiore ſcilicet inter ſe exiſtente in qualitatibus manifeſtis ſimilitudine. Nos verò de illius Antidoti compoſitione ſermonem habemus, quæ cuique aduerſatur veneno, omníque ſerpentum morſui inimica eſt. Sed nec Montanam cæteris anteferendam ob id certum eſt, quia eam poſtulauerit benè olentem

Andro-

Andromachus. Præterquam quòd enim bene olet calaminthæ ſpecies quælibet, eo quoque epitheto metri cauſa vſum fuiſſe Andromachum dicere poſſet quiſpiam, vt in pleriſque aliis fecit. Neque Dioſcorides maiorem vni quam alteri tribuit odorem, immò omnes bene olere vt manifeſtum ſupponens, nullam odoris fecit mentionem. Sed fac Montanam maiori præditam eſſe odore: neque tamen hanc cæteris anteferendam eſſe conuinces, cùm plæraque alia minùs odorata cæteris ſui generis odoratioribus hac in compoſitione præferantur. Nos in ea ſumus ſententia, vt quemadmodum tertia Calaminthæ ſpecies, tanquam aliis inefficacior, omnino relinquenda eſt, ita aliarum vſus ſit promiſcuus. Hoc nobis Senior ſuadet Andromachus, qui ad nullam particularem ſe recepit ſpeciem. In eadem nos confirmant opinione, Dioſcorides imprimis, qui eaſdem omnino vtrique ſpeciei vires tribuit: Galenus deinde, qui libro de ther. ad Piſon. Calaminthام abſolutè ſcripſit, quod & fecit libri de ther. vſu ad Pamphil. author. Videre eſt propterea Aetium Calamentham montanam præcisè poſtulaſſe: Actuarium verò Nepitam. Huic, ſi ex Creta delata fuerit (quam quotidie deferri certum eſt) primas dandas eſſe Galenus cenſuit, lib. 4. de tuen. valet. cap. 14. Neque tamen ea deficiente, quæ in Italica naſcitur, in Alpium ſyluis potiſſimùm, dānanda eſt. Colligendam eam eſſe cùm in ſuo eſt vigore, communis herbarum omnium in ſuo vigore colligendarum à Galeno tradita regula iubet. Radicem verò eius eſſe abiiciendam tāquam

ſuperfluam, ſoláque retineri debere folia ſtatuit Dioſcorides loco aſſignato. De Terebinthi lachrima, quæ Calaminthæ in ordine ſuccedit, ne verbum quidem nobis faciendum duximus, qui diligenter omnino eius notas ac conditiones multos ſcripſiſſe ſciamus: vt iam in ea cognoſcéda & eligenda optima nullà ex parte dubitare poſſit aliquis. E Cypro, imò & Chio proximis inſulis eam deferri multis ab hinc annis cœpiſſe ſciunt omnes:& hanc libri primi de Antid. author cæteris præfert omnibus, veluti & Dioſ. libro 1. cap.76.qui tamen neque Arabicam,neque Iudaicam,neque Syriacam, neque Africanam, minúſque in Cycladibus inſulis naſcentem damnat. Hanc non vna de cauſa Theriaces compoſitionem ingredi cenſemus,quia excalefaciat,exiccétque ordine ſecundo,ſimúlque ac ſemel diſcutiétem & purgatoriam habeat facultatem, vt Dioſcorides docuit:ſed quoniam etiam,vt idem ſenſit, Terebinthi fructus contra phalãgiorum morſus conuenienter in vino bibuntur:quam eandem facultatem lachrimæ ex eadem planta decidenti ineſſe negari haudquaquam poteſt. Nota quoque non minùs eſt Gingiber vocata radix,poſt lachrimam Terebinthinam locata, atque nota adeò vt nullam habeat difficultatem. In Antidota,Dioſcoride referente, lib.2. cap.154. addi ſolita, quia ſcilicet venenis aduerſetur validè vt ruta, cuius loco Gingibere virenti Arabas vti ſolitos fuiſſe idem author eodẽ loco teſtatus eſt. De Quinque folio verò vltimum locum in hoc quarto ordine obtinente difficilior eſt determinatio, res ipſa multis

multis modis cùm ſit controuerſa. Primùm e-
nim ſubſequentis quinti ordinis locum primum
medicamentum hoc obtinere nonnulli conten-
dunt. Deinde cùm habeat Senior Andromachus,
καὶ εὔκλωνον πεντάπετηλον, quod Latinè vertunt
aliqui, & benè ramoſum Pentaphyllon, Iulius
Martianus Rota ſic vertit,

Et foliis gramen quinis.

quem eſt ſecutus is qui deſcriptionis illius author
fuit, quæ in capit. 17. libri primi de Antid. legitur:
atque idem ſenſit Galenus, libr. de ther. ad Piſon.
capit. duodecimo. Quinquefoliis vſus nomine: ſic
& author libri de vſu ther. ad Pamphil. & Actua-
rius Damocrates Pentaphyllon dixit, & hunc
ſecuti ſunt Auicenna, & Haly. Nomina hæc i-
taque diuerſitatem quandam præ ſe ferre cùm
videantur, declaratione imprimis egent. Sed hæc
tanti à nobis non ſit difficultas, quanti ea quæ ex
eius eſſentia & ſpeciebus enaſcitur: volentibus a-
liis duas tantùm eſſe herbæ huius ſpecies: nigram
vnam, quæ & humilior eſt: albam alteram, herbo-
ſam ſatis & proceriorē: ídque Hippócratis autho-
ritate, in libro quem de vlceribus inſcripſit, cōfir-
mant. Quatuor eaſdem ālij conſtituunt, Petrúſq;
Andreas Mathiolus potiſſimū: Tormētillā aliqui
eſſe Quinquefoliū diſputarūt: Pliniúſq; Fragariā
iſtud ipſū eſſe viſus eſt affirmaſſe. Vt propterea in
tā varia medicamēti huius diſtinctione, quidnam
nobis pro Quinquefolio in theriaces deſcriptione
aſſumendū ſit, difficile omnino ſit ſtatuere. Omit
to de nominis diuerſitate quicquā vltro determi-
nare, quia certum ſit, id quod Latinis Quinque-

folium dicitur, idem à Græcis Pentapetes, Chamæzelon & Pentaphyllō appellari. Pentatomon etiam, Pentadactylon, Pseudoselinon, Pentacœnon, Thymiatitin, Orphitebeocen, Enotron, Ibidis vnguem, Ibidis pennam, Pempedulam, & Propedulam, eandem herbam ab antiquis appellatam fuisse, ex eo Dioscoridis codice quem Ruellius Latinitate donauit, cap. de Quinquefolio, constat manifestè. Omitto item de eius speciebus distinctiùs disputare: tum quia id iam à plerisque factũ sit, & rectè constituta Quinquefolij natura siue conditio quæuis: tum etiam quoniam eam herbam Quinquefolij nomine nobis nunc in hac compositione accepisse sufficiet, quam Dioscorides venenis tantopere aduersam esse scripsit, li. 4. cap. 38. cuius facultatis causa in ea Antidoto, quæ venenis omnibus aduersaretur, eam vsurpatam fuisse est, vt credimus, omnino verisimile. Ramulos fert hæc, Dioscoride Magistro, festucarum similitudine tenues, dodrãtales, in quibus semen, folia menthæ, quina singulis pediculis, rarò plura, in ambitu serrata, florem ex candido pallescentem, auri æmulum: subrubram habet radicem, oblongam, veratro nigro crassiorem, nascitúrque in riguis & aquariis ductibus passim. Theophrastus verò eius radici id addidit cognitionis, vt cùm effoditur rubra sit: inarescens verò nigrescat, atque quadrangularis cernatur. Hanc itaque ipsam herbam eò faciliùs habere nobis licebit, quòd & passim cognoscitur, & iam cõmunis vulgatúsque est eius vsus vbique. Non autem herbam totam, sed eius radicem tantùm huic vsui commodam

commodam esse,non ex Dioscoride modò vires omnes ei soli tribuente constat: sed ex Galeno etiam & quocunque alio antiquo theriaces compositionem describente.Id tamen vnum considerandum est, vtrum vltimum huius ordinis locum habere debeat hoc medicamentum , an potiùs proximè subsequentis primum , vt nonnullis placuit.Magni autem hoc referre inde constat,quòd quarti ordinis medicamenta omnia drachmas sex pendunt:quinti verò quatuor tantùm:quin etiam eo fine ratione transposito vnius ordinis medicamentorum numerus augeretur , alterius minueretur.De re huiusmodi plura scripsit Maranta lib.primo cap.5. & Quinquefolium in primo loco subsequentis quinti ordinis reponendum , sagapenum verò ab vltimo quinti ordinis loco in primum sexti reponendum esse, multis & illis quidem ingeniosis argumentis demonstrare conatus est: quæ quia cuique obuia esse video, & ad legendum facilia,non est vt hoc loco repetantur: quemadmodum neque ea hic transcribenda censui,quę aduersus eius sententiam Patauini Medici scripserunt,serm.primo cap.12. & sagapenum in quinto ordine , & Quinquefolium in quarto relinqui debere doctissimè demonstrantes. His nos assentimur, rémque vt illi sentiunt sic se habere existimamus,ad eorum scripta lectorem remittentes. Hoc vnum tantùm hoc loco adducemus, quod nos vel maximè in eorum sententiam pertraxisse potuit. Piper album in hoc quarto ordine ex necessitate poni debere demonstratum est;Quinquefolio dempto, decé adhuc & septem

medicamenta quartum explebunt ordinem, túncque ea omnia redibunt incommoda, quæ Maranta Quinquefolio relicto adduxit. Quæ igitur & quot medicamenta, & qua de causa in quarto hoc theriaces ordine posita sint, iam diximus.

ORDO QVINTVS MEDICAMENTORVM THERIAcam ingredientium.

Caput Nonum.

QVAE & quot in Quinto ordine reposita sint, dicamus deinceps. Sunt ea communi quoque accedente recentiorum Medicorum consensu numero quatuor & viginti, hisce carminibus clarè admodum explicata:

His etiam Polium drachmis se quattuor addet.
Addet se Polio proxima Pinus humi.
Cúmq; racemifero Celtarum Nardus Amomo
Et Styracis lentor, feruidáque herba Meon.
Atq; humilis quercus semen, Pontoq; petita
Phu, quibus accedet Lemnia terra comes.
Nec non Malabathri folium, miscebis & assam
Chalcitim, fibras Gentiadasq; simul.
Inde tenax Gũmi, pressaq; Hypocisthide succus,
Adsit & hinc fructus Balsame parua tui.
His etiam anisum, Seselímq; his iungere vellem:
His cardamomum Fœniculúmq; velis.
Atque atrã lachrymã Nili quã spina remittit,
Quæq; suo Thlaspis semine nomen habet.
Hypericon rursum pallens miscebis & Ammin

Nec

Nec drachmis totidem plus Sagapenus eat.

Porrò huius ordinis medicamenta in numero ea excedunt, quæ in quarto ordine posita fuere, & minoris ponderis sunt. Decem & octo recepit quartus ordo, ad pondus drachmarum sex. Viginti quatuor in hoc quinto posita sunt, quatuor tantùm drachmarum pondere, quaternarij quoque seruata proportione. Eorum singula consideremus diligēter. Primum nobis sese offert Polium, à Latinis Iua arthetica dictum, duplex illud quidem, Dioscoride Galenóque magistris: minus, quod & Montanum dicitur: & maius simpliciter appellatum, vtrunque omnibus notum, nec simile sibi quidpiam habens, vt libri primi de Antid. author refert cap.14. quo adulterari possit. Minore autem vtendum nobis esse suadet imprimis Dioscorides, qui quod maius est viribus infirmius esse determinauit, lib.3 cap.107. Galenus deinde lib.8. de simpl. med. facult. id quod minus est ad antidotos aptius esse ea ratione insinuans, quia acrius est & amarius, veluti & odoratum magis: hoc idem esse Dioscorides statuit. Habet hoc vires secundi ordinis excalefacientes, & tertij exiccātes, serpentiúmque ictibus aduersatur, eosdémque suo odore abigit: quibus omnibus nominibus in theriaces compositione positum illud fuisse dicendum est. Hoc etsi è Creta ab eo authore postuletur, qui librū de vsu theriacæ ad Pamphil. scripsit, illud tamen & in Italia colligi optimum, in libro primo de Antid. cap. proximè scripto legitur. Ea tamen animaduersione id colligendum erit, ne propter similitudinem agreste Serpyllum

eius loco colligatur. Facilis tamen erit dignotio, quia Thymum redoleat agreste Serpyllum, hyeméque tota vireat: Polium verò grauem odorem habeat, non sine quadam suauitate, diuersa vtriq. inexistente forma ac figura. Porrò quod dicũt aliqui ex 1. lib. de Antid. cap. 15. non quocunque tẽpore carpendum hoc esse: sed semine prægnans, fructibúsq; eius ramis inexistentibus, omnibus ad vsum theriaces simul exiccatis: minimè accipiendum esse duo nobis suadẽt vel maximè. Primùm (quod & aliàs diximus) inconueniens cùm sit omninóq. erroneum, earum omnium herbarum, quæ hãc compositionem ingrediuntur, & fructus & flores, & folia simul colligere. Alterũ est, quoniam Aetius, & libri de vsu ther. ad Pamphil. scriptor Polij comas siue summitates accipiẽdas esse dixerunt. Quam eandem fuisse Andromachi & Galeni opinionem, illud argumento esse potest, quòd Poliũ nulla alia adiecta cõditione simpliciter enuntiarũt, semina fructúsq. minimè tacituri, si ea quoque ex vsu futura fuisse iudicassent, vt in aliis quibusdam fecerunt. Proxima Pinus humi in secundo loco posita, sic appellata, quia herba quędam sit humi iacens & Pinum redolens, est ipsa Græcorum Chamæpitys, quam Latini Aiugam, & aliqui Iuam vocant, omnibus pariter nota. Tres hęc habet species, vt docuit Dioscorides l. 3. c. 157. quarum duæ postremæ vt in terra minimè repũt, sed altiores habent ramusculos: ita quoque non vsque adeò efficaces, vt prior quæ in terra repit, nec ideò nostro conueniunt vsui. Conuenit autem prior tanquam vires habens efficaciores: in exiccando

cando ordinis tertij, in excalefaciendo ſecundi, quemadmodum Galenus docuit lib.8. de ſimpl. med. facult. & quæ, Dioſcoride magiſtro, aduerſus Aconitũ, tanquam peculiaris quædã Antidotus, pugnat. Hęc pariter ſtudioſè adeò ex Creta nõ eſt expetenda, quum etiam in multis Italiæ locis colligatur optima: imò eius qui 1. librum de Antid. ſcripſit iudicio, multis in locis & odore & ſapore præſtantior Chamæpitys naſcatur, quàm in Creta, in ſuburbanis ſcilicet Romanis prędiis, dũmodo, inquit, continuis imbribus obruta nõ fuerit. Huius radices abiiciẽdas eſſe, quia ſint inutiles, nos quoq. cũ multis ſentimus: ſed ſemine repletã colligi debere, his qui hoc affirmant non admittimus. Licèt enim inter ea enumeretur Chamæpitys, ab authore li.1. de Antid. c.15. quorum fructus vnà cum virgultis, foliis, radicibus, ac floribus, in theriacam mittuntur, Andromachus tamen ſolos ramos poſtulat, quum ſic locutus fuerit: ἠδὲ χαμαιζήλου πτόρθους ἄγοις πίτυος: quæ verba ſic Latinè habent: Et humilis ramos feras Pini. Neq. Galenus Aetiúſve, aut aliorum antiquorum vllus qui de theriaces compoſitione ſcripſerit, huius herbæ ſeminis vſurpãdi meminit. Dioſcorides tandẽ facultates omnes, vtendíq. modũ ſolis eius foliis cũ tribuerit, nulla omnino ſeminum facta cõmemoratione, nos in hac opinione magis confirmat. De Nardo & Amomo, tertiũ deinceps & quartũ locũ in hoc ordine occupantibus, in tractatu de cõponẽdis Hedychroi trochiſcis diximus. Solam eam attingamus difficultatẽ, ex ea Andromachi Gręca voce βοτρυόεντος, enatã: quam vocẽ nõ eſſe ipſius

Amomi epithetum quoddã, sed singulare quodpiam medicamentum significare aliqui voluerũt: quæ res magni omnino, vt ipse existimo, est momenti, quia sic medicamentorum huius ordinis augeretur numerus, & Andromachi rueret tantopere celebrata proportio. Habent qui hæc sentiunt suæ sententiæ fautorem Nicolaum Myrepsum, sect. 22. cap. 5. in theriaces descriptione, & Amomum & Botrym herbam particulariter distinctéque explicantem. Aduersus hos insurrexerunt aliqui eo argumento: non vsum scilicet fuisse Andromachum voce βότρυος, quę speciem herbæ significat, éstque substantiuum, sed βοτρυόεντος dixisse, quod est nomen adiectiuum, ab illo substantiuo, βότρυς, deriuatum, quod & botrum seu racemum & herbam botrym significat. Sed rem clariùs patefaciamus, magnúmque Myrepsi eiúsque sequacium errorem planiùs detegamus. Andromachus Iunior, cuius eadem est cum Seniore Theriaces descriptio, Galenus in lib. de theriac. ad Pisonem, Aetius, Actuarius, Haly, Auicenna & Serapio solius Amomi meminerunt, nulla ne quidem per somnium facta βότρυος mentione: quorum omnium, maximéque Iunioris Andromachi authoritatem, Nicolai Myrepsi opinioni quis non anteponet? Adde nullum impositum theriacæ fuisse medicamentum, quod non vel cõtra venena omnia aut aliqua, venenatorúmve animalium morsus valeret, vel aliam quandam insigniorem vim haberet. Nihil autem virtutum huiusmodi Botryj appellatæ herbæ inesse dicimus, adeóq. Andromachũ solius metri causa voce

βοτρυόεντος

βοτρυόεντος,ceu Amomi epitheto,vſum fuiſſe, vt in quibuſdam aliis fecit.Βότρυς racemum propriè ſignificat,vnde herba Botrys ſic eſt dicta,quòd eius ſemen ramulis racematim adnaſcatur: ſic & Amomum, quia ex ligno ſe conuoluit in racemi modum,vt inquit Dioſcorides,libro primo cap. 145.βοτρυόεν, hoc eſt, racemoſum ab Andromacho appellatum eſt. Niſi fortaſſe quis dixerit, Amomi racemos vſurpandos ea voce innuiſſe Andromachum, quia & Galenus lib. de ther. ad Piſon.cap.12. Amomi racemos in theriaca iuſſit ponendos. Eſt poſitus quinto loco Styracis lentor,res quidem ſatis cuique nota, ſed controuerſa multùm. Licèt enim in eo omnes conueniant, vt malo cotoneæ ſimilis quædam arbor ſtyracem producat: num tamen liquida, an ſolida potiùs res ſit Styrax,vertitur in dubium imprimis.Locus deinde in quo planta viget, quiſnam potior ſit, difficultatem habet. Optimi item Styracis notæ obſcuræ ſunt & dubiæ:adulteriúmque ipſum,cui hoc genus gummi vel maximè obnoxium eſt, haud facilè deprehenditur. Quin etiam eius facultates quænam ſint, haud manifeſtum eſt. Determinanda ſunt itaque hæc omnia diligenter, ne in eo eligendo medicamento, quod omnino nobile eſt, & gratiam multam habet, fortè fortuna decipiamur. Refert autem multum ad huius medicamenti cognitionem rectam, num liquida, vel potiùs ſolida res ſit Styrax,cognouiſſe.Si eos tantùm lubet inſequi, qui Styracem gummi genus quoddam eſſe aſſerunt, res procul dubio ſicca eſt & ſolida.His è contra aſſentiri ſi placuerit, qui la-

chrymam quãdam esse medicamentũ huiusmodi asserunt, liquidũ quidpiam illud esse dicendum est. Arboris malo cotoneæ similis lachrymã esse Styracem apertè omnino enũtiauit Dioscorides, lib.1.cap.68. quem est secutus Oribasius totidem verbis, li.12.collect.medicinal. At lachrymam inter ea quæ liquida sunt enumerandam esse, sensus ipse confirmat, & à nobis hoc eodem sermone paulò antea demonstratum est. Quod idem eò verius quis affirmauerit, quòd qui librum de simplicibus medicam. ad Paternianum scripsit, quasi lachrymam quandam esse Styracem ipsum cum Dioscoride & Oribasio asserit, eo insuper ad rem hãc pressiùs manifestandam addito, quòd in modum Resinę Pityinæ manat, maximè æstibus mediis & sole feruentissimo, optimo tandem eò declarato Styrace, qui multum Resinæ specie permanet. At resinam non inter solida, sed inter liquida connumerari, longè clarius esse puto, quàm vt pluribus debeat manifestari. Accedit Nicolai Myrepsi, Græci pariter Medici scriptoris, idem affirmantis authoritas, qui sect. prima capit.360. in quadam Antidoto febres finiente, Styracem imposuit liquidum. Cæterùm & Damocrates, authore lib.2.de Antid.referente in capitulo tertio in tertia descripta Antidoto, Styracem imposuit liquidum. Hæc ad ea adiecisse placuit, quæ ex ipsis Arabibus Medicis, Styracis speciem vnam liquidam, alteram solidam & siccam facientibus, à plerisque in mediũ adduci solent. Serapio enim in tract. de simpl.ex Plantis, cap.46. Auicenna li. 2.tract.2.cap.431.& 600. quos deinde secuti sunt

alij

alij eiusdem familiæ medici, alium constituunt siccum Styracem, alium liquidum. Per liquidum Styracem, modò oleum ex nucleis extractum, modò ipsam arboris lachrymam, modò stillaticium humorem è recenti Myrrha extractum, quam Dioscorides Stacten vocat: siccæ verò Styracis nomine fructus corticem, à quo expressum fit oleum, intelligit Serapio. Auicenna pariter humidum facit illum Styracem, qui sponte fluit ex arbore coloris citrini, quem Calamitam vocant: veluti & illum, qui per decoctionem fit coloris nigri, quem liquidum appellant. Styracem autem siccum, esse fæces dixit. Quin & aliqui eum Styracem fuisse liquidum dicunt, qui è Pamphylia adportabatur, propterea quòd & Calamis imponebatur, vnde & Calamita dicebatur. Rem è contra solidam esse Styracem, eo imprimis argumento contendi potest, quòd Dioscorides optimi Styracis conditiones esse dixerit, si grumos habuerit albicãtes: si dum mollitur, melleum liquorem reddat. Eiusdem lachrymam gummi similitudine inueniri Myrrhæ æmulam, ille idem scribit. Idem ex eo colliges adulterio, quod fieri ille pariter scribit, cera scilicet vel adipe odoribus imbutis, flagrantissimísque solibus cum Styrace subactis, & per laxa cribri foramina in frigida aqua veluti vermiculos expressis: quibus omnibus nominibus solidum quidpiam esse Styracem, ex ipso Dioscoride affirmare licet. Aliquid item ex Plinio ad rem hanc confirmandam colligi posse animaduertimus, libro scilicet duodecimo capitul. 25. vbi multa de Styrace scripsit. Nihil ta-

men eſt noſtra opinione manifeſtius eo quod his verbis enuntiauit: Exit & in Pamphylia, ſed aridior:quam lectionem ex vetuſtorum Archetyporum collatione Sigiſmundus Gelenius in ſuis caſtigationibus comprobauit. Quid plura? Styracem ob id continuò fere puluerulentum reperiri idem teſtatur Plinius, quia in eo pennati vermiculi circa Canis ortum cernuntur, qui illum rodentes in ſcobem vertunt. Sanè verò his omnibus illud cùm adiiciatur, nullum probatæ authoritatis Græcum ſcriptorem liquidi Styracis meminiſſe, nihilque his temporibus, vel etiam ſuperiori ætate circumferri ſolitum fuiſſe, quod liquidam habens ſubſtantiam Styrax diceretur: quidpiam ſolidum eſſe Styracem, non poſſumus non affirmare: Gummi ſcilicet ſpeciem quandam, quæ, vt multæ aliæ eiuſdem ſpecies, non multo negotio liquefiat. Neque obſint quæ illius liquiditatem comprobare videbantur, vtpote quæ nihil omnino conuincant. Etenim quòd lachrymæ nomine ad illius manifeſtandam eſſentiam vſi fuerint Dioſcorides & Oribaſius certum eſt, veluti & certius eſt lachrymam inter liquida eſſe reponendam. Sed quanuis ex arbore malo cotoneæ omnino ſimili lachryma exeat, quæ Styracis ipſius eſſentialis eſt ſubſtantia: hęc tamen in grumos, vt illi iidem teſtati ſunt, poſtea concreſcit, & Myrrhæ æmula euadit, & in ea forma deinceps permanet. Strabo item libro 12. Geograph. de Styracis generatione ſermonem habens, ſic locutus eſt: Plurima apud eos Styrax naſcitur, arbor non magna, ſed recta, vnde & Styracina fiunt iacula

corni

corni hastilibus simillima:in harum truncis arborum nascitur genus quoddam vermis ligna comedentis:is vermis cùm ad superficiem vsque exedit lignum, initio furfuribus aut ferramentis simile quoddam ramentum effundit, cuius aceruus ad radicem coit:postea liquor quidam destillatur, qui in Gummi facilè concrescit: huius liquoris partes, quæ in scobem radici insitam deferuntur, cum hac & cum ipsa terra permiscentur, nisi quid maiorem in modum concreuit, itáque purum permanet:quod autem in superficie trunci hæret, per quem defluit, id concretum purúmque existit. Hac eadem responsione eis satisfit, quæ ex libro de simpl.med.ad Paternianum adducebãtur. Est, inquit author ille, quasi lachryma:& licèt ad modum Resinæ Pityinæ illud manare dicat, non propterea quòd vltro indurescat negat. Quòd ad Nicolaum Myrepsum attinet, mirum non est eum qui Arabibus medicis conuixit, eorum quoque more σακτὸν, hoc est, stillatitium & liquidum Styracem cognominasse. At de Arabum opinione quid statuendum sit, tunc dicemus, cùm Damocrati liquidum Styracem in præscripta Antidoto imponenti responderimus. Hic cùm στύρακος σταγόνας Græcè scripserit, rectiùs ideò Styracem stillatitium, quia scilicet ex arbore stillet guttatim, quàm liquidum nonnulli vertunt. De Arabibus dicamus modò, qui si oleum ex nucleis arboris Styracem producentis expressum, quidpiam liquidum esse voluerunt, nihil propterea à Græcis discordant, rémque ab eorum Styrace satis diuersam enunciauerunt. Neque etiam ab

eiſdem diſcordant, ſtilatitium è recenti Myrrha extractum humorem, à Græcis ſtacten dictum, rem liquidam conſtituentes: quando hoc idem non modò Dioſcorides & alij antiquiores Græci Medici, dixerint: ſed illud idem & Athenæus lib.15. Dipnoſophiſt. eiuſdem numeri capite, confirmauerit, Stacténq. ipſum inter potabilia enumerauerit: adeóque ſtyracis nomine ad id ſignificandum non niſi abuſiuè vti potuerũt. Et vtcunque res vertatur, liquidi nomine quid diuerſum à Græcorum dicto Styrace illos ſignificaſſe, facile eſt cuique intelligere. Quòd autẽ ſponte fluentem ex arbore lachrymam, quæ Græcorum Styrax verus eſt, liquidi nomine inſigniuerint, rectè vtiq. fecerunt: quando nec Græci ipſi id negaſſent: in ea tamẽ liquida forma quòd permaneat, nullus eorũ, arbitror, affirmauit. Imò Auicẽna vtroq. in loco, in quo de Styrace verba facit, verũ & optimum liquidũ Styracem inter gummi genera recenſet, adductis duntaxat in cap. 600. ipſis iiſdem Dioſcoridis verbis. Illis tandem qui Styracẽ propter illius liquiditatem in calamis è Pamphylia adportari dixerunt, diciq. propterea calamitẽ non eo argumento cum quibuſdã ſatiſfacimus, quòd non propter liquiditatem, ſed odoris ſui ſeruandi gratia, in calamis ſeruaretur: quando id in aliis pleriſq. odoratioribus pretioſioribuſq. rebus minimè obſeruauerint antiqui. Sed quoniam, Plinio referente lib.12. cap. 25. arboris illius malo cotoneæ ſimilis rami intus ſimilitudinem harundinis habent, & ſucco (qui Styrax eſt) prægnantes ſunt. Hos ramos in ſua forma è Pamphylia exportari intúſq.

intúſque exiſtentem Styracem dici propterea calamiten, eſſe cuique poteſt ſatis veriſimile. Gummi igitur genus quoddam Styrax eſt, & per conſequens ſolidum quid, non liquidum. A quo autem loco expetenda res hæc ſit, quærere illud nos cogit, quòd pleriſque in locis eam naſci ſcriptum ſit. Dioſcorides libro 1. c. 18. è Catabalis, Piſidia, & Cilicia Styracem deuehi ſcripſit, ex eóque in Syria Styracinum oleum componi admonuit. E Pãphylia item deuehi Styracem, author lib. 1. de Antid. cap. 14. ſcripſit. Ex iiſdem locis, inſupérque ex Sidone, Cypro, Creta, Amano Syriæ, quòd deferatur, author eſt Plinius loco proximè citato. At qui Indicas regiones ſuis oculis perluſtrauit Chriſtophorus à Coſta, Medicus Africanus non ignobilis, in ſola Aethiopia Styracem naſci affirmauit. E contra recentiorum multi etiam in Itália in agro præſertim Romano, propè Tigolin Styracis plantam & in hortis cultorum ſtudio vigere, & in agris ſpõte prouenire bona fide teſtati ſunt. Non tamen cuiuſque dictarũ regionum Styrax à Medicis approbatur. Vt enim quæ in Italia prouenit planta gummi multum emittit, inutiliſque propterea eſt: ita ex Cretẽſibus arboribus qui emanat, Plinio teſte, eſt à Medicis reprobandus. Exiſtimarunt aliqui ſolũ Pamphylianũ Styracem pro theriaces compoſitione ex vſu eſſe, quia ſcilicet apud authorem primi lib. de Antid, in cap. 14. hæc leguntur: Manifeſtum inſuper eſt, Styracem qui in calamis è Pamphylia apportatur Andromachum præcipere. Pauciſſimus autem illic Styrax naſcitur, tantúmque ab hoc vulgari diſtat, quantum

à vino quod in tabernis venditur Falernum: quibus ex verbis cùm medicamenti perfectiorem conditionem, tum Andromachi præceptum, eiusmodi Styracem præcisè explicans, colligi affirmant. Sanè verò Andromachum Styracem Pamphylianum in sua theriaces descriptione particulariùs expressisse falsum est: qui simplici Styracis nomine, nullo regionis cuiuspiã apposito titulo, vt ex Græcis codicibus omnibus manifestum est, contentus fuit. Ex Græca imò capitis illius è primo lib. de Antidotis adducti lectione, in ea parte quæ de Styrace agit, nullam Andromachi fieri mentionem diligens quorundam fuit animaduersio. Galenus item libro de ther. ad Pisonem, libri de vsu ther. ad Pamphil. author, Damocrates, Aetius, Actuariúsque theriaces compositionem describentes; nullam regionis Styracem producentis fecere mẽtionem. Síque Plinio fidem aliquam in rebus medicis adhibere conuenit, qui è Pamphylia exit Styrax aridior est, minúsque succosus, veluti & qui ex Piscidinis arboribus propè Selgam Lacedæmoniorum nascitur: quo nomine multa Pamphilio Styraci demeretur dignitas, eiusque ad theriacam componendam vsus haud pleno ore esset commendandus. Sed nec illud reticendum, paucissimum in Pamphylia Styracem nasci, vt author libri primi de Antid. apertè asserit: falsum omnino esse contrarium asserente Strabone loco proximè scripto: apud Pamphylos, qui sunt nationis Ciliciæ valde vicini, plurimum scilicet nasci Styracem. Ex Amano quoque Syriæ deuectum Styracem, vnguentariis magis quàm

Medicis

Medicis commodum esse, Plinius asserit. Cæterùm è Catabali,siue,vt Oribasius legit, è Gabali, Pisidia & Cilicia Styracem deuehi licèt dicat Dioscorides: hanc tamen non magis quam illam laudat regionem,Styracem illum præferri admonens,qui pinguis est,resinosus, flauus, albicātibus grumis, & quamplurimum in sua odoris gratia perseuerans, quisque dum mollitur melleum liquorem reddit, eo iudicato deteriore qui niger est, furfurosus, friabilis, canóque situ obductus. Hinc videre est, vt paucis ab hinc dicebamus, ex antiquioribus Medicis neminem aliquam particularem regionem Styracem producentem cæteris prætulisse, vno excepto libri primi de Antid. authore, Pamphyliā laudante, quasi discrimen id illi parui fecerint, & solas Styracis iam dictas optimas conditiones requisiuerint. De quibus non ea tantùm de causa dubitare contingit, quòd libri primi de Antid. author, loco proximè assignato, maximè pallidum Styracem laudās ceu optimum, & Dioscorides flauū cæteris præferens, è vestigio sibi ipsis contradicere videntur: sed quoniā etiam l.7. de cōp. med. per gen. c.3. Medicis qui Principibus aut aliis diuitibus inseruiunt pallido Styrace propter caritatem vtendū esse Galenus manifestè præcipit: in aliorum verò vsum, inquit, optimum ex fusco colore deliges, ex odore potissimùm & colore iudiciū eius sumens: nā niger deterior est. Quasi non vnius tantū coloris optimū dari Styracē voluerit, secus ac senserit Dioscorides. Si tamē hæc omnia cōsiderentur attentiùs, nulla est in his quæ dicta sunt cōtrouersia. Non n. contrarij inter

ſe ſunt Dioſcorides & Galenus in optimo Styraciš colore enũtiando, licèt pallidum Galenus, flauum Dioſcorides illum requirat. Conciliationis ratio non ex aliqua textus correctione, vt aliqui falsò exiſtimarunt, deſumitur: ſed ex eo quod nihil aut certè parum inter ſe differant pallidus color & flauus. Illud tamen ante animaduertiſſe magni omnino referre arbitror, in cap. 3. libri 7. de comp. med. per gen. pallidum dici Styracem, Græcè enim ὠχρὸς legitur: non maximè pallidum, vt apud authorem lib. 1. de Antid. qui ὠχρότατον ſcripſit. Quanquam etiam dictionem iſtam, non pallidiſſimum, ſed pallidiorem tantùm ſignificare Galenus docuerit, 2. de rat. vict. in acut. 22. com. cùm dixit: Eſt autem ὠχρὸν χρῶμα, id eſt, color pallidus, veluti & color ὤχρας vocatæ. Eſtque talis color permixta aquoſo excremento, pallida & amara & flaua appellata bile. Nempe flauus color quantum à rubro in albidiorem ſecedit, tantum à flauo pallidus: Quibus verbis non multum inter ſe differre pallidũ colorem à flauo, docemur manifeſtè. Hoc idem ex eo oſtenditur, quod ab eodẽ Galeno li. 14. meth. med. ſcriptum eſt, c. 3. pallido ſcilicét & flauo colori contrarios eſſe liuidum & nigrum. Vt igitur parum inter ſe differũt liuidum & nigrum, ita eis contraria pallidum & flauum parum inter ſe differre neceſſe eſt. Ille idem li. 5. de loc. patientib. ca. 3. hæc ſcripſit: Etenim ſi bilis abundat, pallidum aut flauum ſputum reiicitur: puſillam pariter his verbis innuens inter hos colores eſſe differentiam. Qua dubio procul de cauſa li. 4. de tuen. valet. eiuſdem num. c. pallidũ corporis

colorem,

colorem, bilis, quæ etiam vt plurimùm flaua est, abundantiam significare dicebat: quasi innuere voluerit, paucam adeò inter hos colores adesse differentiam, vt alterum pro altero liceat vsurpare. Quod eò faciliùs in his coloribus qui congeneres sunt & ferè similes fieri posse concedes, si in his qui longè magis diuersi sunt id obseruatum fuisse intelliges. Galenus 2. de rat. vict. in acut. loco paucis ab hinc citato, viridem colorem pro pallido ab Hippocrate vsurpatũ fuisse docet, iuxta morem, vt ille ait, quendam Asiaticorum Græcorum, qui & nunc obseruatur. ὠχροὺς siquidem, id est, pallidos quosdam videntes, causam cur ita χλωροὶ, id est, virides facti sint, interrogant, χλωρὸν & ὠχρὸν, id est, viride & pallidum nihil differre existimãtes: visúmque quendam seipso χλωρότερον, id est, viridiorem, dicunt ὠχρότερον, id est, pallidiorem. Hæc cùm ita se habeant, quis Galenum & Dioscoridem in Styracis optimi enuntiando colore contrarios inter se fuisse dicet? Minùs verò hocis existimauerit, qui ambos in eo conuenire animaduerterit, vt coloris nigri Styracem (qui color flauo & pallido contrarius est) deteriórem esse iudicauerint. Ob id itaque quòd parum inter se hi colores differant, & ferè similes sint, pallidum quoque Styracem à flauo minimum quid differre dicendum est, Galenúmque id sensisse, & eiusdem facultatis vtrunque iudicasse: pallidúmque propterea propter solam caritatem Principibus & aliis diuitibus hominibus administrari voluisse: aliis verò flauum. Nec profectò aliter eũ à calumnia vindicabis, si solis diuitibus optima

voluit esse administranda medicamenta. Quasi fortè eorum tantùm vitæ causa nobilium medicamentorum cõpositiones inuentæ sint,& iis solis sint exhibendæ.Absit,absit tãtus error à Galeno:qui singulari sua vtens prudentia paucam inter pallidum & flauum Styracẽ cognoscens differentiam:pallidum autem tanquam à longinquissimis regionibus deuectum magno pretio vænire considerans, & flauum vbique ferè inuentum viliori pretio haberi, cariorem principibus & aliis diuitibus assignauit. Quis igitur optimus sit Styrax ex his cõstat.Superest vt ad adulteria quibus subiicitur animum diligenter attendamus,eáque pro virili detegamus.Sunt hęc vt numero plura,ita ad detectionem difficilia.Ac ligni quidẽ scobe quam vermiculi erodentes excusserunt, melle & Iridis sedimẽto vel cera aut adipe odoribus imbuta,flagrãtissimis solibus cũ Styrace subactis, & perlaxa cribri foramina in frigidã aquã veluti vermiculos expressis,Styracẽ adulterari Dioscorides animaduertit.Faciunt,inquit Strabo loco ante cõmemorato,etiam è non puro quidpiã ligno admixtũ & terræ,odoratius puro,sed vi inferius, quod tamen vulgò fallat pleros que. Cedri itẽ resina vel gũmi, aliàs melle aut amygdalis amaris,eundem adulterari scripsit Plinius. Poterit tamen omn[illegible] hæc adulteria detegere quisquis ad præcip[illegible]m odoris fragrantiam animum aduerterit:ace[illegible]quidem admodum est qui adulterio caret,vt D[illegible]scorides admonet,eo scilicet ductus consilio, quòd efficacissimum optimi Styracis odorem quomodolibet composita res aliqua seruare nequeat. Plinius

nius verò quas propoſuit impoſturas guſtu detegi ac deprehendi omnes docuit: non ea quidem, vt puto, ratione, quòd peculiarem quendam ac proprium ſaporem habeat Styrax: (id enim huc vſque animaduertit nemo) ſed quoniam ſiue Cedri reſina & Gummi, ſiue amygdalis amaris admixtis adulterium cõmittatur: peculiarem quædam ſaporem habent hæc ſingula, cuius medio rei ineſſe cognoſcuntur. Quin etiam à Strabone animaduerſa fallacia viſu deprehendi (lignum enim imponitur, quod viſum aufugere haud poteſt) manifeſtum eſt. Eius deinceps ſunt inquirendæ facultates, vt qua de cauſa, theriaces compoſitionem ingrediatur nobis innoteſcat. Sanè verò Galenus libro quinto de ſimpl. med. facult. capit. decimonono in Antidotos alexiterias Styracem indi admonet: ea certè de cauſa, quòd ſerpentes in ſyluis odoriferis frequentiſſimos, ſi vratur, eum fugare teſtati ſunt nonnulli. Venenis propterea & venenatorum animalium morſibus illud aduerſari veriſimile eſt. Neque enim adduci poſſumus, vt credamus ob id tantùm poni Styracem in theriaca, quia primi caliditatis gradus, ſecundi ſiccitatis particeps, Dioſcoride magiſtro, emolliat, excalefaciat & concoquat. Cæterùm difficultatem hac in re Galenus facit non diſſimulandam, inter obſtupefacientia medicamenta Styracem enumerans, 5. in 6. epid. com. 23. re ſcilicet his verbis enuntiata: Porrò nõnunquam idipſum totum affectũ peiorem reddit, quemadmodũ in inteſtini laxioris doloribus Antidota ex Opio Alterco, Mãdragora & Styrace compoſita: iſta nanq. dum

membra vicina refrigerant, vt iterum ab iisdem causis offendantur, reddunt paratiora: eadem ferè ad verbum repetita sententia lib.12.meth.med. c. 1. Videas propterea & Dioscoridem, in eo ipso capite in quo de Styrace agit, testari compositum in Syria Styracinum oleum caput dolore afficere, aggrauare, & soporem adferre, quo nomine inter refrigerantia medicamenta esse Styracem enumerandum videtur innuisse. Sed neque quia obstupefacientia ingrediatur Styrax antidota, minúsque quia caput grauet & soporem afferat, refrigerantis medicamenti nomen meretur. Piper castoreum & alia huiusmodi calidiora medicamenta obstupefacientia ingrediuntur Antidota, Philonium putà & Esd-[illegible]m, súntque tamē calida, non frigida. Sic & Styracē Antidota refrigerantia ingredi Galenus locis citatis dixit: neque tamē ob id frigidus est. Tales porrò ingreditur Antidotos, quia sopori inducendo aptus & ipse est, cuius potissimū causa cōponūtur. Id aūt facit, nō quia frigidus sit, sed quoniā sua caliditate & quam habet partiū tenuitate agēs in humores cęterásque corporis humiditates, plurimas ad cerebrū eleuat euaporationes: si prę sertim refrigerātibus medicamentis mixtus sit, quæ soporem faciunt. Si à vino quis exemplum sumpserit, rem sic se habere planè intelliget: quæ res eò maiorem meretur fidem, cùm ipsemet Galenus id apertè determinauerit, lib.5.de simpl.med.facult.cap.19. his verbis: Papaueris succus & Myrrha & Styrax & Crocus, si largiùs bibantur, quædam dementant: quædam mortem inferunt, verùm conuenienti quadam
men-

mensura aliis ad mixta adiuuant. Porrò quæcunq; inter ea mentem lædunt, continuò etiam pleraque grauant caput, vaporum prauorum congerie ipsum replentia. Sed de Styrace iam dictum sit satis. De herba Meo styracem proximè insequente dicamus deinceps. Hanc esse quam vocamus Imperatoriam præsentis ætatis herbarij omnes vno ore affirmant, cuique certè notam & in multis Italiæ locis enascentem: cuius solas radices ad medicum vsum iidem, Galeni & Dioscoridis sententiam insecuti, exiccatas & tritas commendant. Calidæ illæ quidem sunt, Galeno magistro, tertio ordine, siccæ secundo, attenuantésque ideò & deobstruentes: sed etiam ad venenatorum serpētum morsus præferri cùm obseruauerint Appuli, hac potissimùm ratione in hac theriaces compositione positam illam fuisse dicimus. Huic humilis quercus semen succedit, Chamædrys scilicet à Græcis, Trissago, Quercula, humilis quercus, & Calamandrina à Latinis vocata, vulgaris admodum notitiæ herba, non in Creta tantùm, sed in plerisque Italiæ locis nascens optima. Romæ quinimò in suburbanis prędiis Chamędryn multò plus redolentem, quàm ex Creta aduectam se reperisse testatus est libri primi de Antid. author, ca.14. Sunt qui in Apulia nascentem Chamędryn cæteris anteponant: re tamen in consilium adducta, & in Hetruria apud Senenses, & in Insubria multis in locis eam reperiri optimam rei herbariæ studiosi cognouerunt. Hinc fit vt quanuis Andromachus Senior & Galenus libro de ther. ad Pison. cap. 12. Creticam præcisè postulent Cha-

mędryn pro theriaca componenda, possit nihilominus etiam à recitatis aliis regionibus deuecta in eundem vsum deduci. Andromachus enim Græcus ea omnia laudauit, quæ apud Græcos summo erant in pretio: sed temporis beneficio effectum est, vt multa in Italia æquè optima prouenientia medicamenta viri studiosi inuenerint. Sed vt ab Andromacho Creticam Chamædryn postulante discedere licet, alteriúsque regionis herbam eandem accipere: ita num eiusdem semen tantùm ab eodem Andromacho particulariter expressum, an cum eo & coma, & surculi, vel hæc sine semine accipi debeant, multa cum ratione apud aliquos in dubium verti video. Καὶ κρηταίης σπέρμα χαμαιδρυάδος, habet Græcum Andromachi carmen. Hunc secuti sunt Haly & Serapio. Eius comam postulauit Aetius, nulla seminis facta commemoratione. Galenus in libr. de theriaca ad Pison. ca. 12. vnà & qui librum de vsu ther. ad Pamphil. scripsit, nec non & Damocrates & Iunior Andromachus Chamædryn absolutè scripserunt. Ab his verò omnibus diuersus libri primi de Antid. author inter ea reponit Chamædryn, quorum, vt ille inquit, fructus vnà cum virgultis, foliis, calicibus ac floribus in theriacam mittuntur. Porrò tanta non est difficultas huiusmodi, quæ paruo non possit auferri negotio, si præsertim herbæ istius suíq. seminis vires, & qua de causa theriacæ imposita sit rectè determinemus. Si vnum insequi liceret Theophrastum, res esset planè manifesta, & solum semen ex vsu esse dicendum esset. Is siquidem lib. 9. de hist. plant. ca. 10. huius

10.huius herbæ folia exteriùs ad rupta, vulnera, depaſcétia vlcera & albugines in oleo trita valere tantũ ſcripſit. Semé verò intus ſuſceptũ bilem extrahere,ac oculis quoq. beneficiũ eſſe,ip úmq. ſolum potiores habere vires. Sed quominus huic Theophraſti opinioni aſſentiamur Dioſcorides ſuadet, multas & illas quidem varias huic herbæ vires tradens. Dicamus igitur in tertio excalefacientium exiccantiúmque ordine Chamædryn à Galeno repoſitam eſſe,lib.8.de ſimpl. med.facul. & aduerſus ſerpentium venena Dioſcoridem conſtituiſſe eandem : recentiores verò nonnullos ad peſtilentiam Alexipharmacum quoddam, illam exiſtimaſſe : quibus potiſſimùm nominibus eam theri cæ impoſitam fuiſſe fatendum eſt. Quapropter cùm herbam hanc ſemine prægnantem carpendam eſſe Dioſcorides & Oribaſius apertè iuſſerint,quidpiam in ſemine reperiri, quod eius vires conſtituat efficaciores, exiſtimandum eſt. Hoc animaduertens Andromachus, ſolo ſemine tanquam efficaciore vti voluit. Sanè verò Andromachi deſcriptionem ad verbum obſeruandam eſſe,nec ſine euidenti neceſſitate mutandam,aliàs admonuimus. Hunc metri cauſa ſeminis nomine vſum fuiſſe ridiculum eſt affirmare, vbi res ipſa paulò attentius conſideretur. Neque obſtant Aetij & aliorum in contrarium adductæ authoritates. Galenus enim & libri de vſu ther.ad Pamphil.author,& Iunior Andromachus & Damocrates,Chamędryn abſolutè ſcribentes, huic nõ plus quã illi fauent opinioni. Aetius comã poſtulãs, niſi cũ Dioſcoride intelligatur de coma

cum ſemine, deſerendus eſt. Niſi etiam fortaſſe ex Græco eius partis codice quo caremus, aliter ſtatuendum ſit. At libri primi de Antid. authorem quanti faciamus, aliàs diximus: fortè etiam Dioſcoridem inſecutus ea dixit. Phu Ponticum, quod poſt Chamædryn venit, ſuam in trochiſcis Hedychroi habuit declarationem. Quare ad terram Lemniam ſermo noſter cõuertendus eſt, cuius medicamenti nobilitatem maximam inde cognoſcere licet, quòd Galenus eius intuendi cognoſcendíque cauſa duas in Lemnũ inſulã nauigationes ex induſtria ſuſcepit. Vim præterea Antidoti cõtra pernicioſa venena eandẽ habere ſingularẽ, & cũ vino epotã præſumpta venena euomi cogere, contra ictus morſuſq; animaliũ quę exitiale virus eiaculantur prodeſſe, eſſéq; antidotis familiarẽ, manifeſtis verbis enuntiauit Dioſcorides li.5. c.73. quib. nominibus theriacæ impoſitã eã fuiſſe ſatis eſt, mea opinione, manifeſtũ. Quid autem illa ſit nõ multum difficile eſt determinare: difficillimum è contra ſcitu eſt, nũ ad nos deferatur: ea deficiente, quid illi ſubſtituendum ſit, inter Medicos haud planè conſtat. In Lemno inſula terram hanc naſci author eſt imprimis Dioſcorides, lib.5. cap.73. at non in tota inſula, ſed in ea ciuitate quæ Hepheſtias nominatur, inſulæ illius orientem ſpectans, Galeno hoc ipſum de viſu atteſtante lib.9. de ſimpl. med. facult. cap. de differen. nominatæ paſſim terræ. Eam ciuitatem à Vulcano, qui Græcè Hepheſtus dicitur, nomen ſumpſiſſe Poëtæ fabulantur, quia ſcilicet in Lemnum Vulcanus deciderit, & collem cõbuſſerit.

busserit. Quod tamen non hac de causa, sed propter collis naturam occasionem sumpsisse, loco modò scripto Galenus existimat. Apparet enim, inquit, cõbusto simillimus, tum propter colorem ipsum, tum etiam quia nihil in eo nascitur. Sed difficultatem Dioscorides facit, eam insulam locum palustrem esse qui dixit: & aliqui eandem esse fertilem affirmant. Nihil tamen difficultatis vtrunque habere existimo, esse cùm possit vt palustrem naturam ea habeat Insula, quę à Mari circundatur, in qua tamen collis emineat combusto simillimus. Hoc sua fide & authoritate Petrus Bellonius Cenomanus confirmat, qui plurimarum singularium & memorabilium rerũ in Gręcia, Asia, Aegypto, Iudæa, Arabia, aliísque exteris Prouinciis ab ipso conspectarum tres obseruationum libros conscripsit: in quorum primo capit. 28. loci in Lemno, vnde terra sigillanda eruitur, descriptionem habet. Hephestiæ vrbis rudera inibi adhuc conspici testatus est, à Linado Chorio vsque ad Rapanidi trium leucarum distantia, in quo eodem loco vetus adhuc arx extat omnino ferè disiecta, cuius muros Mare alluit, omníque habitatione caret. A destructo castello, inquit ille, digressi secundùm eius murum ad sinistram progressi sumus, versus collem iter facientes, qui non longiùs inde abest, quàm quaternis sagittarum iactibus. Inter montem & portum sacellum est, Sotira nũcupatum, ad quod Calohieri oppidi Lemnos conueniunt sexto die Augusti, quo terra è sua fodina erui solet. Id sacellum exiguis quibusdam parietibus solummodò constat, tectum lapideum

ſuſtinentibus. A ſacello digreſſi, ad montémque rectà tendentes, in binas ſemitas incidimus, quarum altera dextra, altera ſiniſtra ad binos fontes ducebant, teli iactu inter ſe circiter diſſitos. Quæ ad dextram eſt ſcaturigo, æſtate non exareſcit: at quæ ad ſiniſtram eſt, omnino exareſcit: & cùm locus ſit humidus, ſoli iunci ibi proueniunt. Nos ad dextram equitamus, vbi nullæ arbores creſcũt: at gradus lapidei ſunt additi, quò faciliùs perueniatur in eum locum, vnde terra ſigillanda deſumitur. Aſcenſus eſt ſupra terram ipſam, & ad alterum locum humidum peruenitur: atque ad ſiniſtram paulò ſupra conſpicitur locus, terram ſexto Auguſti die eruendam continens. Porrò ex hac viri diligentiſſimi elegantiſſimíque accurata illius loci deſcriptione, Lemnum paluſtrem locum dici à Dioſcoride potuiſſe conſtat: & adhuc in multa eius parte nihil naſci, vt Galenus dixit. Nam quòd à Galeni temporibus ad hæc vſque aliqua eius pars coli potuerit, & plantæ in eadem excreſcere, ratio non repugnat, neque propterea Galeno res hæc aduerſatur. Nam & Bellonius idem eiuſdem libri primi cap. 25. ſenem quendam illius inſulæ inquilinum ei retuliſſe ſcribit, eam nunquam adeò cultam aut opulentam fuiſſe, frequentioréſque incolas habuiſſe, quod ob diuturnam pacem & quietem eueniſſe exiſtimabat. Eſt autem inſula hæc Lẽnos dicta, Strabone Plinióque authoribus, Thracię oris finitima, à Conſtantinopoli egregia illius regionis vrbe quatuor dierum nauigatione tantùm diſtans. In ea igitur illius inſulæ parte, quæ locum combuſto ſimillimum,

mum,in quo nihil naſcitur,habet:terra hæc Lemnia dicta viget reperitúrque: & ex cuniculo quodam antri eam deferri ſcribunt Dioſcorides & Oribaſius: hic libro decimotertio collect. medicinal.in litera A.ille lib.5.cap.78. Hos ſine dubio imitatus eſt Auicenna,libro & tract. 2. c[illegible]p. 419. cùm dixit afferri hanc terram de monte [illegible]heo, ex loco qui nominatur lacuna, ſicque nominari, quia ipſa eſt terra profunda, in qua non eſt herba omnino neque lapis. Atque vt antiquitus non ſine ceremoniis colligebatur terra huiuſmodi: ita & hoc tempore. Dioſcorides loco proximè ſcripto, terram hanc ſuo æuo dum colligeretur, caprino ſanguini miſceri ſolitam ſcripſit, inſculpta paſtillis ex ea efformatis capræ figura,propter quod etiam Sphragis ægos, hoc eſt, ſigillum capræ appellabatur: cuius conſuetudinis rationem eam fuiſſe dixere nonnulli,quòd cùm ceremonię quędam fieri ſolerent,dum occidebãtur hirci Veneri ſacri, efficeréntque vt Lemni mulieres hircũ olerent,cuius rei cauſa à viris deſpectę vno conſenſu omnes Inſulæ mares trucidarunt. Inde factum vt ſacerdos paſtillos capræ imagine ſignaret. Vnde quoniã Capræ & Hirci vulgò in Inſula immolabantur,eorum ſanguis terræ admiſcebatur. Vtcũque autẽ ſit, minus fabuloſum eſſe exiſtimo dixiſſe, quòd quia Capra,quæ nunquam ſine febre eſſe dicitur, Aeſculapio qui Deus ſalutis dicebatur,per contrarietatem imolabatur:ideò paſtillos illos cum ſanguine illo, efformari ſolitos. Sed à nobis Medicis,qui rerum medicarum cauſas vbique exquirimus certiores, hæc procul abſint i-

nania & fabulosa. Sanguinę itaq. Caprino maculas contractas ablui scribit Marcellus: eundē sanguinem ad extinguēda venena vtiliter ebibi scripserunt Dioscorides & li.2.de Antid.author. Aduersus quoque dysentericos dolores optimum remedium, illum esse idem Dioscorides & Galenus attestantur. Quas omnes easdem facultates cùm habeat terrā Lemnia, verisimilius propterea nobis fit, antiquos miscere simul solitos fuisse Capræ sanguinem & terram Lemniam, quò maiores vtriusq. medicamenti efficerentur vires. Sed quo tempore ad ipsam Lemnū insulam ea vna de causa Galenus appulit, vt sanguinis & terrę huius mistionis modum inspiceret atq. symmetriam, iam prorsus morem hunc desiisse inuenit: hoc altero obseruato. In eum collem Sacerdos egressa, certo quodam tritici hordeiq. numero in terram cōiecto, aliisq. quibusdā pro religione patria peractis ceremoniis, plaustrum tota terra implebat, atq. vbi in vrbē conuexisset, Lēnias Sphragidas præparabat. Cæterùm & his quoq. ceremoniis abolitis, alias nunc obseruari, scripsit Bellonius capit. 29. libri recitati, hunc in modum: Sexta Augusti die, quæ sola ad huius terræ collectionem destinata est, totius insulæ primæ authoritatis viri, cùm Turcæ, tum Gręci Sacerdotes & Caloieri in sacellum nomine Sotiræ conueniunt, celebratáque liturgia more Græcanico, precibúsque fusis, omnes simul Turcis comitantibus collem, qui à sacello gemino teli iactu duntaxat abest, conscendunt: atque quinquaginta viros ad fodiendum adhibēt, donec venam terræ aperuerint: detecta vena Caloieri

ſoieri ſacculos quoſdam ex animalium pilis confectos terra implent,quos Turcis adſtantibus tradunt, nempe Soubachi aut VVaiuodæ. Cúmque tantum terræ exemerint, quãtum in illum annum ſufficere exiſtimãt, ab iiſdẽ operariis qui illic adhuc prçſtò ſunt venam denuò tegi curant aggeſta terra. Tum Soubachi maximam effoſſæ terræ partem ad Turcarum Imperatorem Conſtantinopolim deuehi curat,reliquum mercatoribus vendit.Et ne quisniſi eorũ opera illam habere queat, ſeueris legibus incolas coercent. Qua ex narratione liquidè conſtare arbitror, ſolius quæſtus & auaritiæ cauſa ceremonias illas nunc obſeruari. Num verò vna tantùm terræ ſpecies inibi colligatur,an plures: quas item habeat quibus cognoſcatur conditiones, ob id quærere operæpretium erit,vt num quæ apud nos hoc tempore pro terra Lemnia defertur, vera ſit & legitima cognoſcamus.Quæ antequam declaremus,animaduertendum in primis eſt diligenter,terram quidem hanc in recitato Inſulæ Lemni loco colligi antiquitus ſolitam fuiſſe, non tamen ſic collectam in vſum veniſſe: ſed quandam priùs circa eam adhibitam fuiſſe diligentiam,per quam poſtea terra Lemnia ſigillum Lemnium propriè denominabatur,& optimum medicamentum euadebat:ſdque pro eius cognoſcendis veris conditionibus adnotaſſe maximi refert.Sumebat eam ſacerdos, inquit Galen⁹,ex dicto loco,ceremoniis recitatis obſeruatis: quam deinde aqua maceratam atque in lutum redactam, vbi valenter conturbauerat, paululúmque inde quieſcere ſciuerat, ſupernatantem aquã

primùm auferebat, & mox quod sub ea erat pingue terræ tollebat: at reliquum duntaxat, quod dimũ subsidebat, lapidosum scilicet & arenosum, relinquebat, vt inutile & superuacaneum: lutum deinde illud pingue vsq; eò desiccabat, dum mollis ceræ consistentiam acciperet, huiúsque exiguis acceptis particulis sacrum Dianæ signum imprimebat, ac postea rursum in vmbra siccandũ reponebat, donec planè omnem humiditatem amitteret, fierétque illud Medicis omnibus cognitum medicamen, Lemnia Sphragis siue sigillum. Hanc eandem diligentiam vsque ad Auicennæ tempora obseruatam fuisse ex eodem eadem ad verbum recitante constat, ex ore, vt inquit ille li. & tract.2.c.419. proprio cuiusdam qui vidit eam. Miror, nec certè mirari desino, diligentissimum Bellonium, qui in Lemnum insulam nauigauit, vt & locum terræ Lemniæ, & ipsam terram propriis oculis inspiceret, de hac parandæ terræ illius diligentia nihil dixisse: cùm tamen illam eandem, aut certè non prorsus dissimilem, tunc quoque & nunc pariter seruari illud persuadeat, quòd in pastillos efformatur, & sigillum in eis deinde imprimitur, quod mea quidem opinione fieri nequaquã posset, nisi priùs aquę medio in luteum reduceretur terra; pastilli deinde efformaretur molles & tenelli, sigillum recipientes. Forma item pastillorum omnium eadem ferè prorsus, eorúmque ad libitum constituta maior minórve quantitas idem demonstrant. Quæ fortasse silentio præteriit vir diligentissimus, tanquam ab omnibus supponenda. Porrò quod ab omnibus in hanc vsque diem

diem receptum fuiſſe intelligo, tres ſcilicet eſſe terræ Lemniæ ſpecies ſiue differentias à Galeno deſcriptas: vnam quæ Sacra dicitur: alteram quæ re vera Miltos eſt, ſiue rubrica, qua potiſſimum vtuntur fabri: tertiam extergentem, apud eos qui lintea & veſtes lauant in vſu. Id profectò ſi ſine animaduerſione accipiatur, multorum errorum cauſa eſſe poterit. Imò multi rem hanc minimè animaduertentes in errores multos & maximas difficultates inciderunt. Terræ differentias omnes quæ in diuerſis inſulæ Lemni collibus reperiuntur Galenus ibi explicauit: eius tamen quæ medicamentoſa eſt ab omnibus recepta medicis, Lemnia Sphragis dicta, vnam tantùm ſpeciem in eo ſolo totius inſulæ colle, qui totus colore fuluo eſt, & in quo neq. arbor, neq. ſaxum, neq. planta naſcitur, enaſcentē cognouit. Atq. hoc quidē Galeni verba attētiùs vt decet legenti clarū adeò erit, vt vlteriori vlla non egeat declaratione: quod & conceptis verbis explicat lib. I. de Antid. author. c. 14. Neque ſanè id me mouet, quod c. 23. li. I. ſuarum obſeruationum ſcripſit Bellonius, plures ſcilicet eſſe differentias huius terræ Lemniæ, quæ medicamentoſa eſt: vnam pinguem adeò vt è ſeuo conſtare videatur, quæ dentibus cedit quando manditur, atque minimum arenæ continet, cuius color in rubedine ad obſcurum accedente pallet: Alteram quæ paulò magis rubet, guſtúque eſt non nihil acido, atque præmanſa calculis arenaceis abūdare deprehenditur, minùs pinguis ſuperiore, bonitate tamen illi non cedens: tertiā cuius color veluti paruis albæ terræ rubræ permixtæ

maculis conſperſus eſt: quartam reliquis diutius rubentem: quintam magis arenoſam: ſextam aromatico ſapore præditam, adeò vt quis ex guſtu aliquid illi admixtum, quod eum ſaporem conciliet, ſuſpicari poſſit, cùm tamen ipſius terræ naturalis ſit, cuius color ſaturatiùs rubeſcit. In his quamuis viro veraciſſimo ac diligentiſſimo, teſtíque oculato, credendum omnino ſit, non propterea adducor vt credam huius medicamentoſi ſigilli ſpecies plures & diuerſas reperiri. Quòd enim imprimis ad coloris diuerſitatem attinet, cauſam ille idem ibidem aſſignat manifeſtiſſimã. Nam, inquit, ſæpè contingit, vt in ipſa vena cãdidioris coloris terra reperiatur, nonnunquam magis rubeſcentis, interdum etiam ex vtroque colore mixta. Aliam verò alia pinguiorem, arenoſiorem, aridiorem, vel magis aromaticam eſſe ex eo, mea opinione, contingere poteſt, quia collecta terra in aqua poſita, vt recitato modo expurgetur & in lutum reddatur, plus minúſue remaneat expurgata, ſiue id imperitiæ, ſiue auaritiæ quandoque tribuendum ſit, videlicet vt commodè à lapidoſa & arenoſa parte, ea quæ pinguis eſt, non ſit expurgata. Sunt igitur hæ omnes terræ eiuſdem accidentales differentiæ quædam, ab eo quod magis minúſue dicitur deſumptæ. Videas propterea ex antiquis ſcriptoribus nullum plures Lemnij ſigilli ſpecies conſtituiſſe. Huius colorem (vt tandem ad conditiones quibus cognoſcatur deueniamus (eundem cum rubrica eſſe Galenus dixit, lib. 9. de ſimpl. med. facult. cap. ſæpius aſſignato: propter quod etiam Lemniam Milton

ſiue

ſiue Rubricam ab aliquibus appellari ibidem admonuit. Rubricam autem ipſam colorem iecinoris habere docuit Dioſcorides, libr.5.capit.71. Quanquam autem eiuſdem ſint coloris Lemnia terra & Rubrica ipſa, in eo tamen differunt vel manifeſtè, ſic admonente Galeno, quòd hæc cõtactu contaminat, illa nequaquam, & ſecundùm collem in Lemno, qui totus colore fuluo eſt, & in quo neque arbor neque ſaxum neque planta naſcitur, tantùm terra huiuſmodi viſitur. Quo certè argumento eos decipi conſtat, qui ambo hæc eadem eſſe affirmant. Tanta tamen non eſt coloris huius ad veram dignoſcendam Lemniam terram certitudo, vt in ea ipſa (quod multi falsò exiſtimant) cognitionis certitudinem reponamus: quãdo, vt proximè audiuimus, variet nonnunquam paululum hic color in ea ſic à vena eruta. Adde quoque eiuſdem coloris eſſe bolum Armenam, Actuario authore (ſi tamen vera ſcripſit) ſubrubeam vtranque eſſe aſſerẽte, lib. de diff. vrinarum capit. 8. vt propterea vnius Lemnij ſigilli color proprius non ſit. Idem de pinguitudine dicere eſt, quam quidem huic terræ ineſſe Galenus idem affirmat, pręparationem eius dum explicat. Sed cuique adeò manifeſta non eſt, vt certam faciat cognitionem, ſi, vt diximus, vel præ malitia, vel ob ignorantiam non fuerit à reduuiis ritè expurgata. Denſa item quòd ſit & mollis, cuiuſdámque adſtrictionis particeps, Galenus affirmat. Sed ſunt hæ eædem boli Armenæ & Aſteris conditiones manifeſtæ. Nõ eſt etiam quòd ad ipſorũ paſtillorum impreſſionem ac ſigillum confugiamus, &

in ea fidei aliquid pro hac quã quærimus cognitione reponamus: quando ad libitum fuerit impressio ipsa sæpe immutata. Dioscoridis & Galeni tempore sigillum Dianæ sacrum Capræ, effigiem repræsentans, pastillis ex luto Lemnio efformatis imprimebatur. Quæ verò impressionis figura aut obseruata aut mutata sit in hanc vsque diem, nullus quod sciam literis mandauit. Turcas autem, qui hoc tempore Regionis illius dominiũ habent, ad libitum impressiones immutare testis est Bellonius: qui duodeviginti pastillorum diuersas impressiones diligentissimè obseruauit, appositis etiam, capit. 22. libri iam assignati, ex industria figuris. Maximam imò pastillorum, eorum qui in ipsa insula adseruantur, partem nullum sigillum impressum habere capitulo vigesimoquarto admonet. Fuit Auicennæ opinio melius lutum Lemnium illud esse, quod non habet odorem nisi aluminis, & retinet sanguinem qui currit ex ore, & annectitur linguæ, & pendet ex ea: has omnes conditiones optimæ Lemniæ terræ inesse debere significans. Multa tamen habet hæc opinio controuersa. Nullus imprimis alumnis odorem huic terræ inesse animaduertit: sistunt deinde sanguinem, annectuntúrque linguæ, & pendent ex ea cùm Rubrica, tum bolus Armena, eiusdem, vt audiuimus, cùm terra Lemnia coloris. In hac eadem contemplatione positus Bellonius hæc habuit ca. 23. Qui Sphragidem Lemniam ex gustu discernere cupiunt, certius iudicium de ea ferre possunt, cùm eam in ore aromaticum quidpiam spirare, atque arenaceam nonnihil esse depre-

deprehendunt: quod signum ex iis est, quæ certitudinem facere possunt. Multum profectò hac in re viro huic diligentissimo tribuendum est, qui vt exquisitiùs hanc terram cognosceret, in Lemnum insulam ex industria nauigauit. Licèt enim id perpetuum minimè esse dicat ille, sed alicui tantùm illius terræ differentiæ: vbi tamen adfuerit, optimæ terræ indicium tunc erit certum. Nos in ea sumus sententia, vt pro certa huius medicamenti cognitione illud primo constare necesse sit, ab insulæ Lemni parte ea quæ ambusto similis est eam collectam esse: spectandam esse deinde eius consistentiam, & animaduertendũ colorem & saporem. Vbi pinguis illa fuerit & densa, colorémque habuerit qualis iecinori inest, & saporem quendam gustui repræsentet aromaticum, tùm verum esse Lemnium sigillum significari. Quin etiam si color omnino similis iecinori non fuerit, paululúmque euariauerit: dummodo ex ea insula deportata terra sit, & recitatam habeat consistentiam, non propterea est illi fides deroganda. Mirabitur fortasse quispiam, solum huius terræ colorem Galenum significasse: qui alias eius conditiones, tanquam testis ipse quoque oculatus, enarrare tenebatur, vt certò cognosceretur. Eadem de ipso Dioscoride sumi potest admiratio, qui solam impressi sigilli effigiem, colore, sapore, & consistentia relictis, adnotauit. Cessat tamen hoc vno argumento omnis in magistros nostros suscepta admiratio: quòd videlicet multorum medicamentorum qualitates & conditiones, tanquam suo æuo omnibus

notas, breuitatis studio ex industria reticuerunt: quæ res Dioscoridi ipsi familiaris adeò fuit, vt nihil familiarius. Sanè verò conceptis verbis hoc ipsum admonuit Galenus, hac vsus oratione: Porrò lutum illud pingue vsque eò desiccat, dũ mollis ceræ consistentiam accipiat: huiúsque exiguis acceptis particulis, sacrum Dianæ signum imprimit, ac postea rursum in vmbra siccandum reponit, donec omnem planè humiditatem amittat, fiátque illud medicis omnibus cognitum medicamen, Lemnia Sphragis, siue Sigillum. Cæterùm etsi hac methodo veram optimámque Lemniam Sphragida cognoscere nobis detur, ad ipsas tamẽ imposturas est diligenter adhibendus animus: de quibus Galenus & post eum omnes ad hæc vsque tempora conquesti sunt vehementer. In libro primo de Antid. capit. 2. terram Lemniam adeò quosdam interpolare scriptum est, vt veram à fictitia distinguere queat nemo. Alexander Trallianus lib. 7. ca. primo in eos inuehitur Medicos, qui terræ huius ementitos pastillos summa fiducia accipientes, successu eorum frustrati sunt, & antiquos tanquam de huiusmodi medicamento mẽtitos accusant. Auicenna pariter lutum sigillatum ita quandoque adulterari admonet, vt penitus nõ cognoscatur. Non deesse impostores, qui hanc terram dexterè adeò adulterare norunt, vt legitimæ quàm simillima videatur, scribit Bellonius c. 22. libri antea assignati: eo insuper addito, venalem reperiri in Aromatariorum officinis Constãtinopolitanis, terrę sigillatę nomen obtinentẽ, sed quæ magna ex parte adulterina sit. Sed optandum

dum esset, vt sicuti, eo referente cap. 23. in Lemnum nauigare constituit, vt rei veritatem inueniret, atque ab adulterina legitimam dignoscere disceret: ita de cognoscenda optima, & adulterina detegẽda, pleniùs & disertè magis locutus fuisset. Multi denique lutum coloris ruffi cum aqua aromatica efficiunt & Medicis imponunt, inquit Maranta, libro primo cap. 25. Quapropter nulla dimissa pro cognitione diligentia id vltrò succurrit admonendum, quod libro primo de Antid. cap. proximè scripto aduersus imposturas istas scriptum est: Hæc inquam medicamenta, quæ imposturis subiecta sunt, & nullam habent cognitionis certitudinem, per eos qui talibus in locis diuersantur conquirenda esse, vel per Præfectos & Senatores qui illis Regionibus præsunt, vel saltem per amicos ibi habitantes. Hæc itaque quæ de terra Lemnia in hunc modum determinauimus, cuique circa eam enascenti difficultati satisfaciunt. Sunt hæ autem numero plures, & quæ maximum hucusq. fecerint omnibus negotium. Lemnium sigillum & Lemniam rubricam idem sint nec ne disputatione dignum plerisque visum est. Terram item Lemniam & bolum armenam vnam atque eandem rem esse voluerunt multi: è contra rẽ diuersam esse cõtendere non pauci. Nũ terra Melitensis & bolus Armena terræ Lemniæ possint substitui, quærunt aliqui: Rubricam Lemniam Milton dictam Lemnio sigillo posse pariter substitui, affirmant alij. Nostris præterea hisce temporibus an reperiatur vera Lemnia terra, in dubium apud aliquos vertitur: sicuti etiamnum

terra illa, quæ Turcico sigillo in pastillos efformata ad nos hoc tempore adfertur à multis, sit verè Lemnia. Quid igitur de his omnibus difficultatibus statuendum sit, quæ à nobis de terra Lemnia determinata sunt commonefaciunt. Et quòd ad primam attinet, Lemnium sigillum & Lemniam Rubricam diuersum quid prorsus esse certum ex his est. Licèt nanque in eadem Insula Lemno Rubricæ genus quoddam effodiatur, eiusdem omnino cum Lemnio sigillo coloris: differunt tamen, vt admonuisse Galenum diximus, quòd contactu non contaminat sigillum, vt Rubrica: illúdque secundùm collem in Lemno qui totus colore fuluo est, & in quo neque arbor neque saxum, neque planta nascitur, tantùm visitur. Adde nullibi scriptum legi, Rubricam sigilli impressionem aliquam recepisse, quod ad denotandam medicamenti speciem in terra Lemnia obseruabatur. In eadem quidem insula vtrunque enasci verè dixeris, sed non in eadem insulæ parte: neque eiusdem facultatis esse. Scripta eapropter hæc sunt satis apposite in cap. decimo-quarto libri primi de Antid. Lemnium sigillum terram potiùs quàm Rubricam appellare conuenit. Est enim Lemnia Rubrica, res alia quædam in Lemno nascens, ad alios vsus apta, quàm Lemnium sigillum quod vocant: Hæc nunc sufficiant: plura enim sumus ad hanc eandem rem firmandã paulò inferiùs dicturi. Num verò bolus Armena & Lemnia terra vnum & idem sint, ex his pariter quę de Lemnia terra diximus clarum esse arbitramur. Etenim vna regionis diuersitas in qua ambo colli-

colliguntur, diuersitatem multam inter hæc constituere potest. In Lemno insula terram Lemniam colligi, à qua etiam denominationem suscipit, audiuimus. At in Armenia ea, quæ Cappadociæ finitima est, bolum Armenam colligi, author est Galenus, lib. 9. de simpl. med. facult. cap. de terra Samia. Differunt verò colore, consistentia, fac[illegible]tatéque. Lemnia terra eiusdem est coloris c[illegible] Rubrica, arenosi quidpiam continens, & ex[illegible] Bolus Armena colore est pallido, exiccat[illegible] [illegible] facultate: nec quippiam arenosum in e[illegible] Galeno loco proximè scripto sic docente. Alexandri Tralliani authoritas accedit, qui diuersitatem inter hæc duo medicamenta cõstituit manifestã li[illegible] c.1. Ac in eadem sentẽtia fuisse Georgiũ Agricolam constat, in his quæ de natura Fossilium scripsit l.2. Quanto igitur in errore ij sint, qui terram Lemniam ad nos adportatam ipsammet bolum Armenam esse volunt, hinc imprimis liquet. Argumentum sumunt ex colore, qui Lemniæ terræ dictus est à Galeno impensè ruffus inesse: bolo Armeniæ pallidus. At nostra hæc terra pallida est, & non, inquiunt, ab insula Lemno, sed ex Armenia aduehitur, licèt mercatorum impostura ex Lemno aduehi dicatur. Quin & aliqui, rubei coloris argumento persuasi, eò se receperunt vt affirmarent, bolum hoc tempore dictam Armenam esse illam terram Lemniam, quæ in insula Lemno Miltos dicitur, siue Rubrica. Cæterùm plurimùm referre crediderim, si quis quærat, num terra Lemnia & bolus Armena idem sint: an ad nos delata terra

Lemnia dicta sit Bolus Armena, vel è contrà. Primum certum est & manifestum prorsus, differre ea scilicet omni ex parte inter se. Secundum fiet quoque manifestum, si nostris temporibus reperiri veram Lemniam terram declarauerimus, nūque Turcico sigillo impressa ad nos delata terra vera sit Sphragis Lēnia determinauerimus. Sanè verò Lemnum Insulam nostris hiscé quoque tēporibus conspici & habitari certum est: in eáque collem ambusto simillimum, in quo quotannis religione quadam obseruata terræ medicamentosæ species quædam colligitur, & summa diligētia obseruatur. His porrò credendum est, qui ex professo ad eam regionem, vt hæc obseruarent & viderent, recèns nauigarunt. Idem in dies confirmant Christianorum Regum apud Turcarum Imperatorem Othomanū fidissimi legati, terram eo in colle collectā, ad nos tanquam pretiosissimum medicamentum deferentes. Resistere eam terrā venenis, adstringere, exiccare, cáque omnia præstare nobis auxilia quæ Galenus scripsit, est à multis iam obseruatum. Neque multi faciendum existimo quòd videatur hoc tempore terra hæc Lēnia maiorem quandam habere adstrictionem, quàm tribuerit illi Galenus, tum quia tanta hæc non est differentia quæ diuersitatem ex necessitate insinuet, tum etiam quoniam procedente tēpore multa excauata terra huiusmodi, mirum nō est quidpiam differentiæ aliquando in ea conspici: quod in iis lapidibus quoque qui in montibus excauantur ad multos vsus humanos est obseruare. Esse illam pinguem, paulum arenosam, linguę-

que subnecti, probet qui voluerit. Solus color nō admodum ruffus, sed pallidior omnem attulisse videtur dubitationem. Hæc tamen non vno argumento planè aufertur. Coloris imprimis varietatem aliquam, terræ, in eo insulæ Lemni combusto loco collectæ, inesse Petrus Bellonius, vt audiuimus, retulit, adiecta etiam ratione euidenti. Quæcūq. deinde fuerit illa coloris varietas, terræ illius confectos pastillos quoscunque non ita pallidos, imò aliquos euidenter ruffos esse, qui diligentiùs animaduertet intelliget. Quanquam etiam aliquos eorum impensè ruffos nos vidisse, bona fide testari possumus. Satis adhæc verisimile est, terram illam magis minúsve exquisitè interim ablui & expurgari: vt hinc quoque coloris euariatio occasionem aliquando sumat. An fortè etiam color ille impensè ruffus, terræ Lemniæ attributus, ipsius rubricæ dictus similis, terræ est in colle illo ambusto, qui totus flauus est existentis, non autem eiusdem maceratæ, ablutæ, ab arenoso omni & superuacaneo expurgatæ, & in lutum redactæ? eiusdem est coloris cum Rubrica, teste Galeno, quæ colorem illum adeo ruffum in suomet colle habet, neque hæc maceratur in aqua, nec expurgatur, vt Lemnia. Huius autem expurgationem illam & ablutionem ruffum colorem potiùs imminuere & infringere posse certo certius est: propter quod etiam ex luto efformatos pastillos, non ita ruffos persistere necesse est. Neque Galenus terræ Lemniæ expurgatæ & ablutę, & in lutum redactæ colorem illum Rubricæ similem particulariùs tribuit, sed terrę Lemnię in ambusto

colle exiſtenti, quod quidem ex eiuſdem lectione conſtat. Reperiri igitur dicendum eſt noſtra hac tempeſtate veram terram Lemniam: & hæc quidem illa eſt quæ Turcico ſigillo impreſſa & inſignita ad nos quotidie affertur: cuius cum antiqua conuenientiam manifeſtè omnino Bellonius oſtendit. Iam an Armenia Gleba, quæ vera ſit & ſincera, nunc apud nos ſit, præſentis non eſt ſpeculationis: ſufficiat ſiquidem demõſtraſſe, verum ſigillum Lemnium nos habere. Ea deficiente, num terra Melites, bolus Armena, Lemniáque Rubrica poſſint ei commodè ſubſtitui, quæſiuiſſe pleroſque ſcimus. Etſi autem facilis omnibus ſit veræ Lemniæ terræ copia, poſſitque hæc ſpeculatio ob id prætermitti, non eſt illa tamen omittenda, quia præcipuè Rubricam ipſam in theriaces compoſitione Lemnio ſigillo anteferendam eſſe aliqui voluerint. Rem hanc propterea rectè determinare, magni omnino refert. Primùm itaque ſi traditas à Galeno ipſi Armenæ bolo vires, exiccandi, adſtringendi, veneníque omnis euincendi, (quæ omnino cum terræ Lemniæ viribus conueniunt, attendimus) vtrũque alteri inuicem ſubſtitui poſſe ſine mora fatebimur, neque res hæc dubitationem habere videtur vllam. At terra Melites dicta, quæ apud multos maximo eſt in honore ac pretio, vbi miram vim aduerſus venena à multis prædicatã habeat, dubio procul Lemnij ſigilli vices hac in compoſitione gerere apta nata eſt. Nos enim de re huiuſmodi noua, antiquis ignota Medicis, quanquam à multis decantatata, certi quidpiam determinare non audemus. Ad Rubricam

cam potiùs Lemniam, à Græcis Milton dictam, nostra conuertatur oratio. Hanc non modò Lemnio sigillo substitui posse aliqui existimāt: verùm etiam eam vnam theriaces compositionem ingredi debere enixè contendunt, satisque valida moueri videntur ratione. Andromachus enim Senior λημνιάδος μίλτοιο, hoc est, Lemniæ Rubricæ portionem suis carminibus decantauit. Quin & Iunior Andromachus in ea theriaces compositione, quam ex Senioris sententia scripsit, & in c. 7. libri primi de Antid. legitur pedestri oratione exarata, λημνίας μίλτου dixit: quæ lemnia est Rubrica. Eandem & Damocratis fuisse inquiunt sententiam, in prima theriaces descriptione, quæ in 16. c. 1. lib. 1. de Antid. legitur. Sed è contra Galenus in libro de ther. ad Pison. λημνίαν σφραγίδα, hoc est, lemniam sphragidem imposuit: quem Damocrates secutus est in theriaces descriptione, in cap. 17. libri primi de Antid. Hexametro carmine conscripta: habet enim Græca lectio, ἔστω καὶ σφραγὶς λήμνου. Aetius Tetrab. 4. serm. primo cap. 91. Lemniæ, inquit, terræ quæ Sphragis appellatur. Lemnium sigillum ponit Actuarius lib. 5. meth. med. capit. sexto, Lemniam Sphragidem Paulus lib. 7. capit. vndecimo. Terram sigillatam Auicenna libro quinto sum. prima tract. primo. Hanc eandem Haly lib. 10. pract. cap. 4. & Serap. tract. 7. de Antid. cap. 8. Sanè verò id vnum in animo habuisse viros istos omnes, lemnium sigillum in hac compositione ponentes, certum est, vt medicamento aduersus potissimùm venena composito eam quoq. terræ speciem miscerēt, quę peculiari

præſtantique aduerſus venena facultate pollet. Nam & Dioſcorides lib.5.cap.73.& Galenus lib. 9.de ſimpl.med.facult. cap. toties citato, & Auicenna,cùm lib.& tract.2.cap.419. tum lib. de virib.cordis tract.2.cap.proprio,Lemnij ſigilli vim aduerſus venena mirificam multis extollunt encomiis,quod minimè de ipſa Rubrica prædicant. Videat Dioſcoridem qui voluerit,capit. 71. libri proximè ſcripti, de Rubrica Sinopica differentē, nullámque ei contra venenum aliquód tribuiſſe vim intelliget: veluti nec Rubricæ fabrili ex Aegypto & Carthagine delatæ, cuius vires expreſſit eiuſdem libri cap.72. De ea autem Rubricæ ſpecie quæ in ipſa Lemno inſula colligitur locutus loco dicto Galenus, ſolis fabris eam ex vſu eſſe teſtatus eſt, ſolo pretioſi medicamenti nomine inſignita eius inſulæ terra, quæ in colle combuſto ſimili & toto fuluo colligitur,ad vſúmq; medicum modo recitato paratur.Hinc dubio procul factum eſt, vt cuiuſcunque ætatis Medici poſtea ad hanc vſque noſtram omnes ac ſinguli, terram ſigillatam,ſiue Lemnium ſigillum,nō Rubricam, Theriaces compoſitioni impoſuerint.Porrò Andromacho vtrique & Damocrati, Rubricā Lemniam poſtulantibus,quid reſpondendum ſit,haud planè nobiſcum conueniunt aliqui. Dicunt illi Rubricam eos accepiſſe, quia inter ſe ſola ſinceritate, aut alterius cuiuſpiam permiſtione diſtinguuntur, Lemnia Sphragis & Lemnia Rubrica: quam rem multis probare nituntur argumentis, adiecta quoque Theophraſti in libello de lapidibus idem affirmantis authoritate. Cùm igitur,inquiunt,

quiunt, & terra Lemnia & Rubrica apud veteres μίλτου voce designarentur, soláque permixtione distinguerentur, Andromachus vtranque intellexit, ac in theriacam iniici voluit, dummodo à spurcitiis priùs repurgentur, quod quidem optimè dignoscetur, si manus haudquaquam inficiat. Nos autẽ multa habemus quæ nos ab horũ opinione retrahunt. Demus illis imprimis, sola inter se sinceritate differre Lemniam Sphragida & Rubricam. Hoc pertinet ad harum terrarum materialẽ substantiam, non ad vires, quas non easdem, vt audiuimus, fecerunt Dioscorides & Galenus. Falsum deinde est, Andromachum Seniorem vtranque intellexisse, qui solam Lemniam μίλτον expressit. Cæterique omnes vna sola terræ specie explicitè prolata contenti fuere. Authoritas quoque Theophrasti in libro de lapidibus eò dirigitur tota, vt Rubricæ Lemniæ, Chiæ, & Cappadocis discrimen & identitas significentur: neque profectò quicquam agit de Lemnio sigillo. Quicquid tandem de hac inter Rubricã & sigillum Lemnium differentia vel similitudine statuendum sit, tametsi & in facultatibus eorum similitudo aliqua negari haud possit (cuius tamen contrarium constat) minores esse Rubricæ vires illos fateri nobis sufficit. Improbanda propterea esset vtriusque Andromachi & Damocratis determinatio de accipienda Rubrica, cùm perfectioris sui generis medicamenta quæque theriaces compositionem ingredi debere sæpius ex Galeno audiuerimus. Neque excusandi postea essent alij, qui ab Andromachi sententia discedentes Lemniũ sigillum

diminuta Rubrica, quæ compositioni imposuerunt. Neque tamen adeò difficilem esse existimamus huius difficultatis solutionem. Imò miramur rem manifestam viros illos doctissimos non animaduertisse, qui in ipsa difficultate mouenda diligentissimi fuere. In eo igitur loco libri noni de simp. med. facult. in quo de terra Lemnia sigillata sphragide dicta, tantis in medicina viribus prædita, locutus est Galenus, eam aliquibus μίλτον, id est, Rubricam, coloris eiusdem cum Rubrica existentis causa, appellari admonet, licèt reuera differant, & ad alios vsus colligatur vera Rubrica. Andromachus igitur Senior, λημνίαν, dixit, μίλτον, id est terram Lemniam rubeam, vt scilicet colore eius adnotato eam intelligeremus, quæ medicis omnibus vt medicamentum celebre cognita erat. Metri quoque causa factum esse dici potest vt verbo μίλτου vsus sit, cuius medio rectiùs efformaretur carmen, quàm si sphragidos nomine vsus esset. Hunc postmodum secutus est filius, & pedestri oratione eam compositionem scribere fideliter voluit, quam Pater versibus scripserat. Nos porrò ad hanc solutionem nō res ipsa tantùm ex se manifesta prorsus accipiendā deduxit, sed libri quoque de vsu ther. ad Pamphilianum, Græci scriptoris quisquis fuerit, authoritas, qui λημνίας μίλτου σφραγίδος scripsit, hoc est, Lemniam terrā ruffam, sigillatam. Cum enim legisset ille apud Andromachum, λημνίας μίλτου, noluit eius dictionis aliquid immutare vel omittere: sed eius mentem intimiùs speculatus adiecit postea σφραγίδος: vt eam terram quæ sigillata est Andromachum intellexisse

tellexiſſe ſignificaret. Quin & illud animaduerſione dignum eſt, Damocratem in prima ſua deſcriptione non habere Rubricam Lemniam, vt illi volebant, neque etiam ſigillum Lemnium: ſed tantùm καὶ λημνίας: ratione ſiquidem ſui perficiendi carminis ſolo eo verbo vti potuit, quod cognitum ab omnibus Medicis medicamentum ſignificaret. Quapropter in ſecunda ſubſequenti deſcriptione Hexametro carmine deſcripta, cùm ſibi per metrum liceret, clarius rem expreſſit, & ἴστω καὶ σφραγὶς λήμνου ſcripſit. Quare & Iulius Martianus Rota fideliter omnino locum vtrunque Latinè vertit, priorem quidem hoc carmine:

Celtica Nardus, & ſigillum Lemnium,

Poſteriorem verò hoc hexametro:

Lemnus habet terram pharetratæ ſigna Dianæ.

Addo denique Græcos ipſos tinctas omnes terras μίλτου nomine inſignire. Sic μίλτον σινωπικὴν dixit Dioſcor. libr.3. cap.111. quæ Rubrica eſt Sinopica Celſo li.6. Sic μίλτος λημνὶς, id eſt, terra Lemnia appellata eſt à Nicandro in theriacis & Dioſcor. lib.6. cap.primo μίλτου τῆς καλουμένης λημνίας σφραγῖδος, id eſt, Milti ſiue Rubricæ quæ Lemnium ſigillum appellatur. Eſt igitur μίλτος commune nomen ex colore Minij deſumptum, quod multis poteſt accommodari. Sic enim μίλτος etiam ſegetum, id eſt, rubigo dicitur Pauſaniæ in Bœoticis, quæ ab Ariſt. prima probl. ſect. problem.24. & 26. ſect. ſi. dicta eſt ἡ ἐρυσίβη, rubigo ſiue ærugo. Sic igitur quamuis impurior terra Lemnia dicatur ſæpius rubrica, vt à puriore ſigillata diſtinguatur, poteſt quoque tamen applicari

ipsi puriori, sicut & aliis rebus. De terra itaq. Lemnia quòd ad præsens institutum attinet, hæc dicta sint satis. Malabathri foliũ ei ex ordine succedit, de quo in ea parte quæ de Hedychroi Trochiscis tractationẽ habuit satis diximus. Ad ipsam igitur Chalcitin immediatè insequentem orationem conuertamus. De hoc equidẽ medicamento nihil omnino prætermittendum est, quod ad eius plenam declarationem facere posse videatur: quando ex iis sit medicamentis, Galeno magistro lib. 9. de simpl. med. facult. cap. de Misy. & proprio, quæ adurunt & escharas, quas vocant, efficiunt, & quorum vsus vt in externis remediis tutus ferè esse videtur: ita intus est è contra periculosus, quemadmodum admonet Galenus lib. 13. meth. med. cap. 20. & lib. 4. de simpl. med. facult. cap. 19. Quapropter ad duo capita tota eius tractatio est dirigenda: quod inquam Chalcitis genus optimum sit: & quam illius adurendæ rationem sequi oporteat, posteaquam vstam Chalcitin, quo tutò possit assumi theriaca, commendauit Andromachus. Naturale vnum esse Chalcitis genus, artificiosum alterum Galeno cùm cæteris omnibus cõuenit: & quod naturale est bona ratione ab iisdẽ factitio anteponitur, idque ex Cypro Venetias allatum facillimè haberi posse nemo negauerit. Huius optimas esse conditiones docuit Dioscorides lib. 5. cap. 75. si æri fuerit similis, friabilis, non lapidosa nec inueterata, intercursantibus oblongis venis splendentibúsque. Quare cùm veræ & naturalis Chalcitidis copia cuique facillimè suppetat, num eius loco Chalcanthum possit substitui frustra

tui frustra quæri credimus. Optimorũ enim medicamentorũ defectus substitutionis in medicina necessitatem iuuexit. Huius verò vrendæ modus planè adeò ac perspicuè à M. Oddo aliisque eius sociis declaratus est, sermone 3.cap.7. vbi etiam Chalcitidis historia exquisitissimè explicata est, vt superfluum nobis visum sit rem actam agere. Quam verò ob causam Chalcitin theriacæ imposuerit Andromachus, aut quis alius ante eum, ob id quærere vtile est: quia solius coloris nigri theriacæ dandi causa, medicamentum huiusmodi impositum fuisse credentes aliqui theriacam sine Chalcitide composuerunt, coloréque nihili facto eam elegantiorem saporem obtinuisse testati sunt: Fuere hi autem Valerius Cordus & Dessennius, qui vt rem hanc faciliùs suaderent, rationem adiecerunt in hæc verba: Cùm medicamentúm hoc, præsertímque vstum, summè causticum sit & escharoticum, internísque visceribus infensissimum, nihílque ad vllum interiorem affectum conferre proditum sit: non est cur tanto incommodo & saporis in suauitate in hanc compositionem admitti debeat. Neq. est quòd in vnã coloris gratiam sapore & viribus tantopere corpori simus infesti. Profectò quicquid de theriaces colore statuere placeat, id vnum negare quispiam haud poterit, impositam scilicet ab Andromacho fuisse hac in compositione Chalcitin, ideóque non sine temeritate maxima posse illam dimitti. Quantum proportioni ponderis medicamentorum theriacam ingredientium tribuendum sit, &

quàm miranda ex ea ponderis harmonia siue cōcentu virtus medicamento huic accedat, in superioribus didicimus: quo nomine vno tantùm neglecto medicamento non posse non accidere maximum compositioni detrimētum res est medius fidius manifesta. Et quòd ad saporis elegantiam attinet, pleraque alia saporis æquè ingrati theriacam ingrediuntur, nec tamen possunt omitti. Idipsum diligenter animaduertisse Galenum certum est, & ob multa gustui ingrata theriacam ingredientia dulce nem potissimùm in vino requisiuisse. Minùs autem ob causticam eius virtutem est timenda Chalcitis: tum quia alia quædam venenosa in theriaces compositione assumuntur: tum etiam quia cum aliis mixta chalcitis, & in ea quantitate quam Andromachus determinauit, vrentes suas vires exercere nequit, sicuti experientia manifestum facit. Sentiunt è contra aliqui non vnius theriaces coloris causa Chalcitim ei impositam fuisse; sed quia etiam aduersus venena virtutis quidpiam contineat: quod eo argumento affirmant, quia Dioscorides cap. de Chalcantho, quod Chalcitidi omnino simile esse creditur, ipsum aduersus venena fūgorum vim habere docuerit. Quid plura? Iunior Andromachus, Galenus, Aetius, Actuarius, Oribasius, Auicēna, Haly, Serapio, & post hos omnes ferè ac singuli Chalcitim in dubitatione citra vllam huic compositioni imposuerunt, eam non sine temeritate prætermitti posse insinuantes. Neque autem libri primi de Antid. author in fine capitis 15. vnius coloris causa Chalcitim theriacæ imponi dicit, sed

vstionis

vstionis modum docens inquit: Nigra verò theriaca non erit, si Chalcitis flaua luteáve, dum vritur, euadit. Non vritur porrò Chalcitis ob colorem theriacæ tribuendum: sed quia, vt Galenus docet, cùm lib. 9. de simpl. med. facult. cap. proprio, tum libr. de ther. ad Pison. cap. 18. tenuium magis fit partium vsta, & nullam, vt alia quæ vrũtur, acquirit acrimoniam: quare nec adurit tosta cùm est, vt facit cruda. At quoniam Chalcitidis adurendæ terminus is est, ex Galeni sententia, li. 3. de comp. med. per gen. cap. 16. vt colorem accipiat cæruleum, cuius particula quantumuis minima colore suo theriacam inficit, vt inquit libri primi de Antidot. author loco proximè scripto, hinc fit vt ea multis medicamentis theriacam ingredientibus quæ coloris sunt obscurioris mixta, nigri coloris euadat theriaca. Hæc si considerasset qui modò citatus est author, quo pacto in consuetudinem suo tempore venerit, vt nigra euaderet theriaca, eodem dicto loco minimè esset admiratus. Gentiana sequitur, res quidem cuique medico apprimè manifesta: sed quę habeat folia, semina, & radices, omnia in vsum medicum iampridem vsurpata: vt propterea quænam eius pars theriacæ imponi debeat inquirendum nobis sit. In ea compositione quæ carmine Hexametro & Pentametro à Iulio Martiano Rota Latina facta est, huiusmodi carmen legitur:

Chalcitin, fibras Gentiadásque simul.

In prima Damocratis descriptione hoc aliud:

Et Gentiana, & Acorus, Meon etiam.

At in secundã rẽ latiùs his carminibus cõfirmauit

Quámque bonus primúsq; manu Rex Gentius olim
Montibus in patriis radicem vulsit amaram.

Galenus in libro de Theriaca ad Pisonem cap. 12. Gētianæ dixit, nulla seminis, radicis foliorúmve facta commemoratione. Libri de vsu ther. ad Pamphil. scriptor radices Gentianæ particulariùs expressit. Paulus Aegin. lib. 7. cap. 11. Gentianam scripsit. Aetius radicem explicat. Vtque paucis omnium cōplectamur sententiam, Gentianam alij simpliciter: radicem alij particulariùs explicāt. Nullus folia, flores, aut fibras apposuit. Nos radicem hoc loco accipiendam esse, duobus potissimùm freti argumentis affirmamus. Præterquàm quòd enim Senior Andromachus Græcè sic scripsit:

Μίγνυθι ῥίζης οὐ δίχα γεντιάδος.

hoc est:

Misceto radice non sine Gentiana.

Dioscorides quoque lib. 3. eiusdem numeri capite, Gentianæ radicibus contra morsus serpentum facultatem tribuit. Sat autem est vero simile, plerosque rem huiusmodi vt notissimam supponentes Gentianam simpliciter nominasse, hoc nomine eam illius partem quam Andromachus expreßè nominauerat, & quæ sola venenis aduersatur, intelligi ab omnibus debere existimātes. Metri causa radicem non adiecit in prima sua compositione Damocrates. Eiusdem occasione eam in secunda posuit. At non multi facio eam præcipuè expeti Gentianam quæ in Illyria nascitur, tametsi eam omnium præstantissimam Plinius

prædi-

prædicauerit, lib.25. cap.7. quando Dioscorides eandem alibi natam, dummodo in excelsis montibus colligatur, vel maximè probet. Nunc de ipso Gummi nobis dicendum est, de quo nonnulli ita sentiunt, vt quia Græci, Galeno teste, Gummi absolutè nominant lachrymā quanque congelatā cōcretámq. in truncis arborū ipsam producentiū, veluti resinam in his quæ resinā proferre possunt; Gummi verò splēdidum postulet Andromachus: id propterea eligendum esse, quod limpidum sit, frangibile, lene, & nullius prorsus acrimoniæ aut amaroris particeps, quale est quod peregrè asportatur, nulla habita consideratione, siue huius, siue illius sit arboris. Etenim subdunt: cùm hoc medicamento ad inspissandum leniendúmque potissimùm vtatur Andromachus, id optimum erit Gūmi, quod depuratum particeps sit harum facultatum: emplasticum nanque magis est, magísque oblinit, ac denique totam antidotum inspissat incrassátque. At quemadmodum probabilitatis & doctrinæ multum habet horum opinio aliquid habet pariter, quod in dubium verti posse videtur: si præsertim cùm rationem ipsam, tum magnorum Medicorum de rehuiusmodi sententiam inspiciamus. Etenim si vnumquodque medicamentum ex his quæ theriacam ingrediuntur sui generis optimum esse debet, vt sæpe dictum est ex Galeno, profectò ex pluribus Gummi generibus quod optimum est in hunc vsum sumi debet. Erit autem optimum; vel quia eam facultatem quæ cuique sui generis communiter inest habet maiorem: vel quia vim cuius ratione theriaces

cõpositionem ingreditur, perfectiorem obtinet. Quæ igitur sit Gummi in medicina facultas, & quam ob causam theriacæ impositum fuerit, inquirendum nobis est. At vix id assequi possimus, nisi priùs quot sint Gummi genera siue species, quæ item cuique vis insit, explicauerimus. Porrò variæ sunt ac multiplices Gummi species à Medicis ipsis antiquioribus commemoratæ: quarum aliæ à plantis à quibus effluunt denominationem sortiuntur: aliæ à regionibus in quibus suæ plantę nascuntur. Primi generis sunt hæc Gummi: cerasorum, cupressi, iuniperi, Hederæ, Prunorum, Acaciæ, Amygdali. Alterius generis sunt: Gummi Arabicum, Babylonicum, Saracenicum, Thebaicum. Et est Gummi quoddam à recentioribus dictum Elemi, & aliud à Galeno dictum Album. Regionum itaque & plantarum diuersitas non vulgaris Gummi pariter diuersitatem cùm in colore ac consistentia, tum in viribus efficit necessariò. Quoduis enim Gummi arboris à qua effluit naturam insequi conuenit. Arbores verò ipsas mirificam quandam ex regionum diuersitate assumere differentiam omnes sciunt. Itaque communem cuiusuis Gummi speciei vim esse inspissandi & leniendi tametsi quis concedat: plãtarum tamen, vt diximus, & Regionum diuersa natura peculiarem quandam aliam vim & diuersam in effluente ab eis lachryma, quæ postea per concretionem, vt Galenus docuit lib. 7. de simpl. med. facult. cap. de Gummi, in Gummi vertitur, impertitur. Quòd è Ceraso manat Gummi, communẽ, inquit Galenus lib. 7. de simpl. med. facult. cap. de

cap.de Ceraſo, omnibus viſcoſis & mordacitatis expertibus medicaminibus facultatem obtinet. Propriam autem, ſiquidem quod quidam ſcribũt verum eſt, quòd cum vino bibitum calculis vexatos adiuuat. Nam ſic illi tenuuium partium ineſſet facultas quædam. At quod è cupreſſo emanat, ſi eius reſina eſt, vt nonnulli exiſtimant, exiccantis omnino facultatis eſt, Dioſcoride magiſtro lib.1. cap.86. Iuniperinum autem, quicquid illud ſit, quod nunc cum multis non diſputo, vix vſum habet in medicina vllum: pictoribus potiùs & Gladiariis neceſſarium, quippe qui cum oleo nucum vel de ſemine lini idipſum miſceant ad opera ſua illuſtranda. Hederæ autem lachryma, quæ etiam in Gummi vertitur, Pſilothrum eſt, inquit Dioſcorides lib.2. ca.175. illitúque pediculos enecat. De eo autem quod ex Pruno effluit eadem dixit Galenus lib.7. de ſimpl. med. facult. cap. de Pruno, quæ de Ceraſino: eſſe ſcilicet qui dicant cum vino potum lapides confringere, cum aceto, puerorum ſanare lichenas. Ac ſi id præſtat, inquit ille, clarum eſt incidentem tenuiúmque partium illi ineſſe facultatem. Gummi amygdalinum calefacere, adſtringere, reiicientibus ſanguinem potum auxilio eſſe, impetigines quæ ſummum corpus occuparunt illitum cum aceto auferre, tuſſi vetuſtæ cum diluto vino mederi, calculoſis cum paſſo prodeſſe author eſt Dioſcorides, lib. primo cap. 159. Ex Acaciæ verò ſpina manans Gummi, ad ſpiſſandum refrigerandúmque vim habere efficacem eiuſdem authoris ac eiuſdem libri capit.115. fuit opinio. Id autem cæteris Gummi ſpeciebus

ſtypticum magis eſſe, & glutinatiuum cum exiccatione & confortatione ſcripſit Auicenna lib.& tract.2.cap.317. Arabici porrò Gummi, Babylonici,Saracenici, & Thebaici, vis quænam ſit protinus manifeſtum fiet, cùm quid vnumquodque ſit conſtabit. Eſſe Gummi Arabicum Acaciæ Gummi teſtatus eſt Serapio in lib. de ſimpl. ex Plantis cap. 139. quod ſtatuit eſſe optimum, ſi ſimile vermiculis fuerit,&clarum vt vitrum,lignóque carens:poſt quod Album commendat. Opinionis porrò ſuæ demonſtrationem inde ſumere viſus ille eſt, quòd eædem ſuo æuo eſſe crederētur Gummi Arabici vires, quas Gummi Acaciæ tribuerant Dioſcorides & Galenus. At tranſmutatæ nominis occaſionem eam nonnulli exiſtimant, quia ex alia Arabia Aegypto contermina Serapionis tempore deferretur:vel quia ſpina illa quæ Acaciam producit in Arabia naſcitur. Dicitur quoque eorundem opinione & Gummi Babylonicum, quia & circa Babyloniam Aegypti, id eſt, Cairo concreſcit: Si tamen recentioribus Geographis fides danda eſt, Babylonia nulla in Aegypto eſt,neque Cairum nobis dictum eſt Babylonia. Dicitur & Saracenicum, quod ex Africæ partibus,putà è Mauritania,aduehitur. Eadem tamen Gummi generi accenſentur,quippe cùm ex eadem planta Acacię manet. Contrarium tamen cēſet Petrus Andreas Mathiolus, ſimplicium medicamentorum nō vulgaris peritiæ vir,dū Gummi Arabicum, apud omnes vulgaris vſus, ab eo quod ab Acacia defluit,longè differre contendit: quandoquidem hoc ſit non contractis vermiculis ſimile,

ſimile, ſed in grumis verſicoloribus concretum, quorum alij ſuccinum, alij Topazium, alij Chryſopraſon, alij Beryllum colore & nitore referunt. Quin & deficiente vera Acacia, eius quoque Gūmi deficere ex neceſſitate colligit, verámque Acaciam deficere vt manifeſtum ſupponit. Addit Gummi Arabicum dictum, communis apud officinas vſus, eſſe potiùs ex pluribus arborum Gummi miſcellaneum, quia ſcilicet eius ſint diuerſi grumi, & illi quidem coloris varij. Sed quantum & nos coniicere pro veritate poſſumus, futilia ſūt hęc aduerſus Serapionem argumenta. Anne fortè Acaciæ Gummi quoduis vermiculis eſſe ſimile voluit Serapio? Minimè gentium, ſed illud tātùm quod optimum eſt: veluti nec id omne facit clarum vt vitrum. Nam vniuerſalem Gummi deſcriptionem his verbis priùs amplexus eſt:, Eſt Gummi quod reperitur ſuper arborem Acaciæ, ſicut aliæ ſpecies Gummi, ita vt quaſcūque Gummi ſpecies in vna quadam forma, figura & colore conuenire voluerit. Subdidit deinde: Et melius ex eo eſt illud, quod eſt ſimile vermiculis in figura ſua: color eius eſt ſicut vitrum clarum, & non habet lignum: ſecundum verò poſt ipſum eſt album: ſed illud quod eſt ſimile ſorditiei reſinæ pini eſt malum. Quapropter quodcunque Gummi ex Acaciæ arbore extuberante cùm colligant coloni, illúdque mercatoribus vendant, mirum non eſt & formam & colorem id habere diuerſum. Neq; verum eſt legitimam defeciſſe Acaciā, quod proximè poſtea clariùs intelligemus. Cæterū hæc pauca adieciſſe ſufficiat, ad ea multa

quæ pro hac eadem Serapionis opinione defendenda alios ſcripſiſſe ſcimus:cùm præſertim quæ Gummi ſpecies in theriaces compoſitione vſurpanda ſit differentes, aliquid quoque in Serapionis defenſionem dicemus. Id tamen prætereundum non eſt, quod & ipſum ad hanc rem maximè facit:vt cùm fatuum ſit dicere, Arabicũ Gummi ex diuerſis ſimul collectum eſſe plantis(haberet enim in ſe quaſdã diuerſas vires particulares, quas cuique Gummi ſpeciei ineſſe audiuimus) ex qua planta colligatur, quæ pariter illæ ſint, ſilentio eos prǣteriiſſe indecens fuit. Nam per plantæ ſpeciem, Gummi quoque vis particularis nobis innoteſcit. Neque Galenus, vt audiuimus, id negauit, licet vniuerſalem quandam vim Gummi ineſſe aliquando ſcripſerit. Arabici igitur Gummi vis eadem eſt, quæ Acaciæ Gummi, cùm ſint res vna atque eadem. Atque quoniam quod Gũmi album Galenus appellauit, li.5.de comp.med. ſec.loc.cap.primo, ad differentiam eius dicitur album, quod lucet vt vitrum, potéſtque vtrunque ex quacunque planta Gummi emittente decidere:dicẽdum propterea eſt, Gummi album eas habere vires, quas eius productrix planta illi impertitur. Acaciæ plantam album quoque Gummi emittere author eſt Serapio loco dicto, & illud igitur eaſdem vires habere, quas Acaciæ Gummi habet : licèt minores eo quod vermiculatum eſt, & lucet vt vitrum, maioréſque eo quod eſt ſimile ſorditiei Reſinæ Pini. Poſtremum reſtat Gummi Elemi, de cuius origine variæ admodum ſunt recentiorum opiniones, quas hic recenſere ponderaréque

raréque singulas minimè necesse esse arbitramur, cùm id vnum propositi nostri sit, vires eius sciuisse, vt an theriacæ conueniat intelligamus. Illas esse adstringentes, & sistendo sanguini aptissimas, omnium communis est opinio. Quapropter & recentioribus Chirurgis & aliis quibuscunque vulnerariis Medicis est in vsu frequentissimo. Ad id itaque quod ab initio propositum est vt redeamus, variç adeò ac multiplices cùm sint cuiusque Gummi speciei vires, nullam in theriaca paranda esse habendam rationem, siue huius, siue illius sit arboris, dummodò limpidum sit, frangibile, lene, & nullius prorsus acrimoniæ aut amaroris particeps, vt voluere nonnulli, nullo pacto affirmare audemus. Etenim vt optimum esse debere Gummi illud, quod in theriaces compositione accipitur, nos quoque profitemur, cui particulares quædam proximè dicendæ conditiones insint: ita peculiares quasdam vires, huic & illi Gummi speciei inexistentes, hoc non illud ex vsu esse persuadent. Demus illis hoc vsum fuisse medicamento Andromachum, ad inspissandum leniendúmque potissimùm, (quod tamen haud ita certum est, quando & pleraque alia posita sint inspissantia & lenientia) neque tamen cuiusuis arboris Gummi, ex vsu esse concedendum est. Gummi Elemi in exemplum transeat, quod licèt inspissare aptum sit, tàmen in hac compositione ipsi quoque illud respuerent. Hoc idem de aliis quibusdam Gummi speciebus dicendum esse ex se quisque intelliget, qui recitatas cuiusque facultates attenderit. Vt igitur peculiarem ad theriacam conficiendam

Gummi speciem rectè determinemus, quænam antiquorum Medicorum de hac re fuit opinio, inquirendum nobis est diligenter. Andromachus quem in hac compositione ducem habemus Græcè habet: λιπαρὸν κόμμι διλωάμβνος: quod Latinè vertunt aliqui, splendidum Gummi madefaciens: Iulianus Martianus Rota, tenax Gummi vertit. Damocrates in prima eius descriptione: ϗ κόμμεως habet, & qui proximè dictus est interpres Gummi nulla adiecta conditione fideliter vertit: in secunda pariter descriptione habet, κόμμι: quod ab eodem Gummi versum est. Andromachus Iunior Galenus in lib. de ther. ad Pison. capitulo decimotertio, author libri de vsu ther. ad Pamphil. & Actuarius, κόμμι, hoc est, Gummi nulla adiecta conditione scripserunt. Ita vt ex his nihil quod rem planiùs demonstret possis colligere. Diligentissimus tamen Aetius Gummi vermiculatum scripsit, Tetrab. 4. serm. primo cap. 91. idipsum dubio procul intelligens, quod ille idem Tetrab. prima serm. 2. cap. 196. & Oribasius libro secundo Synops. capitulo 56. his verbis apertiùs explicarunt: Gummi eligendum est vermiculatum, vniforme, pellucidum, nō lignosum; ab eo proximum est album: resinosum verò ac sordidum inutile: quæ cùm eadem ad verbum scripserit, vt audiuimus, Serapio, dubio procul est idem quoque Gummi genus, Acaciæ scilicet & Arabicum dictum eos commendasse, idémque vtrumque esse existimasse. Sed & Auicenna in his tribus quas habuit theriaces descriptionibus lib. 5. summa & tract. primis; licèt in prima dixerit

Gummi

Gummi Albotin:in tertia Gummi ſimpliciter:in ſecunda tamen Gummi dixit Arabicum. Gummi autem Arabici nomine in eo loco illud eum intellexiſſe quis negabit, quod libro & tract. 2. cap.317. his verbis enuntiauit: Gummi Acaciæ eſt fortius cæteris, & ponitur propter hoc in medicinis theriacæ: qua vna tanti viri authoritate freti id nos apertius aſſerere audemus, quod Græci omnes, rem fortaſſe notam ſupponentes, ſicco vt aiunt pede; pertranſierunt Gummi ſcilicet Acaciæ in theriaces compoſitione imponendum eſſe: eſſéque id Gummi, quod vocant Arabicum. Ea tamen adhibita diligentia id volumus eligendum, vt ruptis verſicoloribus Arabici Gummi ad nos hoc tempore delatis fruſtis, reſinoſum, ſordidúmque vnà atque album abiiciatur, pellucidum, non lignoſum, vniformè: ſique fieri poteſt, vemiculatum, hoc eſt, (vt nos Aetium interpretamur) ſubtilius longiúſque eligatur. Hypociſthidis ſuccus poſt Gummi venit, quem ex viperis cōfectis Antidotis indi Galenus affirmat, libro ſeptimo.de ſimpl.med.facult.cap. de Ciſtho: nimirum quia corpora confirmet ac roboret: de quo plura hoc tempore dicere pudet, quòd & eſſentiæ & ſpecierum & facultatis difficilia quæque animaduerſa ſunt, & à pleriſque ſic determinata, vt nullus ferè in eo eligendo apud diligentes Pharmacopœos error poſſit accidere, dummodò ne pro Hypociſthide Barbula Hircina præmatur, quod alias pleroſque facere conſueuiſſe fuit à multis animaduerſum. Neque etiam eſt vt de Balſami fructu, de Aniſo,

ac Fœniculo (quæ omnia in hoc quinto ordine post Hypocisthidis succum veniunt) plura hoc loco dicamus, quando de Balsamo in trochiscorum Hedyckroi tractatu dictum est satis. Reliqua mulierculis etiam ipsis notissima sunt. Quid porrò causæ fuerit, vt hac in Antidoto fuerint vsurpata, eorum aduersus venena vis ab omnibus, Dioscoridéque præcipuè, animaduersa satis ostendit. Non pigebit autem ea quæ de Balsami aduersus venenosa Animalia virtute scripsit Pausanias in Bœoticis hic adscribere, cùm sint ea & notatu digna, & auditu pulchra: De viperis, inquit, iis quæ in Arabia inter Balsami arbores versantur diuersum quiddam accepi: id huiusmodi est. Sunt Balsami arbores, ea quæ myrti stirpes magnitudine: folia illis qualia herbæ Amaraco. Habent sua circa eas plantas cubilia viperæ, plures vno, alio pauciores loco. Est enim eis Balsami liquor cibus multò suauissimus: ipsa etiam fruticis vmbra maximè delectantur: vbi sua fuerit legendo humori tempestiuitas, veniunt in sacrum locũ Arabes cum binis ligneolis regulis singuli, earum complosu bestias fugant: occidi verò magna est religio, quòd sacras & Genios veluti quosdam esse Balsami putãt. Quòd si quem morsu appetierint, plaga est, qualis è ferri vulnere, veneni omnino expers: quòd scilicet Balsami pastu, liquoris vnius omnium odore præstantissimi, veneni acerbitas illa pristina mitescit. Et hæc quidem scripsit Pausanias. Cùm autem Dioscorides lib. 3. cap. 67. quod est de Fœniculo, comæ fœniculi decoctum tantùm serpentium ictibus aduersari scripserit,

comam

comam ideò, non decoctum huius nostri vsus esse dicendum videtur. Obstant tamen sua authoritate Andromachus vterque, Damocrates, Galenus & Aetius quoniam singuli fœniculi semen, vt videre est, præcisè postulant: ita vt non inaniter quis possit suspicari quam vim fœniculi comis aduersus serpentum ictus tribuit Dioscorides, eandem istos in semine cognouisse, quod & acutius, & omni alia parte valentius prædicauit Galenus libr. 7. simpl. cap. proprio. De Seseli autem in hoc eodem ordine posito nihil quidem disputari video, quod ad eius essentiam vel cognitionem spectet, adeóque omnia hæc, vt verè sunt, manifesta supponimus. Duo tantùm controuersa esse inuenio: quænam imprimis Seseleos pars in theriaca sit ponẽda: ex quatuor deinde eiusdem à Dioscoride descriptis speciebus quẽnã sit eligẽdã. Cùm enim Seseli ipsum sola fragilitatis siue mollitiei apposita conditione suis descriptionibus apposuerint Andromachus vterque Damocrates, Galenus, Paulus & Aetius: síntque, in vsu medico & radix & semen, quibus eandem propemodùm vim tribuit Dioscorides, lib. 3. c. 53. promiscui propterea vsus esse videntur. Sunt tamen apud aliquos argumenta quædam, quibus semina potiùs accipienda esse persuadeamur. Primum inde sumitur, quòd pluribus malis conferre semen Dioscorides animaduerterit. Nititur alterum ei voci ψαφαρὸν, quæ Latinè fragile significat, ab Andromacho seniore vsurpata, quæque semen nõ radicem, tenacem potiùs consistentiam habentem, indicat. Quid valeant hæc argumenta ad hanc

rem affirmandā,& quid dubitationis habeant alij viderint. Nos quidē in eadē sumus sententia, semen radicibus in hac compositione præferēdum esse magnorum imprimis Medicorū authoritate freti, deinde & rationibus quibusdam in eadem confirmati. Libri de vsu ther.ad Pamphil. author, quisquis ille fuerit, Græcus tamen & antiquus Medicus, semina seseleos explicitè apponit: & hunc secuti sunt Paulus, Auicenna & Haly Abbas dictus. Viderunt hi fortasse primum librum de Antid. qui vsque ad Leoniceni tempora genuinus Galeni existimatus est, vt etiam aliqui hoc tempore existimant: in cuius cap. 15. seminibus omnibus theriaces compositionem ingredientibus enumeratis simul & radicibus, nulla vel radicis vel seminum Seseleos facta est mentio. Sed Napi seminis, Petroselini itidem, Thlaspeos, Ameos. Fœniculi, Dauci & Cardamomi facta commemoratione, quæ ferè omnia eadem sectione & in eadem ponderis mensura posuit Andromachus Senior: inter hæc eadem, semina quoque Seseleos reponenda esse existimarunt. Auget hanc coniecturam locus in cap. 12. libri de ther. ad Pison. vbi proposita priùs seminum cōditione, Fœniculum, Cardamomum, Seselique continuata oratione nominantur. At nec inane seminis Seseleos accipiendi & radicis eius dimittendæ argumentum hoc est, quòd, vt proximè ac sæpius dictum est, cuiusuis theriacam ingredientis medicamēti perfectius valentiúsque eligere conuenit. Paulus verò & Oribasius longè valentiores semini Seseleos apertis verbis tribuerunt vires, libro 7. de re med.

in litera

in litera S. Sic enim de ipso Seseli est locutus Paulus: Seselos radix & magis semen abundè calefacit, cum partium tenuitate: Oribasius lib.15. collect.in eadem litera S. Seseleos, dixit, & radix & multò magis fructus de numero excalefacientium est,& tenuium itidem est partiũ:in libróque de virtute simpl.2. in eadem litera, easdem Seseleos vires idem enumerans, solius fructus vt præstantioris radice omissa meminit. Cuius autem speciei ex quatuor à Dioscoride enumeratis sit medicamẽtum huiusmodi eligendum,haud quoque difficile est determinare: quoniam omnibus vnam eandémque inesse facultatem statuerint Dioscorides & alij. Videas propterea aliam alios pro sua opinione speciem accepisse,neque in eius specie determinanda antiquos Medicos sollicitos valdè fuisse. Solus Aetius Massiliense apertè explicat,eo fortè ductus cõsilio,quia sit, Dioscoride magistro, odoratum & suaue: Aethiopico quidem minùs,sed minùs quoque acre:ex quo & minùs molesta euadere possit theriaca. E contrà dices Aethiopicum, propter odoris gratiam & suauitatem, medicamento ingratitudinem multam auferre quoque posse.Neque mehercule despiciendum est argumenti genus huiusmodi,si in reddendo medicamẽto gratiore & suauiore Galenum tantopere cùm in vino,tũ in aliis plerisque medicamentis eligendis elaborasse didicimus. Quapropter Creticum Seseli, quod aliquos Tordylium nominasse author est Dioscorides, cæteris postponendum esse, odoratui & gustui quam affert ingratitudo nobis suadet.De Cardamomo

proximè ſubſequente dicendum nunc nobis eſt, circa quod nõ paruam video inter herbarios ſcriptores diſputationem, de nomine & ſpeciebus eius: quorum controuerſias exquiſitiùs hoc loco componere quid iuuat? ſint diuerſæ illæ ſpecies, ſint eædem, hoc vel illo nomine vt lubet inſignitæ: non certè multam, imò ferè nullam inter eas cognouerunt Dioſcorides & Galenus in medicamentoſa facultate differentiam. Quanquam enim optimum eſſe Cardamomũ ſtatuerit Dioſcorides, libro primo cap. 5. quod ex Comagene, Armenia, Boſphoróq. deuehitur, tamẽ & in India & in Arabia illud idẽ prouenire ſcripſit, neque id damnat. De electione autem eius & facultatibus verba faciens, vniuerſaliter locutus eſt, neque huic plus quam illi tribuit. Galenus pariter libro 7. de ſimpl. med. facult. cap. proprio Cardamomi vires explicans, vniuerſaliter ipſe quoque locutus eſt, nulla ſpeciei aut regionis habita diſtinctione. At quoniam Senioris Andromachi mens fuit, vt in theriaces compoſitione Idęum aſſumatur Cardamomum, hinc quoque diligentiores de eo initæ diſputationes debent hoc loco ſuperfluæ exiſtimari. Idæum illud dici certum eſt, quia ex Ida monte in Phrygia prope Troadem inter Helleſpontum Boſphorum & Myſiam colligatur. Hoc autem præcipuè electum fuiſſe dicendum eſt, quia, Dioſcoride magiſtro, loco ſcripto Scorpionis ictibus omnibus venenatis auxilio eſt, ac in eo eligendo vix eſt vt quis decipiatur, qui traditas ab eodem eodẽ loco in electione facienda obſeruationes memoria tenuerit. Plenum illud

lud eligi debere iubet, frangenti contumax, occlusum fractúmque & gustu acre, subamarum, odoréque suo caput feriens. Qua autem via Lemnia terra, quæ in illis quoque regionibus colligitur, ad nos affertur, eadem & Cardamomum ad nos aduehi posse certum est. Ideò verò deficienti Cardamomo Indicum, vel etiam alterius quomodolibet appellatæ speciei Cardamomum vtiliter substitui posse quæ proximè dicebatur à Dioscoride & Galeno cognita vniuersalis Cardamomi cuiusuis facultas nobis suadet vel maximè. Ad Acaciam nunc descendamus, quam multorum ope scriptorum vt notam supponimus, & sine controuersia recognitam: & cùm hoc tempore ad nos etiam in multa quantitate ex Aegypto adferatur, non est vt de eius substituto à plerisque diligentiùs quæsito optiméque manifestato longiorem habeamus orationem. Id vnum potiùs omni studio declarandum est, quod recentioribus plerisque & quidem magni nominis Medicis negotium fecit: succúmne ipsius Acaciæ, an Gummi potiùs ex antiquorum Medicorum sententia theriaces compositioni imponere conueniens sit. Qua quidem in re stant pro vtraque sententia multi momenti rationes & coniecturæ. Primo enim loco cùm hæc sit Senioris Andromachi Græca dictio:

Δάκρυον εὖ μίσγοιο βαλὼν κυανωπὸν ἀκάνθης.

quæ Latinè sic vertitur.

Lachrymam item misceas imponens ceruleam spinæ.

Gummi, non ſuccum eum poſtulaſſe aliqui exiſtimant: quia ſcilicet Gummi ipſum, vt proximè ex Galeno didicimus, ſit concreta lachryma, neque ſuccus dicatur lachryma. Videtur hoc ipſum confirmari Damocratis authoritate, hunc in modum in theriaces compoſitione Hexametro carmine deſcripta ſcribentis:

Atq; Paratonium fudit quem ſpina liquorem.

Ipſa nanque planta effuſo liquore facit Gummi: ſuccus autem arte & per vim exprimitur. Addunt libri primi de Antid. authorem cap. 15. theriacæ componendæ methodum tradentem, ac de ſuccis verba facientem ſuccos ideò omnes vino iuſſiſſe macerandos, vt diſſolui poſſint & comminui, inter quos addit & Acaciam cùm fuerit humida nec ad contundendum facilis. Quapropter, inquiunt, ſi de ſucco loqueretur, qui cōdenſatus ad contundēdū valde contumax eſt, non vtique id poſtulaſſet, ſed macerandum eſſe tantùm dixiſſet: quandoquidem Gummi tantùm reperitur durum vel molle, non ſuccus. Hincque factum exiſtimant, vt Aetius liquidam Acaciam in ſua theriaca ſtatuerit imponendam, quod de ſucco arte condenſato minimè dici poteſt. Præterea nobiliorem Acacię partem Gummi eſſe volunt, ignobiliorem ſuccum: hic ſiquidem arte, illud natura conficitur. At quod nobilius eſt, illud eſt præſtantius: & quæ præſtantiora ſunt poſtulat theriaca. At pro contraria ſententia ſtat Maranta lib. primo cap. 26. & ſuccum non Gummi ex vſu eſſe contendit. Habet quem primo loco adducat Damocratem, in prima theriaces compoſitione verſibus Iambicis

descripta sic locutum:

χυλοῦ τ᾽ ἀκακίας τῆς καυλῆς ὑγρᾶς ἔτι.

quod carmen Iulius Martianus Rota Latinè sic transtulit:

Acaciæ succus, cùm humens, tum bonus.

Habet quoque, eiusdem opinione, validiores cõpluresque succus vires ex Dioscoridis sententia, quàm Gummi, quo nomine in tam illustri Antidoto debuit eligi. Censet idem Maranta Galenũ, cùm in libris de composit. med. sec. locos, tum per genera passim in compositis medicamentis, succum Acaciæ, non Gummi imposuisse. Et propterea solius succi Acaciȩ, tanquam vsitati medicamenti, non Gummi vires in li. 7. de simpl. med. facult. exquisiuisse. Pro qua eadem planiùs confirmãda opinione Iuniorem Andromachum adduxit, Acaciam simpliciter nulla adiecta distinctione in sua theriaces descriptione nominãtem, quo nomine solius Acaciæ succus insignitur, Plinio ipso lib. 24. cap. 12. Acaciam succum in pastillos redactum, nomine ex arbore accepto, nominante. Atque hunc in modum constituta est inter magnos viros circa magni momenti rem magna controuersia: quam eò diligentius determinare par est, quòd obscurior sese nobis offert determinanda. Nos porrò eius omnino sumus sententiæ, Acaciæ succum, non Gummi hoc loco esse intelligendum. Quanquam enim ex antiquioribus Medicis multi in theriaces compositione Acaciam simpliciter nominauerint, Iunior scilicet Andromachus, Galenus libri de vsu ther. ad Pamphil. scriptor, Paulus, Haly, Auicenna & Serapio:

nō defuerunt tamen qui ſuccum Acaciæ expreſsè poſuerint: Actuarius nimirum lib. 5. met. med. cap. 6. & Nicolaus Myrepſus ſect. 22. cap. 5. Eorum autem nec aliorum aliquem Gummi Acaciæ expreſsè nominaſſe certus ſum. Ex qua re quis eſt qui non coniiciat, ſuccum potiùs approbandum eſſe? mira quædam res eſſet eorum neminem Gūmi meminiſſe, ſi illud eſſet ſucco pręferendum: atque eò magis quòd infrequentioris ſine dubio eſt Gummi Acaciæ vſus in re medica, quàm ſit ſuccus: qua de cauſa illud expreſsè nominare tenebāturMedici illi antiqui clariſſimi. Quin etiam ſi Arabicum Gummi vocatū Acaciæ Gūmi eſſe verè à nobis paulò ante oſtenſum eſt, iam non eſt vltro dubitationi locus aliquis, quin ſuccus hoc loco intelligatur id: ſi iam Gummi ſemel acceptum eſt in hoc eodem partitionis ordine quinto: aliter vna atque eadem res duplicatè ſumeretur. Habemus tamen & alia quædam quæ hoc idem nobis perſuadent veriùs. Vocem illam κυανωπὸν, quam pro ipſius ſpinæ colore Senior appoſuit Andromachus, alij cæruleam alij atram ſiue nigram, ſunt interpretati: quem colorem ſucco Acaciæ, non eius Gummi conuenire non eſt multum difficile demonſtrare. Succum ipſum, ſi ſenſui viſus credendū eſt, cæruleum eſſe ad nigrū tendentem certū eſt. Gummi verò ſimilem non habere colorem inde primò oſtenditur, quia Arabicum Gummi, quod Acacię eſſe didicimus, variegatum potiùs ad nos affertur, ſplendeſcens quidem: at ex parte ad rubedinē tendens: ex parte albū: & ex parte medium: illud putà quod eſt reſi-

noſum.

nosum. At de succo & Gummi Acaciæ differentem Dioscoridem libro primo cap. 115. audiamus: Succus, inquit ille, expressus siccatur, niger ex maturo semine, subruffus ex viridi: paucis verò lineis interiectis: Præfertur, subdit, eius spinæ Gummi, quod in vermiculorum speciem contrahitur, & vitri modo perlucet, ligni expers: proximum est candidum: sordidum verò ac resinosum inutile. Cæruleum igitur siue atrum colorem esse succi Acaciæ, non Gummi, verum est: quem colorem præcipuè postulauit Andromachus. Infrequentioris item vsus esse in medicina Acaciæ Gummi, atque adeo vt vix medicamentũ reperias compositum, quod illud recipiat. Frequentissimum è cõtra vsum habet succus, infinitásq. propemodũ ingreditur compositiones, vt notũ est. Debuisset igitur id explicitè significare Andromachus, qui in plerisq. aliis medicamentis notiores etiã quasdã cõditiones, vt errori occasionem adimeret, apposuit. Ne verò ambiguitatis quidpiã hac in re relinquatur, aduersæ sententiæ fundamenta destruenda sunt, & nostræ quæ fauent, à calũniis vindicãda. Dicebatur primo loco exprimentē Andromachum Acaciæ lachrymam, Gummi, non succum insinuasse, quia sit Gũmi lachryma concreta, quod minimè conuenit succo. Id tamen apud nos nihili est, qui & succũ & lachrymam apud Medicos antiquos nulli verborum exquisitę proprietati obligatos cõfundi, vnúmque pro alio accipi in superioribus demõstrauimus. Quin & absolutam alicuius medicameti nominationē, cùm tamē vel eius succũ tãtùm, vel semē vel radicē intelligeret,

Andromachum in hac theriaces descriptione habuisse, ex his quę hucvsque à nobis declarata sunt certo certius est. Sexcenta huiusmodi inuenies apud antiquos Medicos in compositis medicamẽtis exempla. At id maximè his licere ratio suadet, qui carmine suam mentem exprimunt, vt fecit Andromachus. Sed dicunt, non defuisse ei viam, qua succi nomine in carmine vteretur, si succum intellexisset. Quod quidem argumenti genus in eosdem retorquetur, quia & Gummi nomine vti planè potuisset, si illud intellexisset. Adducebatur deinde Damocratis carmen illud:

Atq; Paratonium fudit quem spina liquorem.

Gummi, dicebãt, funditur, nõ succus, qui per vim & arte extrahitur. Quod quidem eadem proximè dicta ratione corruit imprimis. Deinde figura dicendi vsum fuisse Andromachum dicimus, vt in quibusdam etiam aliis fecit: Dimidium, dixit, Theriaci iniiciens rotundi panis. Hisque verbis pastillos significauit vipereos, & tamen non sunt panis pastilli, neque panis est rotundus: sed quoniam ingreditur panis illos pastillos, & sunt rotũdi, ideò figuratè eum in modum locutus est metri causa. Dixit ille idem: Cæruleæ misceas mellitos ramos habentis Glycyrrhizæ, non quia eius rami in vsum veniãt, aut sint melliti: sed quoniam ex ramis succus extrahitur dulcis vt mel. Dixit ad hæc: Et Croci quem antrum nutriit Corycium: neque tamen dixeris Antrum Corycium nutrire crocum, sed eius regionis terram. Dicamus vltro in altera theriaces descriptione Hexametro carmine scripta Acaciæ succum expressè nominasse

Damo-

Damocratem. Adducebatur tertio loco libri primi de Antid. authoritas, in cuius cap. 15. Acaciam vbi fuerit humida, contusioni ineptam esse asseritur. Sanè verò quid ex eo loco ad Gummi significandum colligi possit, planè adhuc intelligere nobis non licuit. Vtrunque autem (libri authoritate ab aliquibus in dubium posita dimissa si is paulò attentiùs inspiciatur locus) & contundi & macerari posse Acaciam ibi statuitur. De iis nanque quæ in mortariis Aegyptiis cōtundenda sunt verba imprimis faciens hæc scripsit: Antedictis autem hæc quoque addenda erunt, pastilli scillitici, Viperini, Magma Hedychroum, Piper nigrum, & longum, Rosæ siccæ, Agaricum, Crocus modò siccus sit, terra Lemnia, Chalcitis vsta, Amomum, Cinnamomum, Cassia fistula, Balsami fructus, Acacia, modò tenera aut humida non sit, & quæ sequuntur. Paucis deinde verbis interpositis: succi, inquit, ideò omnes vino macerantur, vt & dissolui queant, & læuigari faciliùs possint: Sagapeni dico, Panacis, Papaueris, cuius liquorem & Opiũ & Meconium vocant, Acacia quoque cùm humida tibi visa fuerit, nec ad contundendum facilis: Potest igitur contundi, si sicca fuerit Acacia: macerari, si fuerit humida. Neque propterea Gummi, non succum accipiendum esse, inde colligi posse existimamus. Succi nomen è contrà expressè eo loco exprimitur: neque inconueniens est, in eo ab exteris longinquísque regionibus delato ac longo postea tempore retento eam inesse interim siccitatem, quæ contusionem admittat facilem. Hæc autē non erit facilis, vbi fuerit humida Aca-

cia,quam conditionem in Acacia Aetium requisiuisse credendum est,quia maiorem tunc ei inesse vim existimauerit : veluti & censuisse Damocratem in prima descriptione Acaciæ succum humentem dũ expostulauit certũ est. Quod vltimo tandem loco dictũ est,Gũmi vt à natura effectum nobilius succo esse & præstantius, qui arte fit: id certè verùm esset,si quæcunq.naturalia sunt essent artificialibus præstantiora. In rebus medicis effectus is est qui attenditur,& ab eo dignitas cõstituitur:arte autem facta effectus sæpe præstantiores habere,nulli non notum esse arbitramur.Atq. hunc in modum omnino euersa manet Gummi Acaciæ,non succum expetentium sententia: quæ quò magis vltrò euertatur nostrę opinionis fundamẽta à cauillis omnibus sunt expurgãda. Damocratis quæ primo loco adducta est authoritas in prima theriaces descriptione versibus lãbicis scripta nullã apud eos habuit reprehensionẽ,imò dissimulatã fuisse satis est verisimile,quia nihil haberent quod ei obiicerent.Negãt Dioscoridẽ plures virtutes succo Acaciæ,quàm Gummi tribuisse,& succũ succo,Gũmíq.Gũmi: non autem Gummi succo,in enarrandis eorũ viribus, cõparasse eum contendunt.Sed vt nulla,ne probabili quidem ratione hanc calũniã confirmant:ita ipsius Dioscoridis literã,legenti cuíq.contrariã apparet manifestè:quippe qui Gũmi succi & decocti Aegyptiæ spinæ vires omnes & singulas seorsũ enumeret: longéq.plures succo tribuat,id quod ẽt nõ est incõueniens. Quòd verò in libris de cõp.med. sec. loc.& genera Gũmi nullibi meminerit Galenus: id qui-

id quidē eius vſum minimè excludere nos quoq. concedimus, ſed tamen inde probabiliter colligi dicimus debuiſſe Andromachū & alios inuſitatū medicamentum manifeſtiùs explicare, & non vti ſimplici nomine Acaciæ. Lōgè ſanè probabilior coniectura eſt, ſimpliciter prolatam Acaciæ vocem de ſucco tanquam de vſitato magis medicamento eſſe potiùs interpretandam. Et quanuis verū ſit, Acaciæ nomine: plantam propriè magis ſignificari, vt non inerudite ab aduerſariis oſtenſum eſt: cùm tamen non ipſa planta, ſed ſuccus eius vel Gūmi in vſu ſit apud medicos: ij propterea plantæ nomine vtentes eam eius partem, quæ præcipuè medicamentum eſt, intelligunt. At quia frequētiore in vſu eſt ſuccus ipſe, hic quoq. potiùs Acaciæ nomine venit intelligēdus. Hæcq. de ipſa ſufficiant Acacia. Hanc ſequitur Thlaſpi, quod licèt authori libri primi de Antid. magis probatur, ſi è Cappadocia aſportetur: non tamen id damnat quod in Creta naſcitur. Illud autē vbiq. naſci cùm dicat, nec particularē regionis cuiuſpiam in eius eſſentia declaranda habuerit Dioſcorides ſpeculationem, in ſemitis, ſepibus foſsiſque illud abſolutè naſci dicens: hinc euenit, vt aliarum quoque regionū Thlaſpi, Cappadocia & Creta exceptis, laudauerit Maranta lib. primo cap. 21. quod ſcilicet in Neapolitano tractu, in mōte Polino Calabrienſi, & in montibus Amelſitis naſcitur. Eius conditiones ſunt, vt colore ſit inter luteum & flauum medio, figura rotundum, exiguum adeò vt multoties grano milij cedat: quòd ſi ad nigredinē quāplurimùm inclinauerit, figurámq. nō exactè rotundā habuerit, & ante dictū magnitudine

permultum supereſt: atque ab vno latere quandam paruam compreſſionem præſeferat: illud, vt ei ſimile quod in Tauro Cappadociæ monte colligitur, cæteris omnibus eius ſpeciebus, quæ plures ſunt & eas propemodum habent vires, erit anteferendum. Hæ itaque pro bono & vero Thlaſpi cognoſcendo ab omnibus acceptæ conditiones cùm ſemen eius expreſſè ſubfigurent, id quoque in huius præſtãtiſſimi medicamenti compoſitione ex vſu eſſe inſinuant. Accedat in huius rei confirmationem Dioſcoridis authoritas, ſolius ſeminis medicamẽtoſas vires vtendíque modum docentis libro 2.cap.150. At librum de vſu ther. ad Pamphil. qui ſcripſit, Paulus & Aetius, ſemina Thlaſpeos in deſcripta à ſe theriaces compoſitione præciſè impoſuerunt. Quod ad eam tollendam dubitationem maximè facit, quæ ex vtroque Andromacho, Damocrate, Galeno, Actuarióque Thlaſpi ſimpliciter, nulla ſeminis facta mentione, in theriaca cõponenda poſtulãtib. excitari poſſe videtur. Quod enim vt manifeſtum hi ſuppoſuerũt, illud idem alij planiùs ſignificare voluerunt. Quapropter etiã Nicolai Myrepſi ſuccũ Thaſpeos in hoc compoſito ponentis, ſect.22. nihili faciẽda eſt opinio. Thlaſpi ſuccedit in ordine Hypericon herba cuique mulierculæ notiſſima, nullibíque non viſa, cuius non ſemen tantùm, ſed & caules cum floribus ac fructibus in hac cõpoſitione apponi oportere exiſtimarunt aliqui. Porrò ad id affirmãdum liberéque enuntiandum libri primi de Antidot. authoritate vſi imprimis ſunt: ad deinde confirmarunt, quia herbę huius ſe-

men

men in quibuſdam capitulis vt & flores aurei naſcuntur. Quare capitula huiuſmodi cum caulium portione, ſemine & floribus prægnantia optima eſſe exiſtimarunt. Addunt & Galenum lib. 8. de ſimpl. med. facult. cap. proprio, aſſerere non tantùm ſemẽ, ſed totum fructum in medicum vſum ſumendum eſſe: ac huius eiuſdem ſententiæ fuiſſe viſus eſt Serapio in lib. de ſimpl. & plant. cap. 267. Eſt tamẽ & hac in re ſuus dubitationi locus ſatis manifeſtus. His enim non ſolùm aduerſari videntur antiqui Medici multi, ſed etiam ipſi inter ſe cócordes ſunt. Andromachus vterque, Galenus, & qui lib. de vſu ther. ad Pamphil. ſcripſit, Paulus, Actuarius, Nicolaus Myrepſus, Auicenna & Serapio Hypericon ſimpliciter nulláque adiecta diſtinctione ſcripſerunt: vt propterea coniecturę multum requiratur, ad fruticis huius partem ex eorum ſententia determinandam, liberúmque minimè ſit comam, ſemen, caudicem, fructúmue aut omnia ſimul eos intellexiſſe, determinare. At Damocrates in prima theriaces deſcriptione Iãbico carmine deſcripta dixit:

ὑπερικῦ σπέρματος τῦ κρητικῦ.

hoc eſt, vt Rota vertit:

Semen Hyperici, Creticum ſit tamen.

qui poſtmodum in ſecunda Hexametro carmine conſcripta Hyperici comas appoſuit. Aetius verò dixit, Hyperici in vigore conſiſtentis. Vt igitur non benè in huius medicamenti determinatione inter ſe conuenire hi videntur, ita etiam & ſemen & fructus, & folia, & caudicem ſimul accipienda eſſe ex his colligere neque licet, neque decet. Vbi

tamen nobis quoque liceat nostram liberè aperire sententiam, semen tantùm hac in compositione imponendum esse dicimus, non inani, vt credimus, ducti coniectura. Hyperici enim vires medicamentosas commemorãs Dioscorides lib. 13. cap. 156. folius seminis meminit & radicis, ea seminis facultate præcisè explicata, vt contra phalangiorum morsus maximè valeat: quod & sensit Paulus lib. 7. in littera Y, Qu de re in ea Antidoto quæ pro venenis potissimùm euincendis inuenta est, eam huius medicamenti partem cæteris præferendam esse verisimile satis nobis fit, quæ peculiari quadam huiusmodi virtute pollet: quod de aliis plerisque, imò ferè omnibus medicamentis theriacam ingredientibus affirmatũ est: quippe quod & commodius futurũ dicendum est, ad eam euitandam confusionem, quã semine, floribus, caule, fructúque huius fruticis, simul sumptis, in ipsa paranda antidoto enasci necesse ferè est: quando iis omnibus, vt illi volunt, in fructu recentis non possint singula aut rectè conteri, aut pro necessitate contundi. Neque tamen propterea Galeno, nõ tantùm semen, sed totum fructum in medicum vsum sumendum esse suadenti aduersari volumus, qui vniuersaliter de vsu Hypericonis locutus ad solius theriaces cõpositionem, de qua nobis nunc minimè sermo est, minimè se restrinxit. Quanti facienda sit Damocratis idem nobiscum sentientis authoritas inde colligere est, quòd, vt ab initio huius sermonis dictum est, Andromacho conuixit Seniori, quem in secunda deinde theriaces descriptione comas accepisse minimè

nimè constat. Is Græcè locutus solius meminit Hyperici: quod quidem & Andromachum vtrumque & Galenum & alios cõmemoratos fecisse credendum est, aut quia rem hanc omnibus notam suppofuerint, aut etiam, siue hæc siue illa pars sumeretur, non multum interesse iudicarint: veluti nec magni fecit libri primi de Antidot. author, in Cretáne potiùs, an verò in Italia Hypericon colligeretur, quippe qui veris constitutione sicciore obueniente in Italia optimum vt in Creta nasci affirmauit, séque Romæ illud tale obseruasse testatus est. Ex quo illud colligitur quod obseruemus, in siccioribus id exquirendum esse regionibus & locis. Ammi sequitur, de quo cùm nihil in dubiùm vertatur, núncque ex Alexandria Venetias in multa etiam quantitate deferatur, síntque eius notæ à plerisque diligentissimè explicatæ: non est quòd longiorem hoc loco habeamus sermonem. Eo vno cõsilio theriacæ impositum fuisse animaduertisse tantùm sufficiat, quia, vt Dioscorides testis est lib.3.cap.61.ad serpentium ictus faciat. Est denique huius quinti ordinis vltimum medicamentũ Sagapenum, quod item hoc tempore omnibus notissimum est, & à multis optimè manifestatum: de eo id tãtùm hoc loco dicere instituimus, quod pro eo optimo cognoscendo Galenus nos docuit, in aqua scilicet vel vino dimissum, si optimum fuerit, confestim dissolui, sin minùs, indissolutum manere. Prodest id ex vino haustum serpentium ictibus, Dioscoride magistro, lib.3. cap. 79. qua de causa in theriaces compositione locum habuit.

THERIACAM INGREDIENTIUM MEDICAMENTORUM ordo ſextus.

Caput Decimum.

SExti tandem vltimíque ordinis medicamenta, numero ſeptem exiſtentia, conſideremus diligenter: continentur hæc hiſce carminibus omnia:

Pondere dimidio tum quos ſibi Caſtor ad Iſtrum
Ore ſecat teſtes impoſuiſſe decet.
Quin nec Ariſtolochi radix, ſiccúmque bitumen,
Candida nec deſint ſemina, Dauce, tua.
Denique cùm Panacis ſuccum, Centaurion atque
Addideris, finem Galbanus ipſa dabit.

Eſt autem in hoc ordine ea ſeruata proportio, vt medicamentorum numerus ad quadruplum ferè ſit imminutus, & quantitas ad dimidietatem pariter imminuta: eorum reſpectu ſcilicet, quæ in quinto ordine poſita fuere. Sunt hęc enim ſeptem numero tantùm, & duarum drachmarum ponderis tantùm. Primum itaque in ordine eſt Caſtoreum, pręſtantiſſimum ſanè, Galeno magiſtro lib. 2. de ſimpl. med. facult. cap. proprio, medicamentum, in pleriſque compoſitionibus expetitum: in quo cognoſcendo, exquirendóque optimo eò diligentiores eſſe nos conuenit, quò bono ſuccedaneo nos carere certius eſt. Quid ſit igitur Caſtoreum, quas notas habeat vt cognoſcatur optimum, & quas habeat facultates, determinare neceſſe eſt. Porrò in eo vno omnes conuenire videre eſt, vt ab eo expetatur animali medicamentum huiuſmodi,

huiusmodi, quod à Græcis κάστωρ, à Latinis Fiber siue etiam Castor dicitur: quadrupes quidem animal & amphibium, magnorum fluuiorum ripis gaudens, in Ponto, vt Solinus refert, multiplex: & in Heluetia circa Arulam flumen Vrsam & Limagũ. Abũdare itẽ animal huiusmodi in Germania multis in locis, nec non in Sclauorũ regione, Polonia, Prussia & Russia Albertus magnus testis est. Nasci quoque in Hispaniæ fluminibus Strabo affirmat. Huius animalis testes esse enarratũ medicamentũ vniuersa antiquitas vsq. ad Andromachi & Galeni tẽpora existimauit. Affirmauit illa eadẽ fabulosam eã ac dubio procul inanẽ historiam: scilicet edoctũ animal huiusmodi quamobrem ab insequẽtibus venatorib⁹ cupidè adeò petatur, idcirco mordicus premens vsque incũbit ad elidendos testes, quoad ab se absciderit, & sic eos abiecerit: & tanquã prudens satis in latrones incidens, quæcunque habet ad se redimendũ exponit. Huic fabulosæ adeóque futili historiæ futilior altera ac penè deridenda subiiciebatur: nempe quòd si post exactos sibi testes & periculo euitato à venatoribus iterũ vrgeatur, sese eleuãs atque quamobrẽ insequi vlterius pergere nõ debeant causam ostendens, ꝙ iam ea parte quã expetunt careat, insequẽtes ad retrogrediendũ inducit. Sanè verò nõ tantùm fabulæ inanitatẽ mirari subit: sed vnà etiam magnorũ virorũ eandem credentium leuitatem. Negarunt quidẽ historiæ partem Dioscorides, Albertus, & Sextus Medicus, adiecta quoque confutatione euidenti. Huius tamen animalis testes, quomodócunque aliter exectos, tanti in me-

dicina vsus esse affirmarũt & ipsi. Sed primus, arbitror, Gulielmus Rondeletius eximiæ doctrinæ & eruditionis Medicus, in lib. de Amphibiis cap. 8. rem totam luculentissimè detegit, & veritatem omni ex parte manifestauit. Etenim Fibrum geminos in inguinibus habere tumores docuit: vtrinque vnũ membrana sua conclusum, oui anserini magnitudine, inter quos est mentula in mari, in fœmina pudendũ. Hos tumores non esse testes ex eo imprimis ostendit, quòd sint folliculi quidã membrana cõtecti, liquore quodã pingui cerosóque referti. Deinde ꝙ ab his nulla sit ad mentulã via neque ductus, quo humor in mentulæ meatu deriuetur & foras emittatur atque etiã quia testes intus habet animal huiusmodi vt Gallus. Addit postcà paruos admodũ esse huius animalis testes, & quàm gallinaceorũ pullorũ paulò maiores. Cõfirmata hæc eadem sunt deinde à plerisque aliis vsque ad hãc ætatem experientiæ medio, inspecto, nimirũ diligenter & dissecto animali huiusmodi. Hæc nũc vt verissima quãuis omnes recipiant, ad rem tamen nostram quæ optimã theriaces compositionem requirit, maximè facere dicendũ est, si diligenter inquisiuerimus: sintne Castoris testes, quibus olim pro medicamento vtebãtur veteres: an verò tumores dicti: númque alterũ alteri commodè possit substitui. Dioscorides ipse qui simplicium medicamentorum diligentissimus inuestigator extitit, testes præcipuè adnotauit, qui in medicina multiplicis essent vsus, lib. 2. cap. 23. Galenus lib. 11. de simpl. med. facult. cap. proprio: Testiculos, dixit, Castoris nuncupãt Castorium: medicamen-

dicamentũ celebre & multi vſus, adeò vt Archigenes de eo totum librum conſcripſerit: ex quo libro, ſi haberetur, multa ad hanc rem colligi fortaſſe poſſent. Idem ſæpe ac ſæpius Plinius inculcat, & genitales Caſtoris partes Caſtoreum à Medicis vocari ſcribit: neque ex antiquis quempiam inuenies vſque ad Auicennę, Serapionis, & Plateàrij tempora, qui voce teſticuli, in huius exprimenda medicamenti facultate, vſus non fuerit: quæ res admiratione certè non caret. Etenim internos dicti animalis teſtes cognouiſſe & tumores externos ignoraſſe eos, non ſine oſcitantia fieri potuit. Hos, ſi vtroſque cognouiſſe, dixeris, cur tumores externos prætermiſerint: de eiuſdem animalis teſtibus, de pelle, de pilis, de lotio, quatenus alicuius ſunt in medicina vſus, verba facientes, quæſitu dignum eſt. Fuere qui dixerint eſſe intrinſecus in Fibro apud teſtes folliculos quoſdam, ſubſtantia quadam ei quæ teſtibus ineſt repletos: idque ſua inſpectione in huiuſmodi animali facta confirmant: & de his folliculis locutos fuiſſe Dioſcoridem & alios dicunt. Dixere alij eiuſdem fermè facultatis eſſe tum teſtes tum & tumores illos, pauca inter vtroſque exiſtente differentia. Neque tamen hi, neque illi nobis ex toto ſatisfaciunt. Hi quidem, quoniam, etſi id verum eſſet, non propterea ab oſcitantiæ nota vindicarentur antiqui, qui tumores illos externos omnibus in propatulo poſitos ſilentio præterierunt, hácque differentiam & identitatem, non adnotauerunt. Neque etiam ob id conſtat, tumoréſne an teſtes, iuxta eorum doctrinam, nunc ſint à nobis accipiendi:

Illi verò nobis pariter non satisfaciunt, quia rem nouam dicunt, ab ipsa anatome reprobatam, solos testes internos, & tumores externos in eiusmodi animali ostendente. Quod subiit in mentem, illud peritioribus considerandum proponam. Cuique enim veritatis causa suum iudicium liberè proferri posse iamdiu persuasum habeo. Per Fibri siue Castoris testes eiusdem tumores externos intellexisse antiquos Medicos, alióſque qui animalis huius suarúmque partium vim medicamentosam perscrutati sunt, existimamus. Ex eo porrò desumpta est à nobis coniectura, quòd eà in Castoris testibus contineri antiqui illi adnotarunt: quæ re vera in eiusdem tumoribus externis adseruari recentiores paulò diligentiùs obseruarunt. Eligi debere testes istos Dioscorides iussit, qui ex vno ortu connexi sunt, liquore intus veluti ceroso, odore graui & virus redolente, gustu acri, mordente, ac friabili, naturalibus tunicis circundato: quæ eadem fuit aliorum antiquorum de re eadem opinio. At hæc, non alia in tumoribus illis externis dicti animalis contineri, non in testibus internis, accuratè omnino recentiores plerique animaduerterunt. Antiqui decepti in eo fortasse fuère, quòd in ipsa animalium anatome exquisiti adeò non fuerunt & diligentes, vt recentiorum multi, adeóque propter loci & figuræ tumorum illorum cum testibus similitudinem, eos tumores illius animalis testes esse existimarunt. Vtcunque autem negotium huiusmodi definire placuerit, tumores illos pro eo medicamento, quod Medici Castoreum vocarunt, omnes

nes hoc tempore cùm accipiant, & illud idem in theriaca reponant, nos quoque eorum ſententiæ ſubſcribẽtes idipſum ſancimus & determinamus. Optimos igitur eligemus tumores huiuſmodi: optimi autem erunt, ſi ab optima imprimis delati fuerint regione, & conuenientes habuerint cõditiones. Qui enim circa Hiſpaniæ flumina degunt Fibri vim illam non habent in medicina adeò celebrem, vt qui circa Põti flumina viuunt, Strabone & Plinio teſtibus. Quod enim verbũ apud Strabonem legi videtur, venenoſum: illud, vt optimè multi animaduerterunt, Græcè eſt, φαρμακῶδες, hoc eſt, medicamẽtoſum. Cauſam rei iſtius exiſtimauit Hermolaus Barbarus, in ſuis in Dioſcoridem Caſtigationibus, eſſe aërem Hiſpanicæ regionis calidũ, cuius medicamentoſum illud virus in dictis animalibus exhalet & digeratur: in Ponto autẽ frigidius multò cælũ eſt. Quare & in Heluetia & in tota Germania, vbi frigiditas viget multa, eandẽ animali huic ineſſe vim quę in Põto aliqui verè affirmãt: tametſi Iſtrium pręcipuè poſtulauerit Andromachus, quod in ripis Danubij viuit: quæ res faciliorẽ boni huius medicamẽti emptionem facit: At eius optimas cõditiones iam ex Dioſcoride, cui deinde alij omnes aſſentiũtur, audiuimus: notæ quidẽ omnes ſunt & manifeſtæ, vno excepto odore, quí putris nõ eſt interpretãdus & acutus, vt aliqui exiſtimant: ſed grauis & fœtidus, Plinio teſte, Aſphaltũ quoquo modo redolens. At quoniã abſciſſi à Caſtore tumores iſti in vmbra ſuſpẽſi deſiccãtur, propterea ſic deſiccatos illos albos eſſe & molles animaduertunt aliqui.

Eorum ſaporem mediocriter acrem conſtituit Platearius: quoniam quod valde acre eſt & valde terreum, ſuo iudicio adulteratum eſt. Glutinoſos eoſdem eſſe vult,& neruos habere intricatos, & pelliculas adhærentes. Quin & ab animali in vigore ſuæ ætatis exiſtente exectos, eis qui à iuuenibus & ſenibus execantur præferendos cenſuit. Cæterùm his non contenti indiciis, ad fraudem quoque ipſam animaduertendum eſſe, plerique cenſuerunt: & adulteratos hoſce tumores docuerunt internoſcere: folliculi imprimis duplicatione, quæ nullo modo, vt Dioſcorides admonet, eſſe poteſt naturalis: ſalis deinde ſapore, quia genuinum Caſtoreum nihil ſalis reſipiat: tum etiam magnitudine, quæ inſignis nullo pacto eſſe poteſt, ſed exilis. Adulterationis autem modus non vnus: vel enim coniecto in folle Gummi aut Ammoniaco cum ſanguine & Caſtoreo ſubactum exiccatúmque adulteratur, Dioſcoride magiſtro: vel, vt Sextus inquit, renibus eiuſdem animalis in veſica repoſitis & exiccatis: vel, vt Platearius admonet, pelle in qua Caſtoreum fuerit, vel alius teſticulus recens impleta ſanguine & neruis, addito puluere Caſtorei: vel ſanguine & terra cõmixtis: vel tandem ſanguine, Sagapeno, neruis, addito pipere in veſica incluſis. Nec tamen impoſturis carere Caſtoreũ ſufficiet, vnáque optimas habere conditiones dictas: niſi quoque id habuerit, vt non ſit præ vetuſtate corruptum: (facilè autem illud corrumpi videtur, vtpote folliculo incluſum & humidum, niſi rectè & conuenienti loco ſiccetur) quoniam, Auicennæ

iudicio,

iudicio, quod nigrum, fœtidum rancidúmque est, vno die enecat. Addebat Petrus Aponensis quem Conciliatorem vocant, insaniam & furorem illud inducere, linguam exerere, & febrem excitare. Videas itaque quãta in hoc eligendo medicamento sit necessaria diligentia: & hoc quidem Theriaces cõpositioni ea de causa iniectũ fuisse certo certius est, quia antiquorũ Medicorum omnium opinione venenis aduersetur quàm maximè: non quidem vt res sua natura venenosa, quemadmodũ existimauere plerique: sed quia id facultatis ei tãquam cuidam Alexipharmaco inesse experientia cõfirmauerit. Illud nãque inter venena enumerari tam falsum est, quàm quod maximè. Scio multos Strabonis authoritate fretos lib. 3. suæ Geographiæ, venenosum Castoreum facere. Scio alios idem affirmasse, quia Vergilium primo Georgicorum sic canentem legerint:

At Chalybes nudi ferrum, virosáque Pontus
Castorea.

omnes tamen errore notantur manifesto. Strabo nanque Castoreum Ponticum φαρμακῶδες dixit, hoc est, medicamentosum. Neque etiam Castoreum dixeris venenosum, quia illud virosum esse dixerint Dioscorides & Virgilius, quando idem illis significet, virosum, quod odoris grauitate præditum: ideóque & Dioscorides βαρύοσμον & βρωμῶδες dixit. Est quidem venenosum Castoreum, inquit, Auicenna lib. & tractat. 2. cap. 126. quando est puluerulentum, declinans ad nigredinem: túncque interficit die vna, & facit phrenitin: quod idem paucis ab hinc dicebamus. Se-

cundum locum obtinuit Ariſtolochia, quæ licet ſatis cognita planta ſit & in medicina frequentiſſimi vſus: attamen ob varias antiquorum Medicorum de theriaces compoſitione differentium opiniones, multam hócque loco minimè prætereundam habet difficultatem. Andromachus nanque Senior, ſi eius Græca ſcriptio attendenda eſt, tenuis Ariſtolochiæ radicem in theriaca poſuit, à quo non diſſentire Iunior filius videtur, tenuem Ariſtolochiam qui expreſsè poſtulauit. Hos ſecuti ſunt, Galenus in lib. de ther. ad Piſon. & Aetius. Damocrates autem eandem in prima theriaces deſcriptione poſtulauit: eo addito, vt ſicca eſſe debeat. In ſecunda deinde deſcriptione Ariſtolochiæ longæ radicem tenuem potiùs expreſſit. Ariſtolochiam ſimpliciter nulla addita diſtinctione appoſuerunt, libri de vſu ther. ad Pamphil. author & Actuarius, longam Myrepſus: Clematidem Paulus: rotundam Auicenna in prima & ſecunda theriaces deſcriptione: longam in tertia. Hanc eandem locum antiquitus habuiſſe in theriaca teſtatus eſt Serapio: ipſe autem magis probauit rotundam. Tanta itaque hac in re eſt antiquorum varietas, vt re ipſa difficili conſtituta, ex recentioribus aliud alij ſenſerint. Sunt qui velint folia Ariſtolochiæ accipienda eſſe: alij radices malunt. Longam aliqui Ariſtolochiam: rotundam alij laudant magis. Hæc quanquam videantur difficilia, & à quibuſdam fuerint ſubtiliùs diſputata, nobis tamen facilem habere videntur determinationem. Si enim Ariſtolochiæ in theriaca imponendæ genus ſpectes: ſiue rotundam,

tundam, siue longam, aut etiam Clematidem (quæcunque hæc fuerit) acceperis, non errabis: quoniam Dioscorides easdem cuique Aristolochiæ tradidit veneni infringendi vires, paulò tamen minores Clematidi. Sic & Galenus lib. 6. de simpl. med. facult. cap. proprio, Clematide tanquam frequentiore, ad vnguenta potiùs quàm ad sanationes destinata, longæ & rotundæ vires inquirens, quasdam in qualitatibus primis inter eas constituit differentias, sed leues. vt qui medicamentorum vires ratione potissimùm collectas illis in libris explicare sibi ipsi instituit: de facultatibus verò sola experientia inuentis, quorum vna est venenorum euictio, ne verbum quidẽ in Aristolochia fecit. Sed hãc particulariùs explicauit Dioscorides, eadẽ Aristolochiæ vtriq. assignata. Videas ꝑpterea Galenũ longã Aristolochiam rotũdę, & rotundã lõgæ libenter substituere. Harum copia in multis Italiæ locis cùm extet, vt herbarij testantur, non est quòd in hoc vel illo potiùs loco collecta Aristolochia præferatur. Radicem autem, nõ folia nostrum in vsum esse accipienda quis dubitat? Est imprimis tanti faciendus Senior Andromachus, qui radicem expresè nominauit, vt hoc vno argumento neminem aliter sentientem audire debeamus. καὶ λεπτὴν ῥίζαν ἀριστολόχου, Græcè scripsit: quæ Latinè sic se habent: Et tenuem radicem Aristolochiæ. Huius imitatione deinde libri primi de Antid. author cap. 15. inter radices theriacæ cõpositionem ingredientes Aristolochiam enumerauit. Sic & Damocrates in secũda Theriac. de-

ſcriptione, radicem expreſsè poſtulauit. Hanc rem inde maximè confirmari eſt animaduertere, quia Galenus lib. 6. de ſimpl. med. facult. ſoli Ariſtolochiæ radici vires in medicina vtiliſſimas & quamplurimas tribuit. Has porrò debere eſſe ſiccas, non Damocrates modò, vt audiuimus, docet: ſed & res ipſa manifeſtum facit: quia ſcilicet eas contundi ac teri neceſſum eſt. Author ob id libri primi de Antid. loco proximè ſcripto, Ariſtolochiæ radices vnà cum aliis pleriſque radicibus, ſeminibus & foliis | exiccatis mortariis Aegyptiis impoſitas contundi diligenter iuſſit: lignoſa verò omnia, inter quæ radices enumerari certum eſt, contundi iuſſit Senior Andromachus. Et hæc de ipſa Ariſtolochia hunc in modum explicata, cùm ad id quod quærimus manifeſtandum, tum ad conciliandos inter ſe antiquos Medicos ſufficere debere arbitramur. Quare ad ipſum Bitumen, à Græcis Aſphaltum dictum, quod hoc in ſecto tertium obtinuit locum, ſermo transferendus eſt: de quo variè quoque ab antiquis Medicis theriacam componentibus ſcriptum fuiſſe legere eſt. Alij ſiquidem Bitumen ſimpliciter, nulla conditione adiecta, ſcripſerunt: vt libri de vſu theriac. ad Pamphil. author. Iunior Andromachus, Damocrates in prima theriaces deſcriptione, Actuarius, Paulus, Auicenna in prima theriaces deſcriptione, & Serapio. Alij, vt Aetius, Nicolaus Myrepſus, Auicenna in ſecunda theriaces deſcriptione, Haly Abbas, & Galenus in libr. de theriac. ad Piſonem Iudaicum Bitumen particulariùs explicarunt.

At

At Senior Andromachus, omnibus aliis ſine dubio anteponendus, aridum Bitumen ſcripſit: & id quidem, inquit, quod contra venenatorum cubilia vſurpatur. Habet enim Græcè: καὶ ἀναλέην ἄσφαλτον ἰοβόλων κοίταις ἀντία δαιομένην: quem eſt ſecutus Damocrates in ſecunda theriaces deſcriptione. Difficultas itaque in eo eſt tota, vt quia Bituminis plura reperiũtur genera, quodnam ſit eligendum, ex diuerſa horum ſcriptione, haud planè conſtare videatur. Id quanquam diligenter admodum conſiderauerint Medici Patauini, Maranta & Deſſennius & de Bituminis ſpeciebus particulariùs differentes rem hanc rectè determinare conati ſint: nobis tamen rectiùs futurum viſum eſt, quodnam ſit Bitumen aridum ſerpentes fugans tantummodò determinare: ſiquidem id vnũ præcipuè ac peculiariter poſtulauerit Senior Andromachus: húncq. in modum poſſe rem paucioribus determinari exiſtimauimus. Solus, vt arbitror, ex antiquis Plinius Bitumen quoddam accenſum ſerpẽtes nidore fugare ſcripſit: cuius probationem eſſe dixit, lib. 35. cap. 15. vt quàm maximè ſplendeat, ſitque ponderoſum ac graue: leue autem modicè, quoniam adulteratur pice. Hæ profectò eædem ſunt conditiones, quibus Iudaicum Bitumen probari ſcripſit Dioſcorides, lib. primo cap. 83. Purpuræ modo, inquit ille, ſplendet hoc bitumen, eſt ponderoſum, ac validum odorem vibrat. Quod dicit ponderoſum, id non eſt abſolutè intelligendum: quia ob pinguem eius ſubſtantiam leue potiùs eſt, ſed comparatione ad ſeipſum facta: ita vt optimum ſit Bitumen, quod

minùs leue est. Purpuræ autem modo splendescere Bitumen Iudaicum, non in eum sensum accipiendum est, vt purpurei coloris esse debeat: sed vt splēdens sit & lucidum. Galenus id affirmat vel manifestè lib.3.de sympt.cau.cap.2.his verbis: Nigra verò bilis etiā sanguine ipso splendidior est, sicuti etiā Bitumen, quod ex mari mortuo adfertur, Iudaicū id appellant: ex quibus Galeni verbis locū quoq. vbi id bituminis genus nascitur, licet ediscere. Mare nanq. quod dicunt mortuum, eodem authore, cū lib.9.simpl.cap.de diff. nominatæ passim terræ, & cap.de lapidibus, tum lib.11.eiusdem operis, cap.de Bitumine, est in Cœle, id est caua Syria Palestinæ parte, prope inquam, vt ille idem docuit, lib.4.eiusdem operis cap.20. Iordanem, in quo sal gigni dixit Sodomiticum dictum, à circumiacentibus mare montibus, quos Sodoma appellant: quo in loco Sodomam & Gomorrham vrbes, ob nefandum vitium submersas, alias extitisse communis est multorum opinio. Ab vrbe autem Hiericho quindecim tantùm millia passuum distare hoc mare, siue hunc lacum (nā & lacus est multorum opinione) scriptum est à recentioribus nonnullis. In eo mari siue lacu nullum neque animal neq. plantam nasci aut viuere posse idem Galenus eodem loco affirmat: eius natura ob exactam amaritudinem, squallorem, siccitatem, veluti fuliginem ab exassatione referente: adeóque cùm generationem, tum vitam animalium, & plantarum impediente. Est Bitumen, inquit Galenus, lib. vndecimo de simpl. med.

med. facult.capit.proprio, ceu ſpuma quædam aquæ dicti maris innatans, molle quidem dum innatat,poſtea verò reſiccatum, pice ſicca durius effectum: congelatur nanque & dureſcit ab aqua ſelectum, præ aeris frigiditate: eſſentiæ eius craſſitie & quaſi tereſtæitate, vt idem Galenus docuit, libro primo de ſimpl. med. facult. capitul. 17. ad congelationis celeritàtem adiuuante. Hæc itaque ea eſt arditas; quam in Bitumine exquiſiuit Andromachus: ad eius nimirum differentiam quod Plinius loco proximè adnotato Zacynthium, & quod à Babylone aduehitur, quódque Appolloniaticum dicitur:eiúſque pariter quod, Dioſcoride afferente, libro primo cap. 83. in Agrigentino Siciliæ fonte naſcitur: quippe quæ liquidioris cuiuſdam conſiſtentiæ exiſtant. Iudaicum itaque Bitumen id eſſe quod poſtulauit Andromachus ex his manifeſtò conſtat. Quare & reliqua omnia Bituminis genera hunc in vſum cùm minimè valeant, non eſt quòd de eis hoc loco longiorem cum multis habeamus ſermonem. Optimi verò Iudaici Bituminis notas iam habuimus ex Dioſcoride adeò euidentes,vt nullo pacto in eius electione adulteratio aliqua callidiùs facta,ſiue cum pice, vt Dioſcorides admonuit, ſiue alitercunque, decipere nos poſſit.Hunc potiùs in ſenſum lubet accipere authoris libri primi de Antid. verba, Bitumen Iudaicum nullas admittere fraudes, atteſtantia in capitul.ſecundo, vt ſcilicet nullas admittat fraudes,quæ vel facillimè non detegantur: quàm Dioſcoridi & aliis

eum contrarium constituere,& damnare. Porrò legitimum Iudaicum Bitumen hoc æuo in Italiā non adferri aliqui cùm crediderint, de ei simili substituendo medicamento soliciti propterea maximè fuere. Hos autem, tametsi facta cum Venetis mercatoribus diligentia, expensísq. adhibitis conuenientibus, legitimum illud haberi posse existimemus: ad ídque consequendum nulli sumptui ac diligentiæ parcendum esse censeamus: quia tamen hæc cuique non licēt: eius loco quod substituendum sit medicamentum, inquirere nō grauabimur. Profectò non alia aptior sese nobis offert via huius rei inueniendæ, quàm si Iudaici Bituminis vires facultatésque medicas rectè agnoscamus, vt eiusdem virium facultatúmq. medicamen illius in locum facilè postea possimus apponere. Bituminis eius quod in cauæ Syriæ stagno salso innatat, Iudaicum dictum, vim tum resiccatoriam, tum excalfactoriam esse in secundo ordine Galenus statuit, lib. 11. de simpl. med. facult. cap. proprio, quem secuti sunt Aetius tetrab. prima serm. 2. cap. 49. Paulus lib. 7. in dictione Asphaltos, Oribasiusq. lib. primo Synop. cap. 15. vt propterea Auicennam, id tertij ordinis calidū & siccum medicamentum esse asserentem vel deserere, vel malè eius dictionem Arabicam translatam in Latinum esse dicere debeamus. Animaduersa tamen est ab aliquibus in Galeno difficultas, lib. 8. de simpl. med. facult. cap. de Triphyllo tertij ordinis excalefacientium. Bitumen constituentis: qui idem longè aliter de eodem locutus fuisse nobis visus est lib. eiusdem operis 2. ca.
21. Bitu-

21. Bitumen constituens minimè siccum, comm. in primæ sectionis Aphor. Hippocr. 14. aph. humiditatem in eo multam reponens. Sed facilem habent duæ posteriores difficultates solutionem, difficilem prima. Quod nanque dixit Galenus non siccum Bitumen lib. 2. de simpl. med. facult. cap. 21. de ea Bituminis specie quæ sua natura liquida est & actu humida, vt ipsemet eodem loco declarat, intelligendum est: Et primo Aphor. com. 14. Bitumen plurimam substantiam humidam continere dixit: quod & verum est. Non videtur tamen vim humectantem illi ibi tribuisse. Ad primam verò difficultatem dixere aliqui, non fuisse Galeni mentem, Bitumen cum Triphyllo in eodem caliditatis & siccitatis ordine cōstituere: sed vtrunque duntaxat ob odoris similitudinem calidum & siccū ostēdere, vt qui exquisitum Bituminis gradum proprio postea declarauit loco. His tamen obstant Galeni verba eo loci hunc in modum prolata: Vis plantæ est calida & sicca, vt bituminis, cui odore est similis, vtrinque tertio ordine: quorum verborum sensus, si attentiùs considerentur, absolutus est & vniuersalis, nulla se ex parte restringens. Dicamus pro tanto viro à contradictione vindicando, frequens esse apud Medicos, vt, cùm medicamentorum gradus exquisitissimi minimè determinari ad pondus certū possint, generales ordines sæpissimè vsurpent, ac inter se confundant: ita vt quæ medicamenta secundum ordinem quadantenus excedere, putà in caliditate, probabile est, ea interim tertij ordinis constituant: & quæ à tertio recedunt, in se-

cundo nonunquam reponant; de qua re innumera qui voluerit habebit exempla. Id Bitumini accidisse persuademur, vt, quia notabilis cuiusdam est caliditatis (calidissimũ enim id Galenus constituit, lib. primo de simpl. med. facult. cap. 16.) secundũ ob id ordinẽ quadantenus excedere verisimile est: & propterea cùm secundi, tum tertij excalefacientium ordinis aliquando constituitur. Porrò non excalefacere tantùm & exiccare Bitumen sciendum est: sed simul quoque adstringere, eodem authore Galeno libro primo de simpl. med. facult. cap. 33. quod ad inueniendũ eius substitutum conducit valde. Nam plura sunt secundi ordinis excalefacientia & exiccantia medicamenta, quæ cùm simul non adstringant, neque etiam commodè illi substituerentur. Non est hoc loco cum eis incunda concertatio, qui Mumiam Bitumini substituunt Iudaico: quando neque ita manifestum sit quid sit Mumia, neque hoc tempore illam habeamus. Picem eapropter quam aridam Dioscorides appellat lib. primo cap. 81. quippe quæ cum Bitumine communes ferè habeat vires, ei substituendam esse dicimus. Hæc nil aliud est, si eundem audire par est eodem loco, quàm liquida Pix decocta, cui excalefacientem simúlque exiccantem in secundo ordine facultatem & ipse & Galenus lib. 8. de simpl. med. facult. cap. de Pice tribuerunt. Resistit ad hæc venenis & adstringit, æquè ac bitumen: nã & vulnerariis medicamentis commodè permiscetur. Quin & maximam habent inter se Pix & Bitumen substantiæ similitudinem, eundémque in medicina requirunt apparatum,

paratum. Quare & libri de substitutis medicinis Galeno attributi author, quisquis ille fuerit, Picem Brutiam vel liquidam Bitumini substituit. Nunc ad candida Dauci semina transeamus: quæ licet neque ab Andromacho neque à Galeno particulariùs explicentur: Cretici tamen Dauci semina accipienda esse inde licet colligere, quòd Dioscorides Pliniúsque probatissimum dicant in Creta colligi Daucum, & Damocrates in prima theriaces descriptione Creticũ præcipuè expressserit Daucum, carmine isto:

Addatur semen Dauci Creta genitum.

& hunc secuti sunt Aetius & Actuarius. Huius copia Venetiis hoc tempore adfertur assiduè, in cuius electione non est vt quis se posse decipi vereatur, qui sciat longius esse Dauci semen & angustius fœniculi semine, candicans, lanuginosum, acre, odoratúmque. Aduersatur semẽ huiusmodi, Dioscoride magistro lib. 3. c. 69. phalangiorũ morsibus, quo potissimũ nomine theriacę illud impositũ fuisse credẽdum est. Elegit autem semen Andromachus, vt radix foliúmque Dauci, quorum cum semine idem est in medicina vsus, excluderentur, tanquam vires, Galeno & Dioscoride magistris, habeãt infirmiores. Succedit ex ordine succus Panacis, ὀπῦ πάνακος scripsit Senior Andromachus, medicamentum sanè ab omnibus hoc tempore cognitũ. Quoniam autem solũ succum expostulauit Andromachus, vnum propterea Heracleum ex vsu nunc esse constat. Nam ex eo solo succum in vsum medicum exprimi debere iusserunt Dioscorides & Galenus. Huius notæ opti-

cundo nonnunquam reponant; de qua re innumera qui voluerit habebit exempla. Id Bitumini accidisse persuademur, vt, quia notabilis cuiusdam est caliditatis (calidissimũ enim id Galenus constituit, lib. primo de simpl. med. facult. cap. 16.) secundũ ob id ordinẽ quadantenus excedere verisimile est: & propterea cùm secundi, tum tertij excalefacientium ordinis aliquando constituitur. Porrò non excalefacere tantùm & exiccare Bitumen sciendum est: sed simul quoque adstringere, eodem authore Galeno libro primo de simpl. med. facult. cap. 33. quod ad inueniendũ eius substitutum conducit valde. Nam plura sunt secundi ordinis excalefacientia & exiccantia medicamenta, quæ cùm simul non adstringant, neque etiam commodè illi substituerentur. Non est hoc loco cum eis ineunda concertatio, qui Mumiam Bitumini substituunt Iudaico: quando neque ita manifestum sit quid sit Mumia, neque hoc tempore illam habeamus. Picem eapropter quam aridam Dioscorides appellat lib. primo cap. 81. quippe quæ cùm Bitumine communes ferè habeat vires, ei substituendam esse dicimus. Hæc nil aliud est, si eundem audire par est eodem loco, quàm liquida Pix decocta, cui excalefacientem simúlque exiccantem in secundo ordine facultatem & ipse & Galenus lib. 8. de simpl. med. facult. cap. de Pice tribuerunt. Resistit ad hæc venenis & adstringit, æquè ac bitumen: nã & vulnerariis medicamentis commodè permiscetur. Quin & maximam habent inter se Pix & Bitumen substantiæ similitudinem, eundémque in medicina requirunt apparatum,

paratum. Quare & libri de substitutis medicinis Galeno attributi author, quisquis ille fuerit, Picem Brutiam vel liquidam Bitumini substituit. Nunc ad candida Dauci semina transeamus: quæ licet neque ab Andromacho neque à Galeno particulariùs explicentur: Cretici tamen Dauci semina accipienda esse inde licet colligere, quòd Dioscorides Pliniúsque probatissimum dicant in Creta colligi Daucum, & Damocrates in prima theriaces descriptione Creticũ præcipuè expresserit Daucum, carmine isto:

Addatur semen Dauci Creta genitum.

& hunc secuti sunt Aetius & Actuarius. Huius copia Venetiis hoc tempore adfertur assiduè, in cuius electione non est vt quis se posse decipi vereatur, qui sciat longius esse Dauci semen & angustius fœniculi semine, candicans, lanuginosum, acre, odoratúmque. Aduersatur semẽ huiusmodi, Dioscoride magistro lib. 3. c. 69. phalangiorũ morsibus, quo potissimũ nomine theriacę illud impositũ fuisse credẽdum est. Elegit autem semen Andromachus, vt radix foliúmque Dauci, quorum cum semine idem est in medicina vsus, excluderentur, tanquam vires, Galeno & Dioscoride magistris, habeãt infirmiores. Succedit ex ordine succus Panacis, ὀπȣ̃ πάνακος scripsit Senior Andromachus, medicamentum sanè ab omnibus hoc tempore cognitũ. Quoniam autem solũ succum expostulauit Andromachus, vnum propterea Heracleum ex vsu nunc esse constat. Nam ex eo solo succum in vsum medicum exprimi debere iusserunt Dioscorides & Galenus. Huius notæ opti-

mæ traditæ ſunt, vt intus album ſit, vel etiam ad rubeum quadantenus declinans, extrinſecus pallidum croci imitatione, leue, pingue, friabile, tenerum, amarum valde, grauem odorem habens, & ſtatim in aqua liqueſcens: quæ Dioſcoridis doctrina fuit lib.3.cap.48. Adulteratur quidem Ammoniaco aut cera: ſed ſinceri exploratio erit, inquit Dioſcorides, ſi digitis in aqua friatum reſoluatur & lacteſcat. Cōtra morſus canū in rabiē furētium, & animalia venenū eiaculātia vim habere cùm ſtatuerit Dioſcorides: cur huius Antidoti cōpoſitionē ingrediatur, manifeſta eſt cauſa. Penultimū locū obtinuit Centaurium, cuius quidē eſſentia, vt omnibus notiſſima, nullā habet difficultatem. De eo tamen duo in dubium verti animaduertimus. Primum, quænam ex duabus eius ſpeciebus maiore ſcilicet & minore ſit eligenda: alterum, quæ pars eius ſit accipienda. Minus Centaurium, & huius caulem extremū cū foliis & floribus nec non & ſemine prægnantem collectū ac optimè in faſciculos ſiccatū accipiendum nobis quoidam affirmaſſe legi: ea ſuæ affirmationis adducta ratione, quòd Galenus in lib. de ther. ad Piſon. Iuniórque Andromachus tenue Centaurium præcisè expreſſerint: cuius radices in medicina cùm ſint inutiles, folia ob id, flores, fructus & ſemina ſimul colligenda eſſe exiſtimarunt. Quibus quidem in eo imprimis aſſentimur, quòd tenue potiùs ſit accipiendum Centaurium, quando Iuniori Andromacho & Galeno conſenſerunt pariter Aetius, Actuarius, Myrepſus, Auicenna, Serapio, & qui lib. de vſu ther. ad Pamphil. ſcri-

 pſit.

psit. Sed in huius eligenda parte aliqua apud nos extat difficultas. Quid enim authori lib. primi de Antid. aliquarum herbarum theriacam ingredientium flores, folia, semináque simul accipienti dicendum sit, aliàs non semel diximus. At Aetius Andromachi theriacam ex professo describens, loco sæpe adducto, solam minoris Centaurij comam postulauit. Síque Dioscoridem de minoris Centaurij facultatibus differentem attentiùs quis considerauerit, eum plures illius foliis tribuisse vires intelliget: pauciores succo modum in quendam extracto: paucioréque adhuc radicibus. Quin & Galenus lib. 7. de simpl. med. facult. cap. 7. hæc ad verbum scripsit: Centaurij minoris radix planè inefficax est, sed caules eius extremi & potiùs folia quæ illis inhærent, & flores, vtilissima sunt: quibus quidem verbis plus eum tribuisse foliis constat manifestò. Eius deinde vires singillatim eodem loco enumerans, folius herbæ eiúsque decocti & succi meminit, nulla florum aut seminis facta commemoratione. Quapropter ea vna huius herbæ parte selecta, quæ potissima est & maiores habet vires, eam confusionem sine dubio euitabimus, quam floribus & seminé vnà acceptis exoriri aliàs dicebamus. Scio dixisse Dioscoridem colligendam esse hanc herbam semine prægnantem: sed ad eius succum pro quibusdam parandis medicamentis extrahendum id Dioscoridem statuisse certum est. Cæterùm, vt non recens Centaurium esse voluit Damocrates in prima theriaces descriptione, ita illud idem Creticum esse debere constituit: cuius eiusdem sen-

tentiæ fuere Aetius & Actuarius. Et rectè sanè hæc omnia, quoniam vbi recens fuerit herba, triturationi inepta prorsus erit, neque compositioni idonea. Creticas verò herbas pleraſque in Italia naſci eaſdem, & alibi enaſcentes virtute ſuperare iam ſæpius audiuimus ex Galeno. Venit tādem poſitum vltimo loco Galbanum, de quo nulla omnino inter antiquos vel recentiores Medicos extat controuerſia, omnibus ſcilicet in id cum Dioſcoride lib. 3. cap. 81. conuenientibus, vt ſuccus ſit naſcentis in Syria ferulę. Optimum eſt grumoſum, merum, thuris effigiem præbens, pingue, minimè lignoſum, retinens nonnihil adiecti ſeminis & ferulæ, graui odore, neque valde humidum, neque valde aridum: quibus notis id quoque ab aliquibus adiici videre eſt, vt quemadmodum Sagapeni præſtantiam ex facili diſſolutione comprobamus, econtra ex eadem difficili optimum comprobetur Galbanum: conſtante Sagapeno aquea ſubſtantia, Galbano verò tenaci & oleaginoſa. Inter alias huius medicamenti vires eam quoque Dioſcorides enumerat, quòd venenis aduerſetur: quo vel vno nomine in eius Antidoti compoſitione partes habere debuit, quæ ad omnia euincenda venena, inuenta fuit. Et hanc ingredientia medicamenta quæ & quot ſint & cuius ponderis, iam explicauimus. Hæc quoniam modo dicendo parata melle excipienda eſſe iuſſit Andromachus, & poſt eum reliqui omnes, ad eius propterea ſpeculationem deueniendum eſt, eius imprimis quo vtamur genere patefacto (ſunt enim plura eius

genera)

genera :) deinde num cocrudo coctóve potiùs vtendùm nobis sit declarantes, & in qua quantitate. Ecquis quæso est qui has mellis speculationes existimet inanes, qui Antidoti huius nobilitatem qualis sit sciat, qui obseruatam ab antiquis Medicis in huius compositione diligentiam nouerit? Vulgata sanè est libri primi de Antidot. authoris historia cap. 2. descripta, theriaces ob eam causam damnatæ, quia mel Rhodium, & illud quidem plurimum coctum, ac diutius expumatum contineret: cuius occasione non modò gustu, sed etiam odore vinum redolebat. Accedat quoque consistentiam theriacæ ipsi dare mel ipsum, cámque potissimùm conseruare: quò vel solo nomine nulla in eo eligendo superflua dici possit diligentia. Nos itaque in eo non erimus diligentes aut etiam curiosi, vt integrum de melle tractatum habere velimus: hoc siquidem iam plerique fecerunt. Minùs boni mellis notas hic adscribemus: quas M. Oddum Medicum illustrem cum suis sociis & Marantam, in his quæ de theriaces compositione scripserunt, probè in vnum collegisse cuique videre licet. Ea tantùm attingere statuimus, quæ vel maiore quadam egere declaratione nobis visa sunt: vel aliquid difficultatis adhuc præ se ferunt. Quare quo mellis genere vtendũ nobis hoc tempore sit, quoniã Attico ab omnibus singulísque antiquis Medicis hunc in vsum laudato caremus, inquiremus priùs. Illud deinde recénsne esse debeat, an potiùs antiquum explicabimus: coctúmne an crudum esse conueniat, & in qua quantitate, pa-

riter docebimus. Itaque cùm non alia de causa Atticum mel præcipuè laudauerint antiqui Medici pro theriaca componenda, nisi propterea quòd ex Thymo ipso Apes illud in ea regione colligunt: Mel ideò illud Attico substitui commodè posse dicendum est, quod in loco eadem herba referto colligitur. Hac de causa qui primum librum de Antidot. scripsit in cap. 4. Attico melle deficiente, Hymettium, Thasiúmve substitui posse existimauit. His adhuc deficientibus, è Cycladibus aduectum mel, vel Istmiacum vel Tabreum ex vsu futurum dixit. Quin & in aliis regionibus mel optimum confici ibidem admonuit, in Asia scilicet, in colle quodam inter Pergamum & Eleam vrbem maritimam porrecto, in quo scatet Thymus, & in Mysia in tractu quem Britum nominant, vbi monticulus quidam est non magnus, saxosus totus, Thymo & Origano plenus: ad cuius radices cytiso quamplurimo agri abundant. Quòd si Asiatica hæc mella optima dicenda ea de causa sunt, quia in locis Thymo & cytiso refertis collecta Atticis sunt maximè similia: profectò etiam quæ in multis aliis regionibus nascuntur in quibus eiusmodi quoque herbæ abundant, erunt in eodem præstantiæ ordine reponenda. Proinde in Apulia, vbi tanta Thymi copia viget, quæ igni quoque alendo communiter est in vsu, idem mellis genus colligi negari haud potest. In Manfredoniæ quoque tractu, non multùm à Neapoli distante, propè montem Garganum

dictum,

dictum, & in Tarento, locis pariter Thymo abundantibus. Hac de causa nihili quoldam fecisse videre est, siue ex hac, siue ex illa regione ortum ducat mel theriacæ imponendum. Nos verò talia proferre minimè auderemus: id vnum ratum habentes, thymi tantùm ex cytisi causa eam præstantiam assumere mella ipsa. Dicimus igitur regionem ipsam parumpendendam, dummodo in ea parte collectum mel sit, quæ dictis herbis abundet. Illud porrò adiici quoque posse ratio suadet, vt quoniam siccitate & caliditate præditæ sunt herbæ recitatæ: ex aliis ideò herbis eadem facultate præditis collectum mel in hunc vsum probari debere, quales sunt, Rosmarinum, flores citri, & alia id genus: quod manifestè Galenus docuit lib. 3. de alim. fac. cap. 39. Hac de causa Hispanum mel, tanquam in regione calida & sicca, herbisque eisdem facultatibus præditis abundante, ab omnibus hoc tempore commendatur. Qua eadē ratione in multis Alpium montibus, in quibus herbæ eiusmodi vigent, collecta mella commendare par est. Non est igitur quòd in paranda theriaca quis de melle dubitet, quia Attico careat. Quòd ad eius ætatem attinet, solus Damocrates in prima theriaces descriptione recens esse debere mel statuit hoc carmine:

Mellis recentis Attici libras decem.

quod idem statuisse visus est libri primi de Antidot. author. Alij verò omnes ac singuli nullam penitus ætatis mellis fecere mentionē. Tantæ

eum contrarium constituere,& damnare. Porrò legitimum Iudaicum Bitumen hoc æuo in Italiã non adferri aliqui cùm crediderint, de ei simili substituendo medicamento soliciti propterea maximè fuere. Hos autem, tametsi facta cum Venetis mercatoribus diligentia, expensísq. adhibitis conuenientibus, legitimum illud haberi posse existimemus: ad ídque consequendum nulli sumptui ac diligentiæ parcendum esse censeamus: quia tamen hæc cuique non licèt: eius loco quod substituendum sit medicamentum, inquirere nõ grauabimur. Profectò non alia aptior sese nobis offert via huius rei inueniendæ, quàm si Iudaici Bituminis vires facultatésque medicas rectè agnoscamus, vt eiusdem virium facultatúmq. medicamen illius in locum facilè postea possimus apponere. Bituminis eius quod in cauæ Syriæ stagno salso innatat, Iudaicum dictum, vim tum resiccatoriam, tum excalefactoriam esse in secundo ordine Galenus statuit, lib. 11. de simpl. med. facult. cap. proprio, quem secuti sunt Aetius tetrab. prima serm. 2. cap. 49. Paulus lib. 7. in dictione Asphaltos, Oribasiúsq. lib. primo Synop. cap. 15. vt propterea Auicennam, id tertij ordinis calidũ & siccum medicamentum esse asserentem vel deserere, vel malè eius dictionem Arabicam translatam in Latinum esse dicere debeamus. Animaduersa tamen est àb aliquibus in Galeno difficultas, lib. 8. de simpl. med. facult. cap. de Triphyllo tertij ordinis excalefacientium. Bitumen constituentis: qui idem longè aliter de eodem locutus fuisse nobis visus est lib. eiusdem operis 2. ca. 21. Bitu-

21. Bitumen constituens minimè siccum, comm. in primæ sectionis Aphor. Hippocr. 14. aph. humiditatem in eo multam reponens. Sed facilem habent duæ posteriores difficultates solutionem, difficilem prima. Quod nanque dixit Galenus non siccum Bitumen lib. 2. de simpl. med. facult. cap. 21. de ea Bituminis specie quæ sua natura liquida est & actu humida, vt ipsemet eodem loco declarat, intelligendum est: Et primo Aphor. com. 14. Bitumen plurimam substantiam humidam continere dixit: quod & verum est. Non videtur tamen vim humectantem illi ibi tribuisse. Ad primam verò difficultatem dixere aliqui, non fuisse Galeni mentem, Bitumen cum Triphyllo in eodem caliditatis & siccitatis ordine cõstituere: sed vtrunque duntaxat ob odoris similitudinem calidum & siccũ ostẽdere, vt qui exquisitum Bituminis gradum proprio postea declarauit loco. His tamen obstant Galeni verba eo loci hunc in modum prolata: Vis plantæ est calida & sicca, vt bituminis, cui odore est similis, vtrinque tertio ordine: quorum verborum sensus, si attentiùs considerentur, absolutus est & vniuersalis, nulla se ex parte restringens. Dicamus pro tanto viro à contradictione vindicando, frequens esse apud Medicos, vt, cùm medicamentorum gradus exquisitissimi minimè determinari ad pondus certũ possint, generales ordines sæpissimè vsurpent, ac inter se confundant: ita vt quæ medicamenta secundum ordinem quadantenus excedere, putà in caliditate, probabile est, ea interim tertij ordinis constituant: & quæ à tertio recedunt, in se-

cundo nonnunquam reponant; de qua re innumera qui voluerit habebit exempla. Id Bitumini accidisse persuademur, vt, quia notabilis cuiusdam est caliditatis (calidissimũ enim id Galenus constituit, lib. primo de simpl. med. facult. cap. 16.) secundũ ob id ordinẽ quadantenus excedere verisimile est: & propterea cùm secundi, tum tertij excalefacientium ordinis aliquando constituitur. Porrò non excalefacere tantùm & exiccare Bitumen sciendum est: sed simul quoque adstringere, eodem authore Galeno libro primo de simpl. med. facult. cap. 33. quod ad inueniendũ eius substitutum conducit valde. Nam plura sunt secundi ordinis excalefacientia & exiccantia medicamenta, quæ cùm simul non adstringant, neque etiam commodè illi substituerentur. Non est hoc loco cum eis ineunda concertatio, qui Mumiam Bitumini substituunt Iudaico: quando neque ita manifestum sit quid sit Mumia, neque hoc tempore illam habeamus. Picem eapropter quam aridam Dioscorides appellat lib. primo cap. 81. quippe quæ cùm Bitumine communes ferè habeat vires, ei substituendam esse dicimus. Hæc nil aliud est, si eundem audire par est eodem loco, quàm liquida Pix decocta, cui excalefacientem simúlque exiccantem in secundo ordine facultatem & ipse & Galenus lib. 8. de simpl. med. facult. cap. de Pice tribuerunt. Resistit ad hæc venenis & adstringit, æquè ac bitumen: nã & vulnerariis medicamentis commodè permiscetur. Quin & maximam habent inter se Pix & Bitumen substantiæ similitudinem, eundémque in medicina requirunt apparatum,

paratum. Quare & libri de substitutis medicinis Galeno attributi author, quisquis ille fuerit, Picem Brutiam vel liquidam Bitumini substituit. Nunc ad candida Dauci semina transeamus: quæ licet neque ab Andromacho neque à Galeno particulariùs explicentur: Cretici tamen Dauci semina accipienda esse inde licet colligere, quòd Dioscorides Pliniúsque probatissimum dicant in Creta colligi Daucum, & Damocrates in prima theriaces descriptione Creticũ præcipuè expresserit Daucum, carmine isto:

Addatur semen Dauci Creta genitum.

& hunc secuti sunt Aetius & Actuarius. Huius copia Venetiis hoc tempore adfertur assiduè, in cuius electione non est vt quis se posse decipi vereatur, qui sciat longius esse Dauci semen & angustius fœniculi semine, candicans, lanuginosum, acre, odoratúmque. Aduersatur semẽ huiusmodi, Dioscoride magistro lib.3.c.69. phalangiorũ morsibus, quo potissimũ nomine theriacę illud impositũ fuisse credẽdum est. Elegit autem semen Andromachus, vt radix foliúmque Dauci, quorum cum semine idem est in medicina vsus, excluderentur, tanquam vires, Galeno & Dioscoride magistris, habeãt infirmiores. Succedit ex ordine succus Panacis, ὀπῦ πάνακος scripsit Senior Andromachus, medicamentum sanè ab omnibus hoc tempore cognitũ. Quoniam autem solũ succum expostulauit Andromachus, vnum propterea Heracleum ex vsu nunc esse constat. Nam ex eo solo succum in vsum medicum exprimi debere iusserunt Dioscorides & Galenus. Huius notæ opti-

mæ traditæ sunt, vt intus album sit, vel etiam ad rubeum quadantenus declinans, extrinsecus pallidum croci imitatione, leue, pingue, friabile, tenerum, amarum valde, grauem odorem habens, & statim in aqua liquescens: quæ Dioscoridis doctrina fuit lib.3.cap.48. Adulteratur quidem Ammoniaco aut cera: sed sinceri exploratio erit, inquit Dioscorides, si digitis in aqua friatum resoluatur & lactescat. Cōtra morsus canū in rabiē furētium, & animalia venenū eiaculātia vim habere cùm statuerit Dioscorides: cur huius Antidoti cōpositionē ingrediatur, manifesta est causa. Penultimū locū obtinuit Centaurium, cuius quidē essentia, vt omnibus notissima, nullā habet difficultatem. De eo tamen duo in dubium verti animaduertimus. Primum, quænam ex duabus eius speciebus maiore scilicet & minore sit eligenda: alterum, quæ pars eius sit accipienda. Minus Centaurium, & huius caulem extremū cū foliis & floribus nec non & semine prægnantem collectū ac optimè in fasciculos siccatū accipiendum nobis quoidam affirmasse legimus suæ affirmationis adducta ratione, quòd Galenus in lib. de ther. ad Pison. Iuniorque Andromachus tenue Centaurium præcisè expresserint; cuius radices in medicina cùm sint inutiles, folia ob id, flores, fructus & semina simul colligenda esse existimarunt. Quibus quidem in eo imprimis assentimur, quòd tenue potiùs sit accipiendum Centaurium, quando Iuniori Andromacho & Galeno consenserunt pariter Aetius, Actuarius, Myrepsus, Auicenna, Serapio, & qui lib. de vsu ther. ad Pamphil. scripsit.

psit. Sed in huius eligenda parte aliqua apud nos extat difficultas. Quid enim authori lib. primi de Antid. aliquarum herbarum theriacam ingredientium flores, folia, semináque simul accipienti dicendum sit, aliàs non semel diximus. At Aetius Andromachi theriacam ex professo describens, loco sæpe adducto, solam minoris Centaurij comam postulauit. Síque Dioscoridem de minoris Centaurij facultatibus differentem attentiùs quis considerauerit, eum plures illius foliis tribuisse vires intelliget: pauciores succo modum in quendam extracto: paucioréſque adhuc radicibus. Quin & Galenus lib. 7. de simpl. med. facult. cap. 7. hæc ad verbum scripsit: Centaurij minoris radix planè inefficax est, sed caules eius extremi & potiùs folia quæ illis inhærent, & flores, vtilissima sunt: quibus quidem verbis plus eum tribuisse foliis constat manifestò. Eius deinde vires singillatim eodem loco enumerans, folius herbæ eiúsque decocti & succi meminit, nulla florum aut seminis facta commemoratione. Quapropter ea vna huius herbæ parte selecta, quæ potissima est & maiores habet vires, eam confusionem sine dubio euitabimus, quam floribus & semine vnà acceptis exoriri aliàs dicebamus. Scio dixisse Dioscoridem colligendam esse hanc herbam semine prægnantem: sed ad eius succum pro quibusdam parandis medicamentis extrahendum id Dioscoridem statuisse certum est. Cæterùm, vt non recens Centaurium esse voluit Damocrates in prima theriaces descriptione, ita illud idem Creticum esse debere constituit: cuius eiusdem sen-

tentiæ fuere Aetius & Actuarius. Et rectè sanè hæc omnia, quoniam vbi recens fuerit herba, triturationi ineptæ prorsus erit, neque compositioni idonea. Creticas verò herbas pleraſque in Italia naſci easdem, & alibi enaſcentes virtute ſuperare iam ſæpius audiuimus ex Galeno. Venit tãdem positum vltimo loco Galbanum, de quo nulla omnino inter antiquos vel recentiores Medicos extat controuerſia, omnibus ſcilicet in id cum Dioſcoride lib.3. cap.81. conuenientibus, vt ſuccus ſit naſcentis in Syria ferulę. Optimum eſt grumoſum, merum, thuris effigiem præbens, pingue, minimè lignoſum, retinens nonnihil adiecti ſeminis & ferulæ, graui odore, neque valde humidum, neque valde aridum: quibus notis id quoque ab aliquibus adiici videre eſt, vt quemadmodum Sagapeni præſtantiam ex facili diſſolutione comprobamus, econtra ex eadem difficili optimum comprobetur Galbanum: conſtante Sagapeno aquea ſubſtantia, Galbano verò tenaci & oleaginoſa. Inter alias huius medicamenti vires eam quoque Dioſcorides enumerat, quòd venenis aduerſetur: quo vel vno nomine in eius Antidoti compoſitione partes habere debuit, quæ ad omnia euincenda venena, inuenta fuit. Et hanc ingredientia medicamenta quæ & quot ſint & cuius ponderis, iam explicauimus. Hæc quoniam modo dicendo parata melle excipienda eſſe iuſſit Andromachus, & poſt eum reliqui omnes, ad eius propterea ſpeculationem deueniendum eſt, eius imprimis quo vtamur genere patefacto (ſunt enim plura eius

genera)

genera :) deindè num eo crudo coctóve potius vtendum nobis sit declarantes, & in qua quantitate. Ecquis quæso est qui has mellis speculationes existimet inanes, qui Antidoti huius nobilitatem qualis sit sciat, qui obseruatam ab antiquis Medicis in huius compositione diligentiam nouerit? Vulgata sanè est libri primi de Antidot. authoris historia cap. 2. descripta, theriaces ob eam causam damnatæ, quia mel Rhodium, & illud quidem plurimum coctum, ac diutius expumatum contineret: cuius occasione non modò gustu, sed etiam odore vinum redolebat. Accedat quoque consistentiam theriacæ ipsi dare mel ipsum, eámque potissimùm conseruare: quò vel solo nomine nulla in eo eligendo superflua dici possit diligentia. Nos itaque in eo non erimus diligentes aut etiam curiosi, vt integrum de melle tractatum habere velimus: hoc siquidem iam plerique fecerunt. Minùs boni mellis notas hic adscribemus: quas M. Oddum Medicum illustrem cum suis sociis & Marantam, in his quæ de theriaces compositione scripserunt, probè in vnum collegisse cuique videre licet. Ea tantùm attingere statuimus, quæ vel maiore quadam egere declaratione nobis visa sunt: vel aliquid difficultatis adhuc præ se ferunt. Quare quo mellis genere vtendũ nobis hoc tempore sit, quoniã Attico ab omnibus singulísque antiquis Medicis hunc in vsum laudato caremus, inquiremus priùs. Illud deindè recénsne esse debeat, an potiùs antiquum explicabimus: coctúmne an crudum esse conueniat, & in qua quantitate, pa-

riter docebimus. Itaque cùm non alia de causa Atticum mel præcipuè laudauerint antiqui Medici pro theriaca componenda, nisi propterea quòd ex Thymo ipso Apes illud in ea regione colligunt: Mel ideò illud Attico substitui commodè posse dicendum est, quod in loco eadem herba referto colligitur. Hac de causa qui primum librum de Antidot. scripsit in cap. 4. Attico melle deficiente, Hymettium, Thasiúmve substitui posse existimauit. His adhuc deficientibus, è Cycladibus aduectum mel, vel Istmiacum vel Tabreum ex vsu futurum dixit. Quin & in aliis regionibus mel optimum confici ibidem admonuit, in Asia scilicet, in colle quodam inter Pergamum & Eleam vrbem maritimam porrecto, in quo scatet Thymus, & in Mysia in tractu quem Britum nominant, vbi monticulus quidam est non magnus, saxosus totus, Thymo & Origano plenus: ad cuius radices cytiso quamplurimo agri abundant. Quòd si Asiatica hæc mella optima dicenda ea de causa sunt, quia in locis Thymo & cytiso refertis collecta Atticis sunt maximè similia: profectò etiam quæ in multis aliis regionibus nascuntur in quibus eiusmodi quoque herbæ abundant, erunt in eodem præstantiæ ordine reponenda. Proinde in Apulia, vbi tanta Thymi copia viget, quæ igni quoque alendo communiter est in vsu, idem mellis genus colligi negari haud potest. In Manfredoniæ quoque tractu, non multùm à Neapoli distante, propè montem Garganum

dictum,

dictum, & in Tarento, locis pariter Thymo abundantibus. Hac de causa nihili quoldam fecisse videre est, siue ex hac, siue ex illa regione ortum ducat mel theriacæ imponendum. Nos verò talia proferre minimè auderemus: id vnum ratum habentes, thymi tantùm ex cytisi causa eam præstantiam assumere mella ipsa. Dicimus igitur regionem ipsam parurpendendam, dummodo in ea parte collectum mel sit, quæ dictis herbis abundet. Illud porrò adiici quoque posse ratio suadet, vt quoniam siccitate & caliditate præditæ sunt herbæ recitatæ: ex aliis ideò herbis eadem facultate præditis collectum mel in hunc vsum probari debere, quales sunt, Rosmarinum, flores citri, & alia id genus: quod manifestè Galenus docuit lib. 3. de alim. fac. cap. 39. Hac de causa Hispanum mel, tanquam in regione calida & sicca, herbísque eisdem facultatibus præditis abundante, ab omnibus hoc tempore commendatur. Qua eadē ratione in multis Alpium montibus, in quibus herbæ eiusmodi vigent, collecta mella commendare par est. Non est igitur quòd in paranda theriaca quis de melle dubitet, quia Attico careat. Quòd ad eius ætatem attinet, solus Damocrates in prima theriaces descriptione recens esse debere mel statuit hoc carmine:

Mellis recentis Attici libras decem.

quod idem statuisse visus est libri primi de Antidot. author. Alij verò omnes ac singuli nullam penitus ætatis mellis fecere mentionē. Tantæ

tamen hac in re authoritatis est Damocrates, vt non debuerit difficultas vllo pacto dissimulari: atque eo magis, quia multa existat in melle suæ ætatis ratione diuersitas. Libri propterea primi de Antidot. scriptor in cap. 4. bimum mel pro theriaca componenda eligebat: tanquam recentiore & magis antiquo præstantius. Sanè verò quòd præ vetustate amarum mel euadat, & quàm par sit acrius, tam sæpe Galenus enuntiauit, vt nulli non sit res manifesta. Qua de re in eo medicamento, cuius amaritudinis causa dulce vinum imponendum esse Galenus statuit, tale mel inutile esse dicendum est, quod idem sensit, vt proximè audiuimus, libri primi de Antidot. scriptor. Sed qua ratione recens damnandum sit, & bimum eligendum, aliqua, vt opinor, eget declaratione. Itaque mel sua natura excrementosum esse Galenus affirmauit, libro septimo method. med. eiusdem numeri capite: propter quod etiam illud despumari diligenter debere ibidem voluit. Est illud idem viscosum & lentum, eodem authore, cùm lib. 2. de simpl. med. facult. cap. 20. tum libro de Ptissana cap. 5. Quare in recente melle plus aqueæ humiditatis cùm existat, vt in omnibus quæ recentis ortum ducunt: in eodem quoque plus excrementi, indéque viscosum magis & lentum & flatuosum illud esse colligitur: procedente tempore exiccata quadantenus ea humiditate superflua & multa purius euadit mel & sincerum magis, quod quia multis annis perseuerare minimè potest, quin amarum euadat, vt audiuimus, calore

eius

eius ſcilicet dulces partes in amaritudinem vertente: duorum propterea annorum ſpatium illi conſtitutum fuit: quod quidem ſtrictè adeò accipiendum non eſt, quin & trimum ex vſu eſſe queat. Sed in eum ſenſum id accipiendum eſt, vt nullum mel theriacæ imponatur, quod ſaltem bimũ non ſit. Damocratem autem recens mel poſtulaſſe dicimus, vt antiquũ excluderet, neq; propterea id quod nouiſſimè factum ſit intellexiſſe. Hoc ſi veris tepore collectũ fuerit, quo floribꝰ in ſuo vigore exiſtẽtibus apes veſcũtur: illud maiori cõmendatione dignum eſſe dicimus. Quærat autem fortaſſe quispiam: ſi præ vetuſtate amarum mel euadit, quomodo eſſe poterit, vt tot annorum ſpacio conſeruetur ſine amaritudine theriaca? Dicendum eſt multa in theriaces compoſitione eiuſmodi vitium arcere, & mel à labe præſeruare, quemadmodum & multa alia ſua natura mutabilia propter tot rerum mixtionem conſeruantur & præſeruantur. Quantitas eius nunc ad examen veniat, quæ etiam multis negotium fecit non paruum, eam maximè ob cauſam, quòd antiquorum alij indeterminatam eam reliquerint: alij eam determinauerint, variè tamen. Senior Andromachus, cui omnia in theriaces compoſitione videntur referenda, nullam particularem determinauit mellis quantitatem: eúmque ſecuti ſunt, Damocrates in ſecunda deſcriptione: Auicenna in tertia: & Actuarius. Alij omnes determinatam quandam conſtituerunt quantitatem, ſed diuerſam. Iunior Andromachus drachmas centum ſexaginta nouem.

Damocrates in prima deſcriptione, Galenus in lib. de ther. ad Piſon. qui librum de vſu theriacæ ad Pamphil. ſcripſit: Paulus Auicenna in prima deſcriptione, itemque Serapio, põdus huiuſmodi librarum decem eſſe cõſtituerunt. Nicolaus Myrepſus libris ſex: Auicenna in ſecunda deſcriptione duplũ ponderis aliarũ medicinarũ mel æquare voluit. Eſt itaq; hunc in modũ inter antiquos Medicos de mellis quãtitate conſtituta controuerſia manifeſta. Pro qua dirimẽda multa & quidẽ diligenter ſcripſere nõnulli, quorũ placita ad verbũ proſequi præſentis noſtri nõ eſt inſtituti, vt qui ob eã cauſam variè adeò antiquos locutos fuiſſe de hac mellis quãtitate credimus: quoniã ad cõſiſtentiam cõpoſitioni tribuendã, ad eandem conſeruandam, & ad medicamenta omnia ſimul probè vnienda impoſitũ theriacæ mel fuiſſe ſcimus. At horũ medicamẽtorum quæ his de cauſis in vſum veniunt, haud ſtrictè adeò decernitur quantitas, quemadmodũ & de vino dicebamus, quin ea multis de cauſis poſſit paulo minùs plúſve augeri & diminui. Confirmat hanc noſtram aſſertionem vel maximè Aetius, qui dixit: Mellis libras decem, aut quod ſatis ſit: Galenus item in lib. de ther. ad Piſon. cap. 14. ſic locutus eſt: Poſtea cùm liquidis ſicca admiſcueris, mellis quàtum ſatis eſſe videatur infundes: ſatis autem eſſe videntur libræ decem. Confirmant hoc idem innumera ferè compoſita medicamenta, recitatis de cauſis mel recipientia, nulla eius ſeruata ponderis quantitate determinata. Adde quòd ſi theriacæ temporis proceſſu nimiũ exiccatæ mel adhuc adiici poteſt,

vt re-

vt reformetur eius consistentia, iam non est vt de mellis quantitate adeò simus solliciti. Audiamus Damocratem in prima theriaces descripsione sic canentem:

Trades bibendam Antidotum, nec protinus,
Nec mora quam siccauerit prolixitas:
Id si contingat, isto corriges modo
Infunde mellis quod sat, quódq. deferbuit.

Erit igitur ea accipienda mellis quantitas, quæ ad decentem theriacæ consistentiam sufficere videbitur: neq. tamẽ antiqui medici inter se contrarij hac in re fuere. Melle autem eade causa vsos fuisse illos ad tribuendam theriacæ consistentiam, & illam conseruandam, credimus, quia id aduersus venena multis modis valeat, vt censuit Dioscorides loco proximè dicto: quo vel solo argumento persuaderi quisque debet & fateri, melli sáccharum nulla ratione posse substitui, quicquid hac de re scripserit Maranta lib. primo cap. 31. Quod reliquum est, coctumne an crudum hoc in opere mel esse debeat, consideremus: qua etiam in re, difficultatis aliquid & cõtrouersiæ inter antiquos medicos esse videtur. Andromachus Senior nulla coctionis cruditatísue facta cõmemoratione mel enunciauit, quod & fecere Iunior Andromachus, & Myrepsus: At libri primi de Antid. scriptor & Actuarius in Resinæ, Styracis, & Galbani colliquatione melle vtũtur crudo, eodem postea moderatè cocto in mixtione medicamentorum vniuersali. Nicolaus Præpositus lib. 2. particul. 19. nõ esse id concoquendũ, sed tãtùm igni admouendũ quousque eleuauerit spumam, & tunc illico co-

lãdū dixit, aliter non sufficere libras eius decem. Alij omnes ad vinum despumato coctóq. melle indifferenter vsi sunt. Damocrates in prima descriptione sic cecinit:

Mel rigans adde bis ter quod deferbuit:

& in secunda, hunc in modum:

Pastis superent, spumati deniq. mellis
Et vini, quantum satis est, infunde falerni.

Aetius clariùs locutus est, qui dixit: Et mellis Attici despumati libras decem, aut quod satis est. At si hanc mellis quantitatem excedere nullo pacto aliquem posse dixerit quispiã, totum mel coctũ esse debere videtur ex Aetio dicendum. Clariùs adhuc locutus est Paulus, qui totũ mel iussit despumãdum. Sic & Haly & Serapio locuti sunt. Sed Galenũ audiamus in libro de ther. ad Pison. cap. 14. hunc in modum loquentẽ: satis autem videtur libræ decem mellis conueniẽter decocti, sicuti authorũ literæ præcipiũt, quò si quid inest flatuosũ aut cereum feruendo seponatur. Cur itaq. totum mel cõcoquendum sit & despumandũ, causam dedit Galenus manifestam, & hanc eandem de quacunq. re melle dissoluenda valere certũ est. An nõ forte Galbanum, Styracem & Resinã melle crudo, quod flatuosũ est & excrementosũ, dissoluere & colliquare rectum erit? Ad eãdem enim mellis flatuositatem & excrementosam qualitatem magis euitandam, eò non recenti, sed saltem bimo vtendum esse proximè didicimus. Neque illi audiendi sunt, qui propter mellis coctionem eius deinde quantitatem quadantenus minui debere volunt, quia eius iam cocti pondus omne determinasse

minasse Galenum audiuimus. Quod eo firmiùs affirmamus, quoniam, mel ipsũ in coctione quartam partem amittere Galenus admonuerit, lib. 4. de tuen. valet. cap. 6. quapropter si ante coctionem ponderaretur mel, ad paucam certè quantitatem reduceretur. Non multi autem id facimus, cùm ad libitum sit hæc mellis quantitas, quod quidem totum debere priùs concoqui intelleximus. Esto autem eius concoquendi modus, huiusmodi: In duplici in primis vase facienda hæc coctio est, vt Galenus iussit lib. 7. de comp. med. sec. loc. cap. 2. Non quolibet deinde ignis genere vtendum est, sed, vt ille idem docet cùm lib. 4. de tuen. valet. cap. 5. tum lib. 7. meth: med: cap. 7. è carbonibus excitato, aut lignis omnino aridis, quæ Græci ἄκαπνα dicunt, vel etiam super prunas ex quercu vitéue ad summum candentes. Atq. vt curiosè est id despumandum, eodem magistro lib. 4. de tuen. val. loco dicto, ita etiam nimium coquẽdum non est: vtriusq. terminus ex ipsius mellis bonitate ac præstantia præfinietur. Malum enim mel, vt eodem loco Galenus asserit, multam egerit spumam, diutiúsq. ideò concoqui postulat: optimum verò breuissimo tempore coquitur, & minimum spumæ emittit. Hoc tanti referre sentio, vt si diutius coquatur mel ac par sit, amarissimũ illud euadere scripserit Galenus lib. 4. de simpl. med. facult. cap. 17. túncq. totã theriaces compositionem vitiari necesse sit. Et quod dixit Damocrates bis térq. mel deferbuisse oportere, id in eum sensũ accipimus, scilicet quòd nõ sufficiat semel despumasse mel, sed bis térue: quod quidem dum

moderatè coquitur,communiter obſeruatur. De melle itaque ac ſingulis medicamentis theriacam ingredientibus dictum cùm ſit, ad illius componendę modum explicandum vt deueniamus tempus eſt.

DE THERIACAE COMPONENDÆ MODO.

Caput Undecimum.

PRofectò in explicãdo theriaces componendæ modo eò diligentiores nos eſſe conuenit:quò maioris res hęc eſt momenti. Si enim ex plurium commixtione medicamentorum, virtutéque eorum particulari exuta, particularis quædam forma reſultat:quæ tertia facultas eſt, vt non ſemel teſtatus eſt Galenus:equidem in miſcendis ſimúlque componendis medicamentis maxima vti cõuenit diligentia. Etenim vel quid minimum hac in re prætermiſſum totam compoſitionis ſymmetriam vitiare poſſe quis neſcit?Mirari ideò ſubit de re huiuſmodi perfunctoriè adcò loquutos fuiſſe Andromachum & Damocratem. Porrò quæ in huius Antidoti compoſitione præcipuam diligentiam requirũt,tria ſunt. Quorum primum ad ea pertinet quæ ante ipſam medicamentorum mixtionem ſunt facienda. Secundum id ſpectat, quod ipſius mixtionis & compoſitionis tempore obſeruandum eſt. Tertium ea cõſiderat,quę poſt ipſam mixtionem,pro ipſius Antidoti perfectione & conſeruatione neceſſaria ſunt. Quæ ante

ipſam

ipſam mixtionem facienda ſint, ipſius mixtionis finis oſtendit. Cùm enim ſic miſceantur medicamenta plurima, vt cuiuſque virtute ſibi inuicem communicata concentus fiat quidam, qui tertiam quandam conſtituat formam: clarum vtique eſt eum in modum paranda eſſe medicamenta, vt ad id vel maximè apta euadant. Euadent autem ſi ad minima ea comminuantur, ita vt facillimè inuicem miſceri poſſint, naturaliſque cuiuſdam mixtionis modum æmulentur. Quare cùm ex medicamentis theriacam ingredientibus alia arida ſint & dura, alia ſolida quidem, ſed viſcidioris cuiuſdam & humidioris ſubſtantiæ: hæc ideò diſſoluere & læuigare: illa conterere & comminuere neceſſe eſt. Quæ igitur contundenda & comminuenda ſint: quæ item diſſoluenda & læuiganda, primo quoque loco declarare expedit. Quæ humida ſunt, vt liquores & lachrymæ, ea diſſoluenda eſſe: quæ ſicca & arida, contundi debere iuſſerunt ſenior Andromachus & Galenus: hic lib. de ther. ad Piſon. ſoluta oratione, ille verò hiſce carminibus:

Antiquo primùm ſolues tamen omnia vino
Humida quæ fuerint, vt liquor & lachrymæ.
Tum quæ ſicca vides poſtquam cõtuſa minutim,
Cecropio pariter iungere melle velis.

Idem iuſſiſſe Damocratem videre eſt in prima theriaces deſcriptione hunc in modum:

Mero diſſolue lachrymas, ſuccos, atque
Metalla, donec mellis acquirant modum.
Immitte quæ ſuperſunt ſicca omnia
Contuſa, denſoque tranſmiſſa cribro.

Hæc quidem vera sunt omnia ab omnibus theriacam quomodocunque componentibus plenè obseruanda. Videntur nobis tamen nimis vniuersalia & ferè obscura: quæ nisi particulariùs declarentur, multis modis componentem artificem errare posse verendum est. Hac de causa, arbitror, Aetius & qui primum librum de Antid. scripsit rem hanc explicitè magis declararunt, quæ contundenda, & quæ læuiganda sint particulariùs docentes. In cap. igitur dicti libri 15. Scordium, Nepitam, Marrubium, Stœchadem, Dictamnũ, Polium, Chamædrym, Chamæpitym, Hypericum, Centaurium, Gingiber, Iridem, Rheum, Quinquefolium, Costum, Nardum vtrunque, Gentianam, Meum, Phu, Aristolochiam, Napi semina, Petroselini, Thlaspeos, Ammeos, Anethi, Fœniculi, Dauci, Cardamomíque: Scilliticos, Vipereos, Hedychroosque pastillos, Piper nigrum & longum, (addamus nos & album) Rosas, Agaricum, Crocum si siccus fuerit, terram Lemniam, Chalcitim vstam, Amomũ, Cinnamomum, Cassiam, Balsami fructum, Acaciam si humida non fuerit, Castorium & Asphaltum contundi debere iussit. Et hæc quidem neque omnia simul, neque in quolibet vase voluit cõtundi. Etenim sola mortaria Aegyptia huic vsui apta ob id iudicauit, quia durissima cùm sint & solida, ne pars eorum aliqua inter contundendum abrumpatur & medicamentis misceatur, minimè verendum existimauit. Huiusmodi verò mortaria esse ea quæ ex Porphyrite marmore conficiuntur omnibus quidem notum est: sed à Patauinis Medicis serm. 3. cap. 14. optimè

ptimè demonſtratum. Porrò eadem miniméque diſſimili ratione piſtilla pro contuſione facienda ex duriſſima pariter & ſolida materia eſſe neceſſe eſt, ferrea putà vel lignea. Quæ lignea ſunt, ſicca ea vt ſint oportet: ne ſi fuerint humida, humoris eorum quidpiam in contuſione medicamentis communicetur. At ferrea, rubigine eadem ratione carere neceſſe eſt. Inter ligna duriora ſolidioráque Nucis, Querna & Buxea primum locum antiquitus obtinuerunt. Nos hoc tempore & durum & apprimè ſolidum habemus lignum Guaiacum, quod in furno priùs probè exiccatum omni interno humore priuabitur, túncque amaroris alicuius relicti periculum nullum erit. Cæterũ ſeorſum ab aliis cõtundenda eſſe iuſſit Thlaſpeos & Napi ſemina, quia cùm ob eorum tenacitatem pilæ concauitati adhæreant, vnà cum aliis ſi cõtunderentur, magno eſſent ipſi triturationi impedimento. Melius itaque eſſe duxit, ſola hæc in alio mortario priùs attrita vino ſuperinfuſo macerare, quoad exactè diſſoluãtur, diſſolutáque poſtmodum cæteris quæ vino peculiariter macerantur & diſſoluuntur admiſcere. Hæc primi libri de Antid. author de iis ſcripſit quæ contundi debere iudicauit. Aetius verò Tetrab. 4. ſerm. primo cap. 92. in eo quidem cum dicto authore conuenit, vt eadem omnia & ſingula quæ ille enumerauit cõtundi debeant: ſed Caſſiam, Cinnamomum, Crocum, terram Lemniam, Aſphaltum ſeu Bitumen, per ſe ſingula cõteri voluit: hoc quidem adiecto, vt cum vino conteratur Crocum, cui ſtatim admiſceantur Caſſia & Cinnamomum. Lemniam

pariter terram cum vino teri voluit, Asphaltúmque seu Bitumen, vbi tritum fuerit & dissolutum, statim cum croco & Cassiá iussit misceri, omniáque simul aliquandiu teri. Ex quo quidem illud vel manifestè apparere certum est, non aliam inter Aetium & dictum authorem inesse in his quæ contundenda sunt differentiam: nisi quòd plura seorsum & cum modico vini voluit Aetius esse contundenda. Id autem tanti non facimus, vt propterea diuersum esse dicamus vtriusque horum medicamentorum apparatum. Neque nos moueat quòd ad Crocum Lemniámque terram conterendam vino vtatur Aetius: ille verò ad solam succorũ macerationem vinum accipiat: quoniam tanta non vtitur eo in opere Aetius vini copia, vt eorũ medicamentorum viníve in tota compositione necessariò quãtitas augeri dicenda sit. Cum modico, inquit Aetius, vino, ad prohibendam scilicet eorum medicamentorũ in tenuissimas partes redactorum deperditionem aliquam, ita vt ea vino irroranda tantùm esse voluisse illum dicendum sit. Neque aliter eum intelligi debere ratiò suadet: secus non possent ea multo vino mixta teri: quòd vinum, si etiam de ea quantitate sumatur quæ pro tota compositione parata est, cùm modicum adeò sit, non propterea ad reliqua minùs sufficiens euadet: atque eò magis quòd vt proximè intelligemus indeterminatam reliquerunt ex antiquis Medicis nonnulli vini quantitatem. Cæterùm in contundendis hisce medicamentis quò minor eorum quantitas euolet & deperdatur, Critonis ingenium in cap.18. primi libri de

de Antid. descriptum obseruari debere omnes existimant: Mortario scilicet strictè obligandam pellem esse, atque ita in medio perforatam, vt per id foramen non modò rutabulum imponere possis, sed etiam eo sublato manum quoque & cochlear immittere: quò contusa quæ cribranda sunt per id eximi queant. Rursus quoque alia pelle, quæ angustius paulò foramen habeat, iussit priorem cooperiendam, vt per ipsum sola tudicula demitti posit ad contundendum ea quæ in mortario fuerint. Nec priùs hanc adimendam esse pellem voluit, quàm excitatus inter contundēdum puluisculus subsideat. Nostri Pharmacopœi ligno solido affabrè facto, mortarium dictũ in modum cooperiente, successu fœlici vti consueuerunt. Triturationis siue contusionis finis is esse debet, vt in tenuissimum, quoad fieri poterit, reducantur medicamenta pulуerem, vt maior eorum inter se vnio fieri possit. Quapropter & Galenus lib. de ther. ad Pison. cap. 14. eousque contundenda iussit medicamenta, quousque per incerniculum deduci possint, angustis quantum fieri potest foraminibus. Habent nostri artifices hoc tempore instrumenta quædam setacea dicta ad id quidem aptissima. Sed & id ea animaduersione faciendum esse Crito docuit, vt desuper sit contegendum incerniculum siue cribrum, siue setaceum quo vtimur, nec priùs id aperiendum, quàm illud mouere pridem desiuerimus, déque sublato cribro quicquid inhæsit penna deduxerimus: idque ne fortè per aliquam deperditionem medicamenti quantitas imminuatur. Huic autem de-

perditioni, grauiori contundendorum medicamentorum quadãtenus pondere, obuios nos esse posse certum est: quicquid aliqui subtiliùs hac in re philosophentur. Neque verò multi facimus contundendorum medicamentorum quædam plus minúsve aliis contusioni resistere, celeriùs tardiúsve contundi: quandoquidem in vno eodémque vase diligenter cooperto simul contusa suas vires hunc in modum seruare verisimile est: vt ab vno iam probè contrito medicamento separata per vlteriorem contusionem virtus alteri non adhuc probè contrito communicetur. Síque res hęc attentiùs paulò consideretur, maior dubio procul fieret virtutis medicamenti deperditio; si seorsim vnumquodque contunderetur, quod fortè in causa fuit, vt multa adeò simul contundi, & triturari iússerint antiqui Medici. Id autem Marantæ causa dictum volumus, qui lib. primi cap. 14. circa Aetij præparationem paucis ab hinc recitatam subtilis adeò in disputando fuit. Et hæc quidem de his quæ triturationem postulant medicamentis hunc in modum se habent. Macerandа verò & cum humore aliquo dissoluenda siue læuiganda medicamenta hæc iussit libri primi de Antid. author eodem dicto loco: nempe Myrrhã, Crocum vbi humidus fuerit, Hypocistidis item & Radicis dulcis succos, Thùs & Gummi. Sed & horum quędam seorsum voluit dissolui, Thus videlicet & Gummi. Thus, inquit, per se solum in mortario leuiter comminuere satius est, ne in placentam coeat: tùm vbi comminueris & excusseris, promptum habere, quò reliquis vino maceratis

ratis,cùm placuerit,ipsum inspergas. Is cum subiunxerit: Nam & Gummi & vino macerare,& ipsum per se vel cũ thure læuigare necesse est:eandem eius seorsim læuigandi esse cũ thure causam manifestè indicauit. Styracem quoque & Galbanum & Terebinthinã Resinam per se quoque dissolui iussit: hæc quidem mixtionis tempore ipso in vase duplici colliquata: illis verò pistillis rutabulísve ferreis priùs cõfractis mellis paulum quid instillato. Ab huius sententia quis est qui Aetium dissentientem faciat: si succulẽta omnia, Acaciam inquam, Myrrham, Opium, Thus, Hypocisthidis succũ, Glycyrrhizam, Opoponacem, Sagapenũ, Galbanũ & Gummi, confracta in conuenienti vini mensura, vna die ante mixtionem voluit maceranda? Styracem verò in pilam magnã & amplam coniectũ, cum opobalsamo terendum? ita vt hinc quoque mirari debeamus, tantã ab aliquibus inter Aetium & dictũ authorẽ in hac præparatione cõstitutam fuisse differentiam. Quoniam autem huiusmodi succulentorũ macerationem in vino fieri debere omnes statuerũt, nullo inter eos penitus existente discrimine, duo propterea quæri hoc loco solent: quódnam imprimis vini genus ex vsu futurum sit: quæ deinde eiusdem sit accipienda quantitas. Neque enim credendum est solum vinum in hac insigni cõpositione ad libitum posse eligi. Quòd ad vini genus attinet, id iam à nobis de trochiscis Hedychroi differentibus abundè satis declaratũ est. Sola igitur eius quãtitas remanet determinanda. Senior Andromachus, Galenus in lib. de ther. ad Pis. lib. 1. de Antid. author, Auicẽnã,

Haly & Serapio indeterminatè omnino locuti sunt,id vnum admonentes, vt vino dissoluātur & macerentur succulenta.Damocrates verò,Aetius & Actuarius indeterminatè quanuis locuti sint & ipsi,adiecerūt tamen in cōpetenti mensura imponendū esse vinū,quantitatis determinationem artificis iudicio relinquentes. Magis ad particularia deuenisse visus est libri de vsu ther. ad Pamphil. author, qui rebus succulentis vini tātum iussit infundendū, vt supernatet, macerationē læuigationémq.eorū medicamentorū sic ratus futuram faciliorem.Sed particulariùs adhuc hanc quantitatē determinarunt,Iunior Andromachus,Magnus referente Galeno lib.de ther.ad Pison.c.12. Paulus & Myrepsus. Hic enim vini sextarium vnum determinauit: Paulus duo: Iunior Andromachus drachmas tercentū & vigintiзita vt cui assentiaris incertū sit. Nullā tamen esse difficultatem huiusmodi nos semper existimauim⁹.Notū enim iampridē nobis est, in medicamentorū cōpositione adeò necessarium minimè esse particularem eorū quātitatem determinare, quæ vel ad cōpositionis cōsistentiam efformandā,vel ad medicamenta ad mixtionē paranda in vsu veniunt. Videas sæpissimè Galenū in libris de comp. med. & Nicolaum Myrepsum,& Nicolaū Alexandrinū, & Mesuem & Auicēnam, aliósque omnes qui de cōponendis scripserūt medicamentis,indeterminatè omnino de his locutos fuisse. Neq. tamen eos damnamus, qui paulò attentiùs re huiusmodi cōsiderata quādam interim determinarūt quantitatem. Minùs ij erroris insimulādi sunt,qui præscriptā ab his quā-

titatem

titatem quomodocunque auxerũt vel imminuerunt. Tantũ vini imponendũ esse dicimus, quantum pro cõuenienti cõpositionis consistentia requiri prudẽs artifex iudicauerit:nã & Galenus,lib. de ther.ad Pison. loco proximè scripto, Magno sextarios vini duos præscribenti quasi cõtrarius, iis potiùs assentitur,qui quantũ satis esse videatur imponunt.Cæterũ non alia via peculiarem quandam vini quantitatẽ hoc in opere aliquos determinasse credimus,quàm obseruatione frequenti. Vnã tamen determinatã quantitatẽ semper ex vsu non esse,medicamẽtorũ cõpositionẽ ingredientium diuersa interim cõditio, cõpositionis tẽpus nonnunquã varium,& alia huiusmodi nobis insinuant.Caniculæ tẽpore,eiúsque maximè exurentibus ardoribus,si cõponatur theriaca,plus humoris necessarium esse,quàm si tempore non admodũ calido cõponatur,notius esse puto quàm vt pluribus debeat demõstrari.Sanè verò non essent nõ dãnandi Senior Andromachus, & alij qui de vini quantitate indeterminatè locuti sunt,si necessaria omnino esset hæc quantitas determinata. Qui si singula adeò quæq.alia diligẽter & in determinata quãtitate præscripserũt, tãti momenti rem minimè sicco pede & oscitãter præteriissent. Rectè igitur omnes locuti sunt, neq.vlla inter eos extat cõtrouersia. Nũc ad ea quæ mixtionis tẽpore obseruanda sunt vt accedamus tẽpus est. Quoniam igitur in vase aliquo mixtionẽ hanc fieri necesse prorsus est, propterea de eo priùs determinãdum est, qua nimirum ex materia illud esse conueniat: quã formã habere, quantúmq.capax esse debeat.

Nullus, arbitror, mirabitur, in his quoq. quæ nullius esse videtur momenti tantũ diligentiæ requiri, cui Antidoti nobilitas ac prȩstãtia nota sit. Porrò de vase, in quo reponẽda sit theriaca cùm facta est, aliquid dixerunt Damocrates, Galenus, & alij nõnulli antiqui, vt post modũ intelligemus. De eo tamen in quo facienda est mixtura siue cõpositio quid illi senserint, haud planè manifestũ est. Galenus quidẽ in lib. de ther. ad Pison. cap. 14. & lib. 1. de Antid. author, & qui lib. de vsu ther. ad Pamphil. scripsit, & Nicolaus Myrepsus sect. 22. cap. 5. & Aetius tetrab. 4. serm. 1. cap. 42. in mortario esse faciendã mixtionem, & ab eo in vas aliquod vitreum vel argenteum eã reponi debere dixerunt: atque id mortarium ex Aegyptiis esse debere etsi dixeris intelligendũ, res tamen maiori adhuc declaratione egere videtur: cùm prȩcipuè antiquorũ aliqui è mortario in pilam transferenda esse pro mixtione medicamẽta, in vase deinde aliquo reponi debere cõpositionem dixerint: neque quid sit hæc pila, aut qualis esse debeat vltrò declararũt. Adde multiplicia esse debere, vt audiuimus, recitata mortaria, cùm & multa & diuersa separatim liquefiant & læuigentur: eáque apud nos nõ sint admodum magna, vt vnum ad totam cõpositionem vniendã minimè sufficere posse videatur, cùm tamen omnium simul medicamentorum sit facienda mixtio. Quin etiam cùm ad solem facienda sit frequens eiusdem compositionis contrectatio, difficultas maxima ex vasis Aegyptij grandioris grauitate, in eo sæpius mouendo & remouendo, nasceretur. Nobis itaque rectius visum

est

est semper, vas aliquod pposite fabrefactum habere, quod huic mixtioni inseruiat sufficienter. Eius igitur imprimis esse debet magnitudinis, quę totam mixtionem sic recipiat, vt dum ea fortiùs dimouetur, nihil prorsus è parte superiore possit effluere: eius item figuræ & formæ, quæ & fortem dimotionem & solis radiorũ ingressum minimè impediat, possítque etiam commodè exportari. Sed eius materiei sit, quæ damni nihil ipsi compositioni afferre apta sit. Magnitudo quidem ipsa facilem habet determinationem, si præcipuè iudiciosus fuerit artifex & prudens. Formã ipsam, propter sæpe ac sæpius faciendã totius compositionis dimotionem, latiorem quodammodo esse conueniens est: & ad solis radios probè recipiendos tam supernè quàm infernè talis vt sit oportet. At materia dura adeò requiritur, solida & elegãs, vt humoris ipsius compositionis aliquid recipere, nec sui quidpiam eidem impertiri valeat. Minùs quoque propter eius raritatem aut formæ inæqualitatem rugásve compositionis aliquid retinere debebit. Lignea itaque vasa omnia reiicienda esse vt inutilia existimo, quæ si ex viridi ligno constiterint, soli vrenti sæpius exposita, totáque massa ob validam dimotionem magis excalefacta, interni sui humoris quidpiam ipsi mixturæ communicari necesse est. At è sicco ligno facta si fuerint, eo à Sole magis exiccato, humoris ipsius compositionis aliquid absorbent. A stanneis vasis abstinendum pariter puto, quoniam in insigni hac medicamentorum excalefactione & dimotione suarum virium aliquid non communi-

care impoſſibile eſt. Minùs quoque admittenda ſunt cornea, quæ excalefacta cùm ſunt, tetrum quendam odorem expirare ſolent, id quod omnino euitandum: quanquam etiam impoſſibile eſſe nobis videatur corneum vas efformari poſſe, quod requiſitam hoc in opere habeat magnitudinem. Aurea & argentea vaſa huiuſmodi, in hanc formam & vaſtitatem efformata, quis damnaret? Sed ſoli Reges & Principes huiuſmodi ſumptus ferre poſſunt. Vel igitur è vitro erunt efformanda craſſiore, vel è terra figulina optimè cocta & vitreata. In vaſe itaque iſto medicamentorum generalis mixtio erit facienda: liquidis nimirum ſicca admiſcendo, & mellis quantum ſatis eſſe videatur infundendo: quæ fuit Galeni in libro de theriac. ad Piſon. loco proximè ſcripto ſententia. Cæterùm mixtionis modum hunc preſſiùs declararunt alij. Qui librum de vſu ther. ad Pamphil. ſcripſit ſuccos imprimis omnes probè diſſolutos modico addito melle in vaſe reponendos eſſe iuſſit. Cinnamomum poſtea, Crocum, Caſſiam, Nardum, Thlaſpi, Malabathrum, ſigillum Lemnium, Chalcitin vſtam, Amomum, Bitumen, Caſtorium, ſigillatim quodque cõtuſum & cribratum, voluit, imponendum, vinóque affuſo, ac ſi collyrium faceremus, omnia ſimul commiſcenda eſſe, ſiccíſque omnibus poſtmodũ ſuperadditis, vinum infundendo, commiſcenda omnia atq. in vnũ corpus redigẽda docuit. Verumenimuerò licèt miſcendorum medicamentorum modum paulò planiùs hic nos docuerit: cùm tamen in multis ab Aetio diſſentiat,

&

& multa nimis seorsum triturari & læuigari iubeat,est propterea relinquendus. Libri de Antid. authoris animaduersio ea prima fuit (cui assentiri & Aetius videtur) vt, quò citiùs in vnum coeant simplicia medicamenta,sub sole mixtionem facere præstet. Mixtionis autem initium esse voluit, vt Resinam terbinthinam , Styracem & Galbanũ, modo recitato liquefacta, mellis addita portiuncula in vase vno simul priùs misceantur,eóq. cooperto vt iterum liquefiant permittantur: dúmque.hæc liquefiunt,maceratis ex vino rebus tantum de siccis adiiciendum existimauit & commiscendum,quousque spissa satis esse videantur: quibus à robusto homine simul mixtis,& magno cochleari circumvolutis,mellis partem quandam voluit super immittendam : deinde & contusorũ medicamentorum quidpiam,mox iterum modico melle addito:tandem in vase magno ad id parato reponenda omnia iussit, quicquid pulueris mellísque reliquum est admiscendo, magnáque tudicula commiscendo. Sed hunc mixtionis modum quanquam diligentem,& à multis approbatum,in eo vno deficere animaduertimus , quòd de tempore admiscendæ chalcitidis non meminit author ille,tametsi eius adurendæ modum ibidem ex professo doceat: quapropter mixtionis modus ab Aetio conscriptus,absolutus & in nulla re deficiens,cæteris omnibus est , nostra opinione,anteferendus. Vt autem eius mens intelligatur ab omnibus rectiùs,quæ de trituratione & læuigatione medicamentorum antea ex eodem dicta sunt , summatim hic repetenda existima-

uinius, Cassia & Cinnamomum & Crocum, per se trita, vt dictum est, simúlq. deinde mixta Styraci & succulentis omnibus adiicienda erũt imprimis, omniáque hæc inter se commiscenda & diligenter vnienda. Chalcitin deinde iuxta eiusdem eodem loco traditum modũ vstam adiicito, modicóq. melle addito aliis vnito, adiicito deinde terebinthinã cum modico melle priùs dissolutam. Et hæc omnia eousq. circũducito, quousq. nigrũ acceperint colorẽ. Arida postmodũ omnia contusa & cribrata adiicito, & mellis quod reliquum est paulatim admisceto, omniáq. magno pistillo quàm diligentissimè vnito. Atq. hic modus non ca tantùm ratione cæteris omnib⁹ nobis videtur anteponẽdus, quia nihil prætermissũ in eo sit, sed quoniam etiam maiorẽ mixtionis ordinẽ dubio procul continet. Quod autẽ adhuc admonẽdum duximus, illud est: Ad hãc optimè faciendã mixtionem multos & illos quidẽ peritos ac diligentes requiri artifices, qui sibi ipsis inuicem in hoc opere eodẽ tẽpore auxilietur, de modo mixtionis obseruando priùs optimè edocti. Ad ea nunc veniendum est, quæ post ipsã mixtionem sunt obseruãda. Sũt hæc autẽ in duplici differẽtia, quorũ alia quædã ad perfectiorẽ adhuc medicamentorũ mixtionẽ vnionémq. faciunt, alia ad antidoti conseruationẽ spectant. Prioris ordinis illud primum esse debere libri primi de Antid. authori placuit, vt ferreis rutabulis à rubigine omni quàm diligẽtissimè extersis, & ne subigendarũ rerum tenacitate detineantur, néue difficulter se inde attollentibus resistant, opobalsamo (nos oleum de nuce

nuce myrristica ei substituimus) perunctis, sine intermissione dimoueatur compositio,& contundatur: vtq. simplicia medicamenta in vnum corpus promptiùs coeant, in sole id faciẽdum iussit. Diebus autem quatuor aut quinq. elapsis, rursus in sole idem reiterãdum, singulísq. sex vel septem diebus deinceps repetendum voluit donec menses duo, vel saltem dies quadraginta absoluantur: eo interim obseruato, vt quo tẽpore non dimouetur compositio, probè cõtectum vas seruetur. Quod consilij genus eò magis accipiendum est & approbandum, quòd & Aetius eiusdem fuerit opinionis, in eo tantum diuersus, quod pistillis ligneis ex politissimo ligno.& grauissimo fabrefactis vtendum dixit. Hos secutus est Actuarius, id vltrò admonens, vt ab homine robusto id fiat: quod quidem omnino rationi cõsonum est. Cæterùm si per duos mẽses integros, aut saltẽ spatio dierum quadraginta, singulis septenis diebus, facienda est siue repetẽda in sole dicta dimotio cõpositionis totius, profectò æstate vigente adhuc id faciendum esse cõstat, quia tunc temporis sol probè excalefacit, & diutius apud nos perdurat. Quod igitur hoc eodem nostro sermone aliàs diximus, idem nũc quoq. manifestius fit, æstatis scilicet parte in illa componendam esse theriacam, qua sydus Canis dictũ apparet. Hæc itaq. manifesta quamuis sint & omni ex parte verissima, difficultatem tamen aliquam habent. Etenim opobalsamo inungenda cùm iussit libri primi de Antid. author pistilla siue rutabula, totum opobalsamum hoc in opere insumendum esse voluit,

quæ eadem fuit Actuarij sententia. Sanè verò nō alia de causa id eos admonuisse existimo, nisi ne fortè succus succo adiiciatur, & quantitas eius ab Andromacho constituta & determinata in antidoti damnum augeatur. Mirari autem subit ex aliis antiquis nullum id animaduertisse. Galenus quidem in lib. de ther. ad Pison. cap. 14. medicamentorum mixtionem faciendam iubens, manus & ferramenta liquore Balsami inungi debere admonet: neque quicquam aliud particularius animaduertit. Andromachus vterque, Damocrates, aliique omnes & singuli succos omnes & lachrymas theriaces compositionem ingredientes eliquari debere iubent: eorum tamen nullus opobalsamum totum in recitatum vsum reseruandū esse admonuit. Id autem saltem ij facere tenebantur, qui totum opobalsamum in pistillis, rutabulis, ac vectibus inungendis insumendum esse asseruerunt. Non possent profectò ab oscitantiæ & negligentiæ vitio excusari, quicunque rem hāc prætermiserunt, vbi ponderis aliquid eam habere certum sit. Sed ratione in consilium adducta, fatua omninò sese ostendit animaduersio huiusmodi: quam enim magnitudinem habere debeāt pistilla, siue rutabula, ad hunc vsum necessaria: quot numero ea esse oporteat: quoties & quanto tempore eis vtendum sit, vnusquisque diligenter, quęso, consideret: & determinatam ab Andromacho opobalsami quantitatem minimè sufficere intelliget. An ne fortè ad plura pistilla & illa quidem magna, sæpius longoque tempore in contusionibus & comixtionibus multis in vsum venientia

entia, sole præsertim efferuescente: ad manus item artificis quandoque inungendas, duodecim Opobalsami drachmæ ab Andromacho in compositione theriaces præfinitæ sufficient? Fatuum certè esset id existimare. Quanquam enim in magni adeò momenti compositione singula quæque etiam minima minimè sint spernenda: res tamen eò rigoris minimè deducitur, vt posita priùs in ipsa compositione præfinita huius succi quantitate: inunctis deinde ex eodem pistillis & rutabulis, eius quantitas in Antidoti damnum augeri dicatur. Id, arbitror, ij affirmabunt, qui medicamentorum compositiones aliquando fecerunt, aut componentibus interfuerunt. Adde quoque vasa in quibus reconditur theriaca modico priùs melle esse imbuenda nos doceri, vt audiemus: neque tamen in Antidoti damnũ nimio plus mellis quantitatem augeri suspicatus est aliquis. Dicamus adhæc totum ab Andromacho præfinitum Opobalsamum in recitatum vsum reseruantes, plurimum de illius quantitate deperdere: quod non sine graui Antidoti iactura fieri potest. Hoc sanè sensus ipse ostendit: quia non possint inuncta pistilla sine aliqua compositionis portione eis adherente extrahi, nisi adhuc inuncta extrahantur. Aetium ob id videre est, dum theriaces mixtionẽ docet, Styracem in pilam magnã & amplam coniectum cum Opobalsamo priùs conterere & macerare: quod idem fecit & Nicolaus Myrepsus. Est etiam vt quis animaduertat, reseruatum totum Opobalsamum in pistillorum inunctionem, aliis medicamentis probè, vt conuenit, & ad mi-

nima misceri minimè posse. Neque tamen duorum grauissimorum virorum, Actuarij scilicet & eius qui primum librum de Antidotis scripsit authoritas nos mouet: quando eo tempore in humanis fuerit Actuarius & ea scripserit (conuixit enim Auicennæ, aut saltem post eum immediatè) quo libri ipsi de Antidotis Galeno ipsi sine discrimine tribuebantur. Hoc verò tempore multam eos habere apud plerosque dubitationem, aliàs quoque hoc eodem sermone admonuimus. Nunc ea explicemus, quæ perfecta & absoluta vndique mixtione ad eius conseruationem obseruare decet. Vas imprimis eligendum est coueniens & aptum, in quo sine damno tota compositio recondi possit & adseruari. Esse autẽ debet huiusmodi, quod ipsius Antidoti spiritus & calorem conseruet: ex eáque materia confectum, quæ sui humoris nihil medicamento ipsi impertiatur, minúsque aliquid ab eo eripiat & exugat. Vitrum, argentũ, stãnum, cornu, Testámq; dummodo densa sint, vasi huic aptam esse materiam Damocrates in prima ther. descriptione existimauit, his carminibus:

Repone & serua, vasculis non ligneis,
Sed vitreis, argenteísque & corneis
Et stanneis, & testaceis, densis tamen.

Proximè accessit huic eidem sententiæ libri de vsu theriac. ad Pamphil. scriptor, qui in vase stanneo, argenteóve reponendam esse iussit theriacam, quod & Haly & Serapio sensere. Nicolaus Præpositus loco antea scripto aureum esse debere vas huiusmodi dixit, vel auratum argenteum, vel argentatum stãneum, vel stannatum vitreum,

vel

vel vitreatum marmoreum, vel de alabaſtro bene polito: non de ære, neque de Plumbo: quoniam horum quodlibet veneni naturam continet: non de ferro, ob rubiginem, non de auricalcho quod fit ex ære, nec de cupro quod & ipſum fit ex parte æris, nec de ſtanno quod componitur ex parte plumbi, minùs de ligno, propter ebullitionem. Galenus verò & Paulus rem hanc paulò attentiùs conſiderantes corneis, ſtanneis, ligneis, teſtaceiſque vaſculis minimè fidentes, ſola vitrea comprobarunt & argentea, vtpote quæ dubio procul omni immutatum atque omnino intactum conſeruare ſunt apta medicamentum. Aetium & Myrepſum idem ſenſiſſe dicendum eſt, tametſi vitrea tantùm vaſa propoſuerint, argenteis fortaſſe ob multum pretium dimiſſis. Neque ab his diſcordem facio Auicennam, vitrea ſola & teſtacea vitreata vaſa commendans, quandoquidem ſit, vt omnibus notum eſt, vitreata teſta eiuſdem ſoliditatis, elegantiæ & duritiei vt vitrum. Porrò ex hac materia efformatum ad theriacam continendam vas eius quidem capacitatis eſſe debebit, vt totam compoſitionis doſim continere aptum ſit: ſed & maius quadantenus, quò nec ex toto, vt Galenus, Paulus, Aetiúſque iuſſerunt, nec ad ſummum vſque repleatur: ſed ſpatium remaneat aliquod, quò reſpirare queat compoſitio. Magni certè momenti res hęc eſt, ceu in qua conſeruationis ipſius Antidoti pars maxima conſiſtit. Etenim quòd certo quodã tempore coctionem quãdam ſuſcipiat theriaca (fermentationẽ appellant multi) per quam ſuas perfectè acquirit vires,

Galenus affirmauit in lib. de ther. ad Pison. cap. 14. & Aetius ex eodem exſcripſit tetrab. 4. ſerm. 1. c. 92. ac de eo plura proximè dicturi ſumus. Omnem autem coctionem à calore interno eius rei quæ concoquitur fieri, & in eadem coctione multa expirare exhalaréque fuliginoſa excrementa, caloremque ipſum internum aliqua egere euentatione, quis eſt qui ex Ariſtotele in lib. 4. Meteororum non didicerit? Vt igitur in theriaces coctione exhalarare expiraréque fuliginoſa excrementa queant, poſsítque illius calor euentari, vas propterea vſque ad ſumitatem minimè replendũ eſſe voluerũt viri grauiſſimi. Imò frequenter præcepit Galenus dimouendum operculum, vt magis difflari poſſit theriaca & celerius perfici. Non modico enim, inquit, tempore eget, ſi tantum concoqui debeat, quantum vſus requirit. Cæterùm vt certo quodam tempore vtilis eſt hæc Antidoti difflatio, & frequens vaſis in quo eſt apertio: ita quoque facta & abſoluta coctione, probè contectum & ligatum vas idem adſeruari debere iubet Aetius. Quantum enim cuiuſque rei calori aëris aſſidua & nimia euentatio nocens ſit, neminem latere arbitror. Hanc verò his rebus longè nocentiorem eſſe, quæ calorem quendam continent accidentalem, non eſſentialem & viuificum, vt viuentia animalia, certus ſum. Apertionis autem & occluſionis terminus determinatus & vltimus, ab ipſius theriacæ coctionis determinato & vltimo tempore, de quo poſtea dicemus, erit ſumendus. Apertionis autem tempore, ſingulo quoque die eam fieri debere Paulus ſtatuit. In-

terim

terim & Aetij consilium obseruandum esse dicimus, vt per mensem Antidotum ipsam visitemus, & tudicula munda agitemus, ne id quod in superficie est, & quod vasi contiguum est, eiúsque parietibus adhæret, exarescat. Id autem per mensem, post compositionem & expleta in sole agitatione, intelligendum est. Cuius autem formæ esse debeat vas istud, solus explicauit Auicenna, illud esse debere sicut vrinale cùm dixit. Erit igitur eius forma eodem modo in vtraque parte tam inferiore quam superiore ampla & rotunda. In vase huiusmodi theriacam qui reponet, eam è vase in quo facta est mixtio vt eruat propriis manibus conuenit, iis tamen opobalsamo priùs probéque, vt Galenus iussit, inunctis: ne fortè compositionis ipsius portio aliqua manibus adhæreat & deperdatur. Quin etiam ne eiusdem aliquid vasis ipsius parietibus nimis adhæreat & agglutinetur, rectiúsque tota compositio cõseruetur, vas ipsum modico melle despumato priùs imbuendum statuit. Tanta itaque cùm requiratur diligentia, pro ipsius compositionis conseruatione, eiúsque coctione minimè impedienda: illud quoque adiiciendum duximus, totam scilicet theriacæ dosin in vno atque eodem vase esse reponendam, neque antea diuidendam aut aliter minuendam, quàm coctionem suam siue fermentationem fuerit adepta. Hoc eorum occasione diximus, qui compositam theriacam in multas partes statim imprudenter diuidunt. Multi sæpe artifices ad componendam theriacam in vnum conueniunt, vno solo ad sumptus insignes minimè

sufficiente, & eam statim ac composita est diuidunt: quod ante absolutam eius coctionem quisquis fecerit, totam antidotum ferè vitiare, aut saltem eam minùs efficacem reddere ex eo imprimis liquet, quòd ab ipso proprio rerum omnium simul vnitarum calore interno concoctio ipsa fiat, quem partium compositi diminutione & ablatione imminui & impediri certo certius nobis est. Hunc eundem calorem, vbi in quacunque compositionis parte coctionem aggressus fuerit, si compositionis pars aliqua insignis auferatur, impediri & disturbari inde colligitur, quòd nimia ex necessitate eius fiet exhalatio. Neminem, arbitror, futurum qui neget, iis omnibus medicamentis modo recitato simul compositis & vnitis, calorem quendam ex illa vnione in tota massa excitari, cuius medio dicta fit deinde coctio. At massa diuisa dictum calorem valde euanescere, res est, mea opinione, manifesta. Hoc idē à rebus externis sumpto exemplo demōstrare fas est. Qui appellatum à nobis carbonem nostris in regionibus faciunt, ij lignorum ad id conuenientium & in parua quædam frustula incisorum acetuum faciunt, illúmque luto vel alia quapiam re tenaci, quò succensus ignis internus minimè difflari possit, circumuestiunt, & donec ligna conclusa in carbones conuersa fuerint, illud diligenter conseruant tegumentum. Ante perfectum opus si aceruatorum lignorum pars multa demeretur, vel etiā totus aceruus diuideretur, totum opificium sine dubio destrueretur, ignísque intus existentis actione impedita, de fine actum esset

esset prorsus. Ex hoc porrò exemplo illud vltro constat, quod magni certè momenti esse existimo: nempe quò minor fuerit pars quæ demitur, eò quoque minus futurum damnum. Atque vti ex aceruo lignorum dicto, vno tantùm dempto frustulo aut duobus, minimè propterea opificiũ impeditur: ita quoque ex tota theriaces massa modicùm quidpiam ante absolutam coctionem si dempseris, totum reliquũ minimè vitiabis. Quod adnotasse quid referat, paulò post apparebit. Ad rẽ igitur ipsam vt redeamus Antidotũ ante suam coctionem absolutam in partes diuisam eo quoque nomine vitiari dicendum est, quia cum ea de causa simul mixta sint tot medicamenta, vt iis simul vnitis & in vnum quasi corpus solum redactis quid tertium resultet particulari quodam virtute refertum: id de iis secundum conuenientem proportionem mixtis & vnitis intelligendum est. At in quantitate præcipuè eorum conuenienti & harmonica hanc proportionem consistere didicimus; citraque quoque conuenientem totius mixtionis concoctionem siue fermentationem, id tertiũ minimè resultare posse omnes concedunt. Ante coctionem igitur valdè imminuta quantitate mixtionis proportionem vitiari adeò manifestũ est, vt nulla egeat demonstratione. Hęc pauca nunc sufficiant pro iis multis, quæ aduersus tantam quorundam oscitantiam aut temeritatem, qui statim post compositionem theriacam diuidũt, adduci posse scimus. Quibus quidem pepercissemus, neque laboris quidpiã hac in re sumpsissemus, si quæ in huius eiusdem rei demonstratio-

nem sumpsit Maranta lib.primo cap.34. rem planè totam demonstrarent. In eo sanè totius suę demonstrationis vim is reposuit, vt quoniam ante fermentationem siue coctionem theriacæ, eius ablata portione, vnius alicuius simplicis medicamenti multa pars in parte quæ aufertur forte fortuna contenta à tota massa auferri potest, & proinde tota compositio vitiari: nullo propterea pacto ante coctionem sit aliquid ab ea quomodolibet auferendum. Speciosa quidem est argumentatio, omníque ex parte ingeniosa: sed quæ falso nitatur fundamento. Etenim fieri nulla ratione potest, vt post tot particulares aliquorum medicamentorum mixtiones: post factam simul vno eodémque tempore quamplurimorum triturationem & læuigationem: post graduatam deinde ac diligentissimam omnium vniuersalem mixtionem, post vehementem & longo tempore ab homine robusto factam sub sole totius compositionis agitationem: eandémque singulis septem diebus vsque ad duos menses reiteratam: post denique diligentem de vase in vas transpositionem, medicamentum aliquod particulare in vna sola compositionis parte totum vel magna ex parte contineatur. Imò omnia simul inter se sic mixta esse & vnita necesse est: vt vnam quanque compositionis particulam cuiuslibet medicamenti partem continere verisimile sit. Considerandum est mehercule medicamenta quæque theriacam ingredientia, vel actu sicca esse, vel humida. Hæc eliquantur, illa triturantur diligenter. Eliquata quis negabit omnia inter se &

singula

ſingula etiam ad minima miſceri? ſenſus certè ipſe huius rei iudex eſt optimus: ſicca ſimul ferè omnia triturantur: deinde per incerniculum anguſtis quantum fieri poteſt foraminibus præditum ducuntur, & cum eliquatis deinde miſcentur. Quis erit igitur contentioſus adeò, vt totam maioremve vnius ſolius medicamenti partem in vna particulari aliqua totius maſſæ parte cõtineri poſſe, mordicus adhuc contendat. Dicamus etiam medicamentorum theriacam ingredientium quædam in maiori quantitate aſſumi, quædam in minori. Quæ in multa ſumuntur quantitate, pluribus communicari & miſceri neceſſarium eſt prorſus. Vt igitur aliis quæ in minori quantitate aſſumuntur miſceantur, communicentúrque fieri haud ſecus poteſt. Sed quod ingenioſius adhuc ſubdidit Maranta, quædam medicamenta in pauca adeò quantatate compoſitionem hanc ingredi, vt contingere poſſit ea ſimul tota auferri, dempta etiam tantilla parte compoſitionis: minùs adhuc conceditur, tum ratione proximè adducta, tum etiam quoniam minor medicamentorum theriacam ingredientium quantitas duarum drachmarum pondere præfinitur. Non eſſet quoque theriaca vnquam perfecta, quæ aliquam eius partem ſine alicuius medicamenti virtute haberet. Dicamus item valere argumentum tantùm, ſi multa quantitas à tota maſſa auferatur: non, ſi pauca, putà ex præcepto Medici pro aliquo ægrotante. Nam ea vtentes medici in ſuæ compoſitionis initio vix eſt vt drachmam excedant: eò

quia obstupefaciens medicamentum eo tempore sit theriaca: & huius modicæ quantitatis ablatione totam massam non vitiari, minúsque eius coctionem impediri, manifesto exemplo à nobis proximè demonstratum fuit. Non essent, mea quidem opinione, non damnandi, Galenus & alij antiqui Medici, theriaca primis sex mensibus, primóve suæ compositionis anno vtentes, si hac de causa tota vitiaretur massa: quam à decennio ad trigesimum annum & ampliùs etiam mirandos effectus producere constituerunt. Vidit difficultatem Maranta, pro qua euitanda eò irrepsit oscitantiùs, vt asseruerit, concedere quidem antiquos Medicos theriaces vsum ante fermentationem: non tamen testari eos, nullum inde toti compositioni remanere vitium. Admonent, subdit, tantummodo recentem theriacam aduersus venena esse potentiorem: qua ex re nobis colligere minimè licet eius illos fuisse sententiæ, vt ante eius coctionem ea vtamur. At mirari licet tantum virum talia effutisse. Quanta vsi fuerint antiqui Medici in exprimendis theriaces viribus solertia: quo item studio id assecuti fuerint, scripta eorum manifestum faciunt. Eós ne igitur tantæ damnabimus oscitantiæ, vt eo medicamento ante tempus opportunum vterentur, omnésque alias eius virtutes importuno hoc vsu disturbarent? Eosdémne tanto quoque negligentiæ crimine notabimus, vt hoc idem scientes cognoscentésque posteros, quorum causa tot susceperunt labores, de eo non

commo-

commonefacerent? Quòd autem recenti theriaca ad sensus obstupefaciendos illi aliquando vterentur, vnius Galeni exemplum sufficiat, qui splendidæ Romanæ mulieri ex salso & acri catharro sanguinem expuenti, cùm dormitura esset, theriacam circiter quatuor menses ante confectam, recitata ab eodem ex industria historia, libro quinto method.med.cap.decimotertio, exhibuit. Habet enim, inquit ille ibidem, id ætatis adhuc præualentem papaueris succum, qui in antiquatis ignauior redditur, ideóque & somnifera est, & fluxiones tum siccat, tum leuiter incrassat. Sed clariorem adhuc habebit argumentum responsionem, si tempus declarauerimus, quo suam coctionem siue fermentationem acquirit theriaca, quod alioqui ad ea omnia manifestanda, quæ post theriaces mixtionem obseruari debent, declarare tenebamur. Nanque si multam portionem à tota theriacæ massa ante perfectam eius coctionem, citra suæ virtutis vitium demere minimè licet, síque pro eius congruo vsu vires per coctionem acquisitas cognoscere necesse est: magis sanè necessarium est determinatum hoc tempus coctioni sciuisse. Sed hæret animus rei difficultate perterritus, de qua non sine magna hæsitatione locutos antea fuisse plerosque viros doctrina & iudicio insignes scimus. Audendum tamen est, & tantæ vtilitatis prouinciam nec propter timiditatem, nec propter ignauiam subterfugere conuenit. Difficultas omnis in antiquorum Medicorum sententiis, quæ inter se diuersæ esse videntur, consistit. Nam Galenus lib. de theriac.

ad Pison.capite decimoquarto,de huius Antidot. coctione verba faciens, tempore, inquit, non modico eget, si tantùm concoqui debet quantum vsus requirit: coquitur autem vt plurimùm intra annos duodecim. Subdit deinde: sed qui valentiori potentioríque vti voluerunt, ipsam post quintum & septimum exhibuerunt, præsertim aduersus venenatorum ictus, canum rabiosorum morsus & noxia herbarum venena: validis siquidem noxis succurrere cùm vellent, potentioribus theriacæ viribus eguerunt. Qua in oratione sibi ipsi contrarium Galenum plerique constituunt: statuto imprimis ad coctionem perfectã duodecim annorũ spacio: eiusdem deinde medicamenti virtute cõmendata maiore, post quintum & septimum annum aduersus venena & venenatorum ictus: qua virtute illud prçditum non esse dicendũ est, nisi post perfectã coctionem. Auget difficultatem vel maximè, quòd theriacam à quarto tãtùm post mixturã & confectionẽ mense recitatæ matronæ Romanæ exhibuerit Galenus. Qui librum de vsu ther.ad Pãphil.scripsit: Percussis, dixit, à vipera, vulneratis à serpente, ictis ab Aspide, cõmorsis à rabido cane, demum læsis ab aliquo animali, quod dentibus aculeo vel contactu venenum relinquat, recens theriaca satis supérque efficax remedium est: recens autẽ est, quç sextum & tricesimum annũ nondũ attigerit. Ex cuius sententia illud colligi posse videtur, theriacã tardiùs cõcoqui ac Galenus proximè statuerit. Aetius tetrab. 4.serm.1. cap. 92. tempore non modico ad concoctionẽ egere theriacã scripsit, quò matura vsui fiat,

fiat, & vti par est cõcoquatur: vt plurimùm verò per duodecim mensium tempus eam coadunari & concoqui determinauit. Subdit deinde cap. 93. qui ipsa magis vigente & validiore vti volunt, etiam post vnum mensem ea vtuntur. Atque hic quantum à Galeno diuersus sit hinc videre est, quòd menses tantummodo, & illos quidem paucos, huic concoctioni præfiniuit, ille annos plurimos. In eadem Aetij sententia fuisse Nicolaum Myrepsum certum est, qui sect. 22. cap. 5. theriaces Andromachi descriptionẽ habere se professus est, & hæc scripsit: vtere hac antidoto post mẽses sex aut decem: statímque subiunxit: Perfectè autem coquitur post annos decem: ita vt mensiũ annorúmque terminos complexus sit. Paulus Aegineta, lib. 7. cap. 11. plurium annorum terminum huic coctioni præfixit, his verbis: vsus ipsius est, si res vrget, in morsis à bestiis venenatis, & iis qui venenum acceperunt, post septimum à præparatione annum: at in aliis affectionibus post, decennium ipsius vsus est, & vsque ad vicesimum. In quo sanè ipse quoque est obscurus, quia non vnum determinatum tempus huic coctioni præfinierit. Auicenna lib. 5. sum. prima, tract. primo in secunda theriaces descriptione, ab his omnibus prorsus diuersus quartum annum coctioni isti præfixisse visus est, cùm dixerit: Et administretur post quatuor annos. At libro de virib. cordis, trac. 2. cap. 4. aliter his verbis sensisse visus est: Perficitur autem fermentatio ipsius secundùm modernos, in decem annis: secundùm Galenum in annis xx. secundùm diuersitatem caliditatis & frigidita-

tis regionum ac climatum. Et apud aliquos è recẽtioribus iperatur eius iuuamentum post sex menses: veruntamen nec apud nos, nec apud Galenũ, demonstratio est in hoc: qua in oratione quãtum diuersitatis cùm interse ipsum, tũ inter alios sit, planè manifestũ est: sed adhuc maior est in ea eiusdem oratione diuersitas, quam lib. 5. sum. prima tract. primo ab initio hũc in modum habuit: Et theriacæ quidem adsunt infantia & pubertas, & adolescentia, & senectus & mors. Et fit infans post sex menses: deinde incipit in pubertate & augmēto vsq. ad tepus in quo stat per decẽ annos in regionibus calidis, & viginti annos in regionibus frigidis: deinde est in statu aut decẽ annis aut viginti: tandem declinat aut post viginti annos aut post XL. annos, aut post LX. & fit vna confectionũ declinata a gradu theriacæ. Haly Abbas lib. 10. Pract. cap. 5. vtendũ theriaca esse dixit post annos XII. aut certe pòst VII. licèt, inquit, etiã post quintũ aliqui ea vtantur: contra verò reptiliũ morsus ea recenti vtendũ esse voluit: recens autē est, sua opinione, vsq. in annũ XXX. Serapio autē tract. de Antid. 7. cap. 8. iuuenescere dixit theriacam post XII. annos, licèt aliqui sui temporis eã administrarent, dũ est propinqua temporis fortis, in anno scilicet V. & VIII. in his qui morsi sunt ab animalibus venenosis. Eandem quoq. recentem esse constituit vsq. ad tres annos: & antiquã ad cõplementum triginta annorũ. Nicolaus Præpositus lib. 2. Sic Dispensarij particul. 19. sex mensiũ spacio perfectè cõmisceri theriacã enuntiauit. Videas itaque qualis sit inter antiquos medicos de theriaces coctionis

tempore,

tẽpore controuersia, pro qua dirimenda strenuè sé gessit Maranta lib.primo cap.23. Primò enim adductam inter Galenum & Aetium controuersiam eo medio dirimendam censuit, quia deprauatè legatur Galeni codex: certúmq. sit anno ad summũ,vt censuit Aetius,theriacã concoqui. At Galeni codicis deprauationẽ inde affirmat, quoniã,cum de mente Galeni locutus sit Aetius, eisdémque verbis,solo tempore mutato,vsus fuerit, alterius eorum textum deprauatè legi vt necessarium in primis statuit. Galenicum autem codicem eo argumento damnandum potiùs censuit, quòd communiter transacto anno in vsum apud omnes veniat theriaca.Tædiosum deinde, subdit,futurum.duodecim annorum spacium ab eo expectari, antequam cõposito vtatur medicamẽto,qui vitæ suæ certitudinem habet nullam: quẽ quidem suæ quoque vtilitatis causa, non posterorum tantùm,medicamentum composuisse verisimile est.Ob id Aetij lectionem magis probat, vt verã:quia cùm multis post Galenum annis vixerit,ætatique nostræ propinquior extiterit, eius quoq.scripta tẽporis iniuriis minùs exposita fuisse suámq.primã veritatẽ rectiùs retinuisse,tanquam probabile prorsus,supposuit.Cõfirmauit suã hãc opinionẽ Imperati omniũ sui tẽporis artificũ diligẽtissimi peritissimíq. autoritate, à quo duodecĩ annorũ spacio ter cõpositã fuisse theriacã dixit. Porrò minimè obstare ille idẽ existimat pueritiã, quã primo hoc anno, quo illã perfectè concoqui voluit,absolui dicendũ est, nimis breuem constitui,si ad alias eiusdem ætates iuxtà Galenum an-

num ſexageſimum attingentes comparetur,quoniam & in hoc temporis ſpacio deſcribendo Galeni codicem conſtituit deprauatum, Aetium magis commendans, qui totum hunc terminum ſolo triginta annorum ſpacio præfiniuit:quo ſtãte,nulla deinde aut ſaltem pauca inter dictas ætates remanet proportio.Paulum Aeginetam idem manifeſtè innuere dixit, dum annorum viginti tantùm terminum hunc circumſcribit,qui & ipſe de theriaca ex Galeni mente locutus eſt. Ad eam verò difficultatem,quę tã ex verbis Aetij, quàm Galeni, enaſcitur volentibus illis potentiorem eſſe theriacam ante præfinitum ab eis concoctionis tempus,ſuam deinde conuertit orationem: illámque eo argumẽto maiòrem in primis effecit: quoniam ſi ex tot ſimplicium medicamentorum mixtione,nulla ſeruata particulari eorum virtute,quid tertium efficitur,quod theriacæ vires poſtea habet:id profectò non niſi poſt abſolutã cõpoſitionis concoctionem fieri poteſt: quomodo igitur,inquit,ante tempus huiuſmodi miros theriacæ effectus, & illos quidem potentiores,efficere poterit?Fatetur quidem verum eſſe,Opij vires in theriaca recèns compoſita vigere magis, ſed de virtute venenorum ęuincendorum, non de Opij viribus,locutos ex profeſſo eſſe Galenũ & Aetium diligenter animaduertit. Augeri inde quoque difficultatem docet,quòd minimè negãtibus illis, recentiorem theriacam ob Opij facultatem maximè vigentem ſoporiferum obſtupefaciéntque eſſe medicamentum: vtentibus nobis ea recentiore ob maiorem aduerſus venena eius poten-

potentiam, nocua admodum esset: minùs sanè hoc nomine nocitura, post absolutum coctionis tempus. Si enim, subdit, Tarsense dictum Philonium ad solos obstupefaciendos sensus & conciliandum somnum compositum nullo pacto ante annum in vsum venire debet, Galenóque magistro lib.12.meth.med.cap.primo, post secundum tertium & quartum annũ tutioris est vsus: quantò magis de theriaca id dicendum est, quæ non ad sensus obstupefaciendos & somnũ inducendum, sed ad venena præcipuè euincenda inuenta est? Neque valere existimauit quod dixerit quispiam, cautiùs vtendum esse Philonio multam Opij & hyocyami quantitatem recipiente, quàm theriaca, in qua paucum quid eiusdem recipitur: quoniam quæ noxa à multo Opio Philonium ingrediente simplici vnáque eius exhibitione cauenda est, (semel enim tantùm vt plurimum in vsum venit) eadem à theriaca sæpius exhibita (continuus enim esse debet eius vsus, si præsertim Imperatorum, qui ea vsi sunt, exempla sequamur) pertimescenda erit. Tantam itaque ac tam difficilem controuersiam concoctionis siue vocatæ fermentationis huiusmodi medicamenti, natura probè cognita ac declarata posse dirimi sibi ille persuasit. Porrò ad eam patefaciendam id imprimis supponit vt verum, & ab omnibus concessum: simplicia scilicet medicamenta omnia tantò efficaciores suas vires habere, quantò sunt recentiora: & è cõtra, quantò vetustiora, tantò debiliores: siue modò ita simplicia, siue composita in vsum veniant. Quanquam enim compositiones ingredientia

medicamenta melle vel sacchаro vniantur, certóque quodam tempore conseruentur: necesse tamen est eorum vires aliquantisper diminui: cuius rei argumento illud est, quòd compositorum medicamentorũ virtus tandem euanescit tota. Cùm itaque, inquit illè, fermentationis siue coctionis natura in id vnum tendat, vt compositionem ingredientia medicamenta in vnam quandam formam vniat: idque caloris ex medicamentorum mixtione excitati medio fiat, suas vires nequeunt medicamenta ipsa omnino retinere, atque eò minùs cùm eorum plurima inter se sint contraria, propter quod ea repati necesse est, tam quoad primas qualitates quàm quoad secundas, atque hanc actionem passionémque eò maiorem fieri enuntiat, quò longiùs simul inter se agendo patiendóque perseuerauerint: vnde fit, vt composita omnia ab initio valentiora sint, procedentéque tempore infirmiora. Docet preterea esse à nobis animaduertendum, medicamenta theriacam ingredientia dupliciter considerari à nobis posse: vel quoad actiones ex manifestis eorum qualitatibus prouenientes: refrigerationis putà, excalefactionis, adstrictionis, abstersionis, & aliarum huiusmodi: vel quatenus per occultas quasdam agunt proprietates, vt cùm scorpionum viperæve morsui aduersantur. At licèt omnes has facultates respiciat fermentatio, concoctióve, vt eas pro virili conseruet & manu teneat: occultas tamen diutius manifestis conseruari eo argumento sibi persuasit, quòd quia ad vnionem medicamentorum faciendam tempus quoddam ex necessitate requiritur,

quiritur, contrariantibus inter se manifestis qualitatibus in agendo, vt dictum est, repatiuntur: occultæ verò contrario carentes minimè patiuntur, & propterea longiori tempore permanent integræ. Ex fermentatione itaque occultas medicamentorum qualitates minùs debilitari colligit. Cæterùm cùm apud Dioscoridem legisset lib. 6. simpl. ab initio, & apud Cornelium Celsum lib. 5. ca. 27. venena non solùm occultis medicamentorum qualitatibus, sed & manifestis euinci, optimúmque ac tutius esse vtroque auxilio inniti: supposito item venenorum omnium cōmune remedium esse, si corpus vndique rectè transpiret: trāspirationémque à caliditate fieri: cùm, vt dictum est, vigeant magis hæ quoque qualitates in medicamento recens composito propter minorem reactionem, hinc fieri existimat recentem theriacam tam in manifestis qualitatibus quàm in occultis esse aduersus venena potentiorem inueterata. Aetium itaque & Galenum theriacam recentem adhuc non fermentatam aduersus venena fecisse potentiorem, quoniam tunc in ea qualitates omnes vigent magis. Addit insuper euenire vt viperinæ carnes, quo primùm tempore composita est theriaca, valentiores sint, cùm in trahendis ad se venenis & euincēdis, tum in eisdem vnà cum prauis humoribus ad corporis circumferentiam extrudendis. Hócque eodem nomine theriacam recens factam dici potuisse à Galeno & Aetio potentiorem. Per hęc itaq; omnem auferri difficultatē: & quicquid cōtradictionis in Galeno apparet dissolui, rationésque in cōtrarium addu-

ctas eneruari ille existimauit. Nam etsi coctionem in theriaca, quò fiat ad vsum vtilis, Galenus statuerit necessariã, eámque ante fermentationem constituerit valentiorem: non sibi propterea contradicit, quia eam supponit valentiorem, consideratis manifestis medicamentorum simplicium eam ingredientium qualitatibus, viperinæque carnis virtute ante fermentationem aduersus venena valentiore. Ad id verò quod dicebatur aduersus venena tutũ non esse theriacæ recentis vsum, ob vigentem tunc in ea Opij facultatem nimis refrigerantem: Respondet ille verum id esse, cùm longo tempore in vsum venit theriaca. Atcùm aduersus venena tãtùm recentem theriacã cõmendauerint Galenus & Aetius, neq. tũc longo tempore exhibeatur, vt in aliis morbis, periculũ propterea refrigerationis abesse omne dicit, si præsertim fabę, vt Galenus iubet, Aegyptiæ quantitate paulò plus minúsve drachmã pédente, in qua vnũ ferè tantũ Opij granũ ingreditur, exhibeatur. Neq. in his qui à cane rabido cõmorsi sunt, in quib. theriacæ longus vsus requiritur, eã perpetuò recẽtem exhiberi debere ille dicit, sed primis tantùm diebus, deinde ob refrigerationis periculũ ad antiquiorem accedendũ cõsulit. Addit tandẽ pro suæ disputationis coronide, dici quoq. posse theriacã post fermẽtationẽ & concoctionem esse valentiorem, si plures morbi, quibus tũc aduersatur, respiciantur: neque incõueniens esse eãdem fermentatam & non fermentatã respectu diuersorũ dici valẽtiorem: non aliter ac cùm dicimus hominẽ in suę ætatis vigore, omnes suas actiones potentiùs edere, quàm in
aliis

aliis ætatibus,licèt aliquas in aliquib.ætatibus potentiùs agat operationes. In pueritia siquidé cibos valentiùs cócoquit, in Adolescentia corpus mouet potentiùs, in senectute magis intellectu valet. Dicimus itē hominē quinq. corporis sensus quouis alio animali perfectiores habere, tametsi à plerisq. in vno superetur, in visu scilicet ab Aquila, in odoratu à cane. Hūc igitur ferè in modū arduam hanc difficultatem sublatā censuit vir & summa doctrina & acri ingenio præditus. Sed quamuis in hoc, vt in multis aliis, laudandus is sit, cùm præsertim ipse solus ex multis, qui hoc æuo de theriaca disseruerūt, hāc difficilem examinauerit quæstionem, non verebimur tamen nostrā nos quoq. sententiam à sua quadantenus diuersam in mediū afferre: nō quidem cōtradicendi studio ducti (absit tātus error) sed ad tāti momenti rem in maiorem hominū vtilitatē planiùs manifestandā. Sint, precor, qui & hęc nostra legent æqui iudices, & de vtraq. sententia rectum ferant doctiores iudicium. Quicquid enim de huius clarissimi viri sententia statuendū sit, illud sanè sese nobis offert imprimis ei obiiciendum, ꝙ verborū tantùm Galeni & Aetij rationē habuit, aliis omnibus diuersimodè vt audiuimus scribentibus penitus omissis. Quorum tamen authoritatē ab omnib⁹ vbiq. multi faciendā flocifacere, aut planè silētio præterire, minimè licet. Hic idem quāuis Aetij lectionem Galenicæ anteponat: coctionis tamen theriacæ tēpus præfinitū haud determinauit: vel si præfiniuit, non declarauit, rémq. sic se habere nō demōstrauit, quod alioqui facere tenebatur. Ante coctionē suas vires

adhuc non acquisiuit therica: coctionis igitur tẽpus quod sit, scire necesse est. Aetiũ anno solo tẽpus huiusmodi præfinientẽ magis ille probat: rationẽ tamen, qua hoc termino fieri hanc coctionẽ discamus, adducit nullã. Sed etiam quæ pro solutione iecit fundamẽta multã habere dubitationem animaduertimus: imò in multis reprehendi posse arbitramur. Quòd enim primo loco Aetij lectionẽ magis probet, duodecim tantùm menses coctioni theriacæ præfinientẽ, Galenicã verò totidem annos eidẽ statuentem dãnet vt deprauatã ac corruptã: id quidem reprehensione dignũ esse dicimus, si approbationis & reprobationis ab eo adductæ rationes paulò diligentiùs consideretur. Profectò ꝙ cõmuniter hoc æuo anno transacto in vsum veniat theriaca, idque seplasiariorum diligentissimus Imperatus non semel obseruauerit, nihil ad codices antiquorũ Medicorũ approbandos improbãdósve, mea opinione, facit. Qui nãque Galeni partes tuentur, errorem hunc esse dicent, cũ multis aliis damnandũ. Paruipendent itẽ dici, tædiosam esse duodecim annorũ expectationem post compositã theriacã, quicquid cõponenti artifici eo temporis spacio accidere possit: siue mors sit, siue dispendium. Quisquis enim fuerit qui optimã theriacam parare sibi constituit, eundem pręfinitũ & conueniens fermentationis tempus expectare necesse est: aliter irritus erit labor omnis, & theriacæ nomine indigna compositio. Vt verò possit quisque pro necessitate quocũque tempore theriaca vti, pluries eam dicimus esse componendam, túneque perpetuò cocta repe-

rietur

rietur theriacæ. Addo nõ ita nobis solis natos nos esse, quin & posteritati consulere debeamus, ea componentes medicamenta, quæ posteris futura sint vtilia. At licèt multis post Galenum annis vixerit Aetius, nostræque ætati propinquior fuerit: eiúsque propterea scripta temporum iniuriis minùs exposita fuisse, suámque primam veritatem rectiùs retinuisse illi concedamus, non inde tamen ex necessitate colligitur Galeni codicem esse deprauatum, & Aetij scripta immaculata esse. Etenim vt recentiores codices deprauatè legantur, & antiquiores rectè se habeant, sæpe euenire scimus. Antiquiorum lectionũ corrigendarũ occasio vel ex ratione, vel ex meliorib. codicib⁹ sæpe colligitur: qua in re antiquissimi codices maximo sæpe nobis sũt auxilio. Cæterùm Aetij codicẽ de tẽpore huius coctionis differentẽ falsitatis suspicionẽ habere multã indè imprimis colligitur, quòd ferè ipse solus menses huic coctioni præfiniuit, alij verò omnes annos. Habemus deinde Galeni codices Græcos quàplures, quibus rẽ ipsam determinare veriùs possimus. Ea vero parte Græci codicis Aetij caremus, quæ theriaces cõpositionem cõtinet: quo vel solo argumẽto Aetij codex Galenico anteponi nullo pacto debet. Dãnatur prætereà vltimus ętatũ theriacę terminus à Galeno cõstitutus, vtpote qui nullã ad alias eiusdẽ ætates proportionem habeat: laudatur breuior Aetij terminus, supposita pariter codicis Galenici deprauatione: de qua re cũ peculiarẽ postea simus habituri disputationem, non est vt lõgiorem hoc loco habeamus sermonem. Hoc vnum prætermittendum nunc

nõ eſt: male quoque hîc Galeni codicem ſupponi deprauatum, nullámque deprauationis validam afferri rationem. Quam verò conſtituit in Galeni & Aetij verbis contradictionem ac difficultatem, quoniam ſcilicet præter rationem potentiorem conſtituerint theriacam ante abſolutum ſuæ coctionis tempus: eam nos non admittimus, rémque ſecus ſe habere exiſtimamus. Quòd enim ad Galenum attinet, eum ante abſolutam coctionẽ potentiorem conſtituiſſe theriacam minimè verum eſt: Concoquitur, inquit Galenus, vt plurimum intra annos duodecim: ſed qui valentiori potentioríque vti voluerunt, ipſam poſt quintum & ſeptimum exhibuerunt: qua ex oratione, nihil de coctione non abſoluta colligi poſſe, clarum eſt. Etenim ſi intra annos duodecim vt plurimùm concoquitur theriaca, eſſe poteſt poſt quintum & ſeptimum annum concocta. Videre quidem eſt alios antiquos Medicos omnes recenti theriacæ maiorem aduerſus venena tribuiſſe potentiam: nullum tamen eius vſum ante perfectam coctionem commendaſſe: quod pro rei de qua agitur declaratione maximè facere intelligo. Sic & Aetius licèt duodecim menſium ſpacio theriacam concoqui dixerit, póſtque vnum menſem eam potentiorem eſſe: non propterea eam incoctam maiores habere vires conſtituit. Quapropter cùm non poſſit hoc nomine conſtitui in Galeni & Aetij verbis controuerſia: non ideò aduerſus eos adductæ argumentationes vrgent. Quod enim primo loco dictum eſt, ante coctionem non adeſſe theriacæ ſuas vires: id ſanè omni ex parte verum

eſt:

est: sed eius vsum ante coctionem cōmendari falsum est. Qua eadem responsione desumptum ab opio argumentum nullum euadit. Nunc quæ pro difficultate dirimenda iecit fundamenta cōsideremus, & quantum de iis dubitandum sit doceamus. Profectò quod primo loco positum est, à coctionis theriacæ natura desumptum, medicamentorum inquam vires tempore procedente infringi: id simpliciter verum non est, & multa eget limitatione. Neque enim ante coctionem, neque statim ea absoluta, suas simplicia medicamenta vires deperdere verum est. Quoddam dari tempus certum est, in quo id eueniat: sed id neque admodum breue est, neque in omnibus idem: longius quidem & breuius pro medicamentorum diuersa natura, & regionum in quo componuntur Antidota varietate. Si suas vires non habet theriaca, nisi post absolutam coctionem, quę formam illam specificam ex optima tot medicamētorum mixtione prouenientem illi impertitur: quis, quæso, hanc vim ante coctionem neque etiam minima ex parte imminui dicet? verū quidē est statim post mixtionem medicamenta inter se agere incipere, & aliquā inter illa fieri actionē & passionē: sed ex huiusmodi mutua actione & passione forma illa specifica cùm prodeat, tātū abest vt cōpositioni detrimentū aliquod accidat: vt potiùs suę perfectionis causa omnino necessaria illa sit. Hāc autem actionem & passionē cùm cognouissent primi medicamentorum compositorum inuentores, tanta solertia tantáque diligentia in determinādis medicamentorum proportionibus

vsi sunt, vt ex mutua medicamentorũ simpliciũ actione & passione forma illa resultaret specifica. Porrò etiam absoluta cõpositionis coctione siue fermẽtatione, quis medicamentorũ indéq. cõpositi vires statim incipere imminui cõcedet? Certè quęcunq. simplicium medicamentorũ detur mutua actio passióque, forma illa specifica ex tot simpliciũ mixtione educta determinato quodã tẽpore perdurat integra, antequam incipiat imminui. Quare theriacam ipsam incipere crescere, deinde mox stare: declinare tandẽ, ac si infantiæ, adolescẽtiæ, cõsistentiæ & senectutis ætates pertrãsiret, intelligemus. Modò in hac medicamentorũ mutua actione & passione quæ qualitates citiùs & faciliùs euanescant, primæ'ne an secundæ vel tertiæ, paulò post cõsiderabimus. Cùm igitur minimè firma sint iacta fundamenta: neq. etiã ex eis collectã difficultatis solutionem firmã esse dicemus. Verũ itaq. imprimis nõ est recentiorẽ theriacã non adhuc fermentatã Galenũ & Aetiũ aduersus venena fecisse potentiorẽ: sed simpliciter recentem theriacã huiusmodi esse dixerũt: quod nos de theriaca optimè fermentata interpretamur. Minùs verum est vires has recenti theriacę eos tribuisse ob viperinas carnes eo tempore valentiores, qui de hac re ne verbum quidem habuerunt. Num verò id à nobis concedendum sit, considerabitur deinde. Et quanuis inueteratam theriacam daremus esse potentiorem, quia pluribus occurrat morbis ac faciat recens: respectúque diuersorum dici valentior possit & imbecillior, id tamen ad tollendam in verbis Galeni & Aetij existẽtem difficultatem

tatem minimè sufficit. Aliò igitur pro tanta controuersia sedanda confugiendum nobis est. Hanc autem inde sedari posse nostra est opinio: si tempus imprimis coctionis siue fermentationis theriacæ determinatum & præfinitum inuenerimus: si deinde veram rationem & causam, cur aduersus venena potentior sit recens theriaca, adduxerimus: Neque ab eo recedere par est, quod proximè dicebatur: viribus scilicet suis carere omnino theriacam ante optimam fermentationem siue concoctionem: hac absoluta, suas illi vires inesse. Sanè quod dixit Auicenna lib. 5. summ. prima tract. primo cap. 4. suas, vt hominem, ętates habere theriacam: id omnibus hoc tempore in confesso esse intelligo. Vt igitur non dicimus hominem ad infantiam peruenisse, nisi priùs id tempus attigerit, in quo ætatis illius actiones edere valens est, hoc est, nisi priùs natus fuerit: ita nec theriacā suæ infantiæ ætatem sumpsisse affirmandum est, nisi priùs suas coctiones edere valēs sit. Quo tempore autem has vires suscepit, eo illā coctionem siue fermentationem adeptam esse certum est. Eius siquidem actiones ex coctione, vt diximus, proueniunt. Cæterùm vt infantis tantum hominis actiones debiles admodum sunt, & cum aliarum ætatum actionibus comparatæ nullius ferè vsus, non vigente adhuc in infantis corpore quadam caloris qualitate ad obeundas actiones requisita: ita quoque theriacæ in infantia tantummodo constitutæ debilior admodū virtus est (licèt iam per coctionē eam acquisiuerit) si cū eiusdē quę ad pubertatē siue adolescentiā peruenerit,

virtute cōparetur:hoc enim tempore calore in ea aucto fortiorem habet virtutē. Neq.ſanè alia ratione in ſuo vigore permanere diciturtheriaca,illúmque procedente tempore deperdere: ac hominem in ætate conſiſtenti vires ſuas adhuc conſeruare, in ſenectute amittere dicimus:calore nimirum quodam temporis ſpacio conſeruato valido, mox pauliſper euaneſcente. Fieri infantem theriacam, inquit citato loco Auicenna,poſt ſex menſes, deinde incipere in pubertate & augméto. vſq. ad tēpus in quo ſtat per decē annos in regionibus calidis, & viginti annos in regionibus frigidis,mox ſtare aut decem annis aut viginti:tādem declinare, aut poſt viginti, aut poſt quadraginta annos:demū expoliari virtute theriacæ poſt ſexaginta. Theriacæ igitur coctionē iuxtà Auicennæ ſententiā poſt ſex à cōpoſitione menſes dicemus factā,perfici verò poſt decē annos magis.Sanè verò inconueniens non eſt, quodā temporis ſpacio factā coctionem perfici deinde magis alio ſuccedente tempore, ſi & hominis ætatū,& multorum medicamentorum compoſitorū exēpla attendātur. Ad infantiam quidē qui peruenerit hominem hominis operationum facultatem ſuſcipere, eaſdem in pubertate & adoleſcentia perfectiùs obire proximè dicebamus: & multa compoſita medicamenta non multò poſt compoſitionem tempore ſuas vires exercere,has tempore procedente augeri,ipſamet experientia confirmat. Vtq.hominis ætatum proprium illud eſt, aliquas operationes habere peculiares, & illas quidem auctas, aliquas amittere, ita & theriacæ per ſuas ætates procedenti

cedenti idem accidere dicimus. An modò infantiæ initium sex tantùm mensium spatio ingrediatur theriaca, vt voluit Auicenna, diligenti, arbitror, eget inquisitione. Licèt enim theriácam eo temporis spacia elapso vires suas patefacere nonnulli affirment, imò pleráq. composita medicamenta suas statim exerceant operationes, sintque apud medicos in vsu, non est propterea vt solo sex mensium spacio theriacæ coctionem absolutam esse facilè adeò Auicennæ credamus. Obstat imprimis sua authoritate Aetius, annũ integrum pro coctione ista qui constituit. Obstant deinde alij, tres annos eandem requirere determinantes: Obstare deniq. videtur ratio. Verisimile siquidẽ minimè sit tam multa ac varia medicamẽta breui adeò tempore sic vniri, suásque vires sibi ipsis vicissim impertiri, vt forma quæ dicta est resultet specifica. Coctionem hãc caloris medio fieri iam dictum est. Excitatur hic calor ex mutua medicamentorũ actione & passione, augetúrq. deinceps & maior fit per eorum vnionem. Id autem breui adeò tempore fieri minimè posse contraria medicamẽtorum qualitas cùm naturalis tum accidentalis suadet vel maximè: sunt alia frigida, alia calida, alia humida, alia sicca, actu quædam humida, quamplurima arida, ita vt eorũ quædam tardiùs, alia citiùs ad actum deduci ratio suadeat. Quo in opere regionis qualitatem, partes aliquas habere iam audiuimus: caliditatem enim citiùs, frigiditatem tardiùs efficere constitutũ cùm fuerit. Quòd sex mensium termino incipiat coctio euidens in theriaca, eundum certè non est inficias: quòd

tempore pro coctione hanc egere dicendum est. Diasulphur vocata compositio, eiusdem libri distinctione. 2. descripta, paucissima recipit medicamenta: & sex pro coctione requirit menses. Hiera Hermetis dicta viginti tantùm continet medicamenta, & sex transactis mensibus in vsum venit, vt ille idem constituit, distinct. 3. quod idem de elect. à Democrito, Diabryonias inscripto, determinauit ibidem. Quòd si sex mensium spacium ad horũ medicamentorũ fermentationem requiritur: illud certè longius ad theriacæ coctionẽ, vt dicebamus, requiri existimãdũ est. Galenus certè & cũ eo alij antiqui multi medici longo tẽpore opus esse vt cõcoquatur theriaca, apertè affirmarũt. Hanc autẽ tẽporis longitudinẽ, respectu ad alia cõposita medicamẽta hàbito, intelligi debere, nobis omnino videtur verisimile. Annũ aũt solũ minimè pro hac coctione sufficere ea ducti coniectura affirmamus: quia anni parte calidiore, putà sub canis ortũ, cõponitur theriaca, cui cùm succedãt, autũnus hiemisq. frigidiores anni partes, nõ ita prõptè fieri potest cõcoctio: in nostra præsertim regione, in qua Iunio, Iulióq. exceptis mensib. frigiditas aeris pręualet caliditati. Saltẽ igitur ad secundũ annũ theriacæ fermentationẽ perduci, hęc nobis suadẽt. Porrò eũ in sensũ id accipi volumus, vt hoc tãtũ tẽporis spacio is coctionis gradus in theriaca introducatur, qui formã eius cõstituat specificã, à qua veri illius effectus producãtur. Hãc aũt coctionẽ vsq. deĩde ad annos duodecim, qui suæ adolescẽtiæ initium est, & infantiæ finis, quadãtenus perfici magis, incõueniẽs minimè esse

credimus.Sicuti enim homini accidit, vt ætatum causa vires quasdam habeat modò valentiores, modò debiliores, interim & diuersas, ita quoque theriacæ suas ætates excurrenti accidere tunc à nobis fiet manifestum, cùm de eius viribus proximo subsequenti libro differemus. Atque ex duobus,quæ pro difficultatis solutione declaranda proposuimus, vnum iam satis manifestum esse credimus. Ad alterum igitur sermonem nostrum conuertamus, & qua de causa recentem theriacam aduersus venena potentiorem esse dixerint vno ore omnes antiqui medici inuestigemus. In ea opinione Marãtam fuisse proximè audiuimus,vt recentem theriacam aduersus venena potentiorem ob id esse crediderit, quia pauca adhuc facta sit inter simplicia medicamenta actio passióq.,ex quibus temporis processu eorũ vires omnes imminui necesse est. Sed hanc actionem & passionem longo tantùm temporis tractu id facere posse paucis antea docebamus. Tamen & aliter de hac viri huius opinione differere nobis licet. Si eo in sensu accipiatur quęstio,vt recentem theriacã iam inueteratæ comparemus, rectè sensit Maranta recentem theriacam, quia medicamentorum vires adhuc habet valentiores & minimè diminutas, magis inueterata venenis aduersari,in qua sunt recitatę vires iam diminutę.Certum nanq. est vltra tricesimum annum venenorum euincendorũ facultates in theriaca ferè euanescere,eiúsq. tandem aduemente senio reliquas omnes quæcunque illæ fuerint euanescere vires: idq.nos sumus proxime demonstraturi. Sed hunc in sen-

in sensum quæstionem hãc accipi minimè posse, est vt quisq. animaduertat. Intra annũ duodecimũ theriacã perfectè concoqui Galenus affirmat lib. de ther. ad Pison. cap. 14. quo tẽpore recens adhuc dicitur procul dubio theriaca: deĩde subdit: Quòd si quis ea valentiore aduersus venena vti voluerit, post quintum & septimum annum exhibeat: & hoc tempore recẽtior esse illa dicitur. Cõparatio igitur est inter recentẽ & recentiorem theriacam, non inter recentẽ & antiquã. Neq. tamen à quinto septimóque anno vsq. ad duodecimum simplicium medicamentorũ theriacam ingredientium vires iam incipere imminui antè docebamus: quę res cùm magni omninò sit momenti, nunc iterũ confirmabitur magis. Quis est qui credat medicamentorũ theriacam ingredientium manifestas qualitates à septimo anno suarum viriũ imminutionem inire, qui sciat post duodecimum annum maiorem cùm excalefaciendi tũ exiccandi facultatem theriacã acquirere? Res hæc in eo qui hunc insequetur libro manifestè à nobis demonstrabitur. Ad eas igitur occultas medicamentorum theriacam ingredientiũ facultates, quibus venena euincũt, tota quæstio deduci videtur: cur istę scilicet in recentiorẽ theriaca potentiores sint. Quãquàm enim & manifestas medicamentorũ qualitates cùm primas tum secundas venenis aduersari verissimum sit: id tamen propriè non agunt, sed secundariò: quatenus ad venenum ablegandum magis aptum corpus efficiunt: magis inquã, vt rectè Maranta docuit, transpirabile: qua ratione vltra duodecimum annum, potentior erit the-

riaca aduersus venena,tanquã calidior facta,&ma
gis attenuans ac digerens.Id firmius euadit , quia
post concoctionẽ siue fermẽtationem theriacæ,
iam simpliciũ medicamẽtorum vnumquodque
propriã exuit formã,& tertia quædã ex eorũ vni-
one exorta est forma specifica:ita vt particulares
simplicium vires nõ possint ampliùs considerari
particulariùs.Ideóq. propter viperinas carnes in
recẽti theriaca vegetiores eã aduersus venena po
tentiorẽ esse nõ est vt cum Maranta affirmemus;
cùm iam ipsæ quoq.propriam exuerint formam.
Quanquã etiam soli viperarũ morsui carnes has
aduersari manifestè Galenus enuntiauerit.Ex oc-
cultis igitur eorũ medicamentorũ, quæ theriaca
recipit,qualitatibus venenis propriè ac per se ad-
uersantibus simul vnitis tertia quædã forma spe-
cifica enascitur,quã in recẽtiore theriaca,in quin
to scilicet & septimo à sua cõpositione anno,po-
tentiorem esse dixerunt antiqui medici: cuius rei
quæritur hoc loco causa.Profectò si eũ Galeni li
brũ haberemus,quem ille lib.11.de simpl.med.fa-
cult.cap. de Cancro , de occultis proprietatibus
substantiæ se scripturum promisit , multa fortas-
se pro huius quæstionis determinatione habere-
mus opportuna : caremus illo tamen , siue quia
scriptus non fuerit : siue sit temporis iniuria de-
perditus. An fortè ad experientiam ipsam nobis
confugiendũ est,eiúsq. medio recentiorẽ theria-
cã aduersus venena valẽtiorem esse medicos an-
tiquos deprehendisse , idq.propterea affirmasse
dicendũ? Id quidem innuisse visus est Galenus i-
pse,qui ab occultis huiusmodi causis prouenẽtes
medi-

medicamentorum actiones solius experientiæ medio iudicari scripsit, lib. primo de comp. med. per gen. cap. 16. quis quæso est, qui formarū actiones in suas causas scitè omnino reducere sciat? Multiplicia itaq. simul mixta medicamenta compositionem quandam faciunt, specificam quandā formam producentem, quæ theriaca dicitur. Ex hac forma actionem prouenire necesse est, quoniā, vt inquit Auerroes 8. phys. com. 62. actio hominis nō potest prouenire nisi à forma hominis. Vt itaq. huius à forma prouenientis actionis ratio nulla reddi potest certa & euidens, ita etiam cur recentior theriaca magis venenis resistat, nullam quæ afferri possit habet euidentem rationem. Terra Lemnia præterquam quòd adstringit & exiccat illud insuper habet, quòd venenis resistit: cuius posterioris facultatis rationem nullam habemus manifestam. Idem de aliis omnibus medicamentis theriacam ingredientibus, veneno aduersantibus, asserere licet. Quanquam enim per qualitates manifestas multa medicamenta venenis aduersari certum sit: id tamen, vt dicebamus, per accidens fit. At quæ propriè id agunt, per occultas proprietates à forma specifica prouenientes id præstant. Si igitur de singulari quoque theriacam ingrediente medicamento nulla potest reddi ratio certa & manifesta, cur propriè ac per se venenis resistat, multò minùs de ea quā constituūt compositione id asserere fas erit: quę à sua, vt diximus, forma specifica venenorū euincēdorū mirā illā potentiam suscipit. Nec igitur rationē inuenire te posse credas, cur recentior the-

riaca maiorem habeat hanc potentiam: quàm antiqui medici longa edocti obseruatione firmáq; persuasi experientia nobis significarunt. Non admirabitur quisspiam, arbitror, hæc nobis ignota prorsus esse, qui sciuerit pleráq. alias particulares medicamentorum facultates certa apud nos carere ratione. Quis est qui rationem se reddere posse profiteatur, cur Betonica capiti, Agrimoniam hepati, scolopendria lieni amica tantopere sit? In hac itaque nostra sententia fuisse Auicennam videre est, qui proprietates agendi theriacæ sola experientia innotuisse testatus est, lib. de viribus cordis tract. 2. cap. 4. his verbis: Timebant enim nihilominus quòd comixtio amputaret prædictas simpliciũ proprietates: sed reuelatio ac diuina prouidentia perduxit homines ad illam sic faciendam. Postquam autem experta est, inuenta est fortior, quàm quod ab antiquis dictũ est, & verificata est opinio veritatis: Hanc eandem opinionem habuisse Auerroem ex iis constat manifestè, quę in cap. primo sui libri de ther. scripsit. Ex hoc itaq. id colligi videre est: si per experientiam ipsam recentiorem theriacam venena valentiùs euincere innotuit, háncque facultatem per occultam quandam medicamentorum virtutem i lli inesse: hanc etiam virtutem eo tempore esse valentiorem. Quòd si temporis tractu quodam aduersus venena infirmior euadit theriaca eo pariter tempore eandem decrescere experientia docuit. In theriaca igitur per longum temporis spaciũ cùm augeãtur manifestarũ qualitatum actiones, citius imminuantur quæ ab occul-

tis

tis proueniunt: occultas pariter qualitates manifestis citius deperdi dicendũ erit: secus ac senserit Maranta, qui occultas tanquã cõtrario carẽtes diutius perdurare affirmauit. Quem quoque eo argumẽto reprehendere licet, quòd antiqui Medici, vt audiemus, facultatem venenorũ euincendorum anno tricesimo in theriaca finire dixerunt: perdurare alias eius vires vsque ad sexagesimum. In eo praeterea reprehendi quoque posse videtur, quòd eas facultates contrario carere affirmauit, quas occultas esse dixit; neque tamen eas carere contrario verè affirmare poteris, si eas priùs non cognoueris. His itaque hunc in modum determinatis, nullam inter antiquos Medicos, in his quae ab initio totius huius disputationis proposita sunt, adesse contradictionem facile est demonstrare. Galenus imprimis adducebatur, qui lib. de ther. ad Pison. cap. 14. intra annos duodecim vt plurimum concoqui theriacam scripsit: qua in oratione obscuri nihil esse illud certum facit, quòd si intra annos duodecim perfectè concoquitur theriaca, eadem quinto & septimo anno dici potest concocta, licèt non adeò perfectè. Facta quidem est fermentatio siue coctio secundo aut tertio anno, quae deinde intra annum duodecimum perficitur magis: quod aetatum hominis exemplo minimè inconueniens esse fuit à nobis demonstratum. Nisi fortè etiam doctissimorum quorundam sententiam secuti dicamus, Galenum & alios qui ad duodecimum annum fermentationem produxerunt, intellexisse intra hunc terminum in quocũque loco simus absolui, in frigidis nempe locis:

aut multò antea fermentationem in aliis locis absolui pro varietate ambientis & caloris, ita vt secũdo, tertio, & quarto sæpè specifica illa differentia sit introducta, & optimè operetur aduersus venena, quòd tunc adsit differentia specifica maximè aduersus venena potens, quòd medicamenta ingredientia à tota substantia agentia eo tempore potissimùm vigeant, progressu temporis paulatim disperdatur illa vis, remaneátque theriaca valẽtior ad alios morbos. Quòd autem eodem in loco Galenus septimò anno valentiorem aduersus venena esse dixerit theriacam, id quoque nihil habet absurdi: non asserente illo tunc temporis nondum esse fermentatam. Quando verò Matronæ Romanæ circiter quatuor menses confectam theriacam exhibuit: ea non vsus est nisi tanquam Opiato medicamento, quod obstupefacere somnúmque inducere aptum esset: id quod theriacæ etsi proprium non est, ante fermentationem tamen id possidet, non adhuc euicta per coctionem ab aliis medicamentis Opij frigiditate. Libri pariter de vsu theriacæ ad Pamphil. author cùm dicat recentem theriacam vsque ad annos triginta venenis resistere, nihil habet absurdi, neque Galeno alijsve aduersatur, quia omnino verum est, theriacam ad tricesimum vsque annum venenis aduersari: dici autem potuit recens vsque ad triginta annos, respectu aliarum deinde subsequentiam illius ætatum. De Aetij opinione ab aliorum placitis tantopere diuersa quid statuendum sit, suprà longiore docuimus oratione, textúsque illius deprauationem supponendam esse demonstraui-

ſtrauimus. Et vtcunque rem hāc determinare placuerit, non eſt vt Aetium in ſua opinione dimittere vereamur, tanquam ab aliis omnibus hac in re diuerſum. Idem de Nicolao Myrepſo pharmacopœo veriùs quàm docto Medico affirmamus. Paulus Aegin. ſi quæ ſcripſit attentiùs, vt decet, conſiderentur, nihil aliud, mea opinione agit, quàm vt theriacæ vſum aduerſus venena poſt ſeptimum à præparatione annum: aduerſus alias affectiones poſt decennium indicet: qua in oratione nihil omnino quod in dubium verti poſſit, aut aliis aduerſetur inuenio. Etenim de theriacæ facultate in ſeptimo anno aduerſus venena valentiore idem & alij ſenſerunt. Aliis verò affectionibus poſt decenniū quòd aduerſetur theriaca, ſequenti à nobis demonſtrabitur libro. Quòd ſi intra annos duodecim theriacæ coctionem perfici Galenus ſtatuit, quánam de cauſa eam decimo anno concoctam eſſe Paulo non concedemus? Nunc ad Auicennam noſtra eſt cōuertenda oratio, quē lib. 5. ſum. prima tract. primo in ſecunda theriaces deſcriptione, poſt quatuor annos adminiſtrādam eſſe theriacam ſumma ratione conſtituiſſe ex eo demonſtratur, quòd ſecundo ſaltem anno factam eſſe coctionem (licèt poſtea in duodecimo perfectior ſit) dicebamus. Fortaſſe etiam ſolo quarto anno eam ille credidit eo loco eſſe factam in theriaca coctionem, quam nos in ſecundo conſtituimus. In lib. autem de viribus cordis tract. 2. cap. 4. nihil determinat: ſed Medicorum ſui temporis & Galeni opinionem recenſet: déque tempore huius coctionis præfinitò nullam apud ſe nec

apud Galenum adesse demonstrationem testatus est. Hic idem theriacæ ætates dum recenset, lib. 5. sum. prima tract. primo ab initio, neque aliis aduersatur, neque rem aliquam (si infantiæ terminũ exceperis) quæ controuersa sit adducit. At quem statuit infantiæ terminum posse quoque cum aliorum opinione vniri docuimus. Haly Abbas & Serapio eadem habent ad verbum, quæ Galenus & Paulus. Nicolaus Prępositus sex mensium spacio rectè commisceri theriacam dixit, quod & verum est: sed aliud est theriacę commixtio, aliud fermentatio. Quò enim rectiùs inter se misceãtur medicamenta in theriaca posita, vsque ad sextum mensem, imò & vsque ad annum certis quibusdam diebus dimouendam eam esse iam didicimus: hæc tamen commixtio non est fermentatio siue coctio. Atque hunc in modum totam hanc controuersiam dirimi posse ac debęre nostra est opinio. Iam quousque siue quot annis suas conseruet vires theriaca inquirere conueniens est, vt inde tutior eius vsus esse possit: & quando reiterãda eius sit compositio innotescat. Duplicem autem habet Problema hoc significationem. Vel enim de viribus tantùm veneno aduersis: vel de quacunque theriacæ facultate intelligi potest. Si de omnibus theriacæ viribus absolutè intelligatur: crediderẽ aliqui de tempore huiusmodi quoquo modo non conuenire inter se antiquos Medicos. Galenus enim lib. de theriaca ad Pison. cap. 14. vsq; ad sexagesimũ annũ vires suas cõseruare theriacã scripsit. Qui verò librum de vsu ther. ad Pamphil. scripsit aliquid de hoc tempore remisisse visus

se visus est his verbis: Recèns autem est, quæ sextum & tricesimum annum nondum attigerit, quo tempore venenis etiam aliis confert: nam ab eo tempore morbis solùm auxiliatur, de quibus mox referam, modò ad tricesimum sextum annũ multorum adhuc annorum accessio facta non sit inefficax & inutilis, & quæ sequuntur: Aetius Tetrab.4. serm.1.c.94. adducta duntaxat Galeni authoritate tricesimum tántũ annum huic perdurationi præfixit. Breuius dubio procul tempus hoc constituit Paulus qui lib.7., de re med.cap.11. sic locutus est: vsus ipsius est, si res vrget, in morsis à bestiis venenatis & iis qui venenum acceperũt, post septimum à præparatione annũ: deinde subdit: at in aliis affectionibus post decennium & vsque ad vicesimum annum: Auicenna lib.5. sum. prima tract.primo ab initio, vltimum declinationis theriacæ terminum post sexagesimum annum constituit: quo tempore elapso, inquit ille, fit vna confectionum declinata à gradu theriacæ: Eundem terminum ei præfixit Haly Abbas lib. 10.pract.cap.5. Sed Serapio minorem illum esse voluit, lib.7.de Antid.cap.8. Auerroes denique in tract.de ther.cap. 40. ad quadragesimum annum perdurare vires theriacæ scripsit. Si verò de viribus venenum euincentibus problema ipsum intelligatur, nec etiam inter se conuenire videntur antiqui Medici. Quanquam enim in eo omnes conueniant, vt septimo & octauo à compositione anno potentior sit aduersus venena theriaca: Galenus tamen & qui lib.de vsu theriac.ad Pamphil. scripsit & Haly Abbas eius fuère sententiæ, vt ad

tricesimum vsque annum vires aduersus venena seruet. At Paulus, vt proximè audiuimus, non nisi decennium vsque vires huiusmodi illam seruare constituit. Serapio verò, loco paucis ab hinc adnotato, ea vsus fuit distinctione, vt ad morsum viperarum & serpentum canisque rabidi, nec non & ad potum venenorum suas vires habeat theriaca, cùm recens est: trium tantùm annorum spacio huic assignato: aduersus verò reliquos vermes & reptilia venenosa, etiam quando est antiqua valere scripsit: triginta autem annis terminũ hunc finire voluit. Nobis verò maior adhuc esse videtur difficultas huiusmodi, quia elapso quoque triginta annorum termino venenis aduersari theriacam posse ratio ipsa suadere videatur. Ex conuenienti nanque tot medicamentorũ mixtione perfecta, vlteriùs accedente totius cõpositionis fermentatione, formam quandam specificam ipsi theriacę vires tantas cõferentem resultare toties hucusq; audiuimus. Hanc potissimùm venenis aduersari constitutũ est. Quousq. igitur forma hæc perdurat in hac cõpositione, eousq. theriacã vires suas habere dicendũ est, licèt in fine quadantenus debiliores: theriaca igitur ad sexagesimum vsq. annũ venenis aduersari dicenda est, quoniam ad hunc vsque terminũ eius vires conseruãtur. Est præterea sine controuersia verum, non per occultã tantùm facultatem venenis aduersari theriacã, sed & per qualitates manifestas, exiccando putà, attenuando, & corpus trãspirabile reddendo. Sed has vires vsque ad sexagesimum annum cõseruat theriaca: ad sexagesimum igitur annum vsque venenis

nenis resistere apta nata est. Adde, si lubet, elapso anno sexagesimo experiendum docuisse Galenum & alios, an vires suas adhuc habeat exhibito purgante medicamento, scammonio, putà, elleboro, vel colocynthide, cuius vires adhuc euincē-te theriaca, suæ perdurantis facultatis signum hoc esse voluerunt manifestum. Qua ratione itaque post sexagesimum annum purgantium medicamentorum venenosam qualitatem euincere apta nata est theriaca, eadem quoque aliis venenosis causis resistere eam posse dicendum est. Vltra igitur tricesimum annum vires aduersus venena habet theriaca, secus ac statuerint Galenus & alij antiqui Medici. Sanè verò vt per experientiam virtutes theriacæ occultas iudicari & cognosci paulò antea didicimus: ita etiam triginta annorū spacio elapso, venenis non esse ampliùs inimicam theriacam, experientiæ medio cognouisse obseruasséque antiquos Medicos dicendum esse existimamus. Rationem quidē ipsam satis vrgere eundū nobis non est inficias: hanc tamen experientiæ ei aduersanti cedere vbique debere censuit Aristoteles. Non ampliùs autē eo elapso termino venenis aduersari theriacā, eo in sensu accipiendum nobis est, vt tāta vis in ea nō remaneat, quæ venena ipsa miro quodā modo, vt antea, euincere queat: quæ fuit Serapionis loco ꝓximè scripto sentē-tia. Multa ꝑfectò medicamēta particularia vim aliquā aduersus venena habere obseruare est, cuius tamē medio vrgentē necessitatē superare interim nō datur. Exēpli gratia, Petroselinū & mel venenis aduersari certū est: hæc tamen vim huiusmodi

adeò efficacē non habēt vt fortiora venena euincere ea posse credam? Pari ratione post tricesimū annū remanere in ipsa theriaca virtutis quidpiam aduersus venena concedendum esse videtur. Hęc tamen ea nō est, cui in extremis necessitatibus fidendum sit. Quin imò quæcunque fuerit cuiusuis particularis medicamenti vis, eam certo quodam tempore intercedente infringi, eúmque in modum imminui, vt suo ampliùs perfectè fungi minimè possit officio, ipsa purgantia manifestum faciunt medicamenta, quorum virtus purgans senectutis medio flaccessit vel maximè theriaca igitur post tricesimum annum adhuc theriaca est, suámque habet formam specificam: tametsi eius aduersus venena facultas sit imminuta feréque deperdita. Quapropter difficultatem nullam faciunt in contrarium adductæ rationes. Quòd verò ad ea attinet quæ tempore isto venenorum euincendorum determinato diuersimodè locuti fuisse visi sunt Galenus & alij antiqui Medici: ea si attentiùs, vt conuenit, cōsiderentur, difficultatem nullam habent. Paulus nanque de solo theriacæ vsu aduersus venena locutus est, quando terminū illum viginti annorū præfiniuit. Idem cum deinde dixerit à decennio per viginti annos eius vsum conuenire: tricesimum pariter annum eum includere voluisse manifestum est. Malim itaque magni huius Scriptoris dicta amicè hunc in modum interpretari, quàm eum Galeno, cuius doctrinam eo loco professus est, aduersantem constituere. Eadem esto ad Serapionem responsio, quem de solis venenis euincēdis sermonem eo in loco habuisse

buiſſe luce clarius eſt, annóſque triginta huic operationi præfixiſſe, idem dubio procul cum Galeno & aliis in hoc ſentientem. Non erit item difficile multùm excitatam in antiquorum Medicorum verbis de vniuerſali aliarum theriacæ facultatum perduratione controuerſiam dirimere, ſi eorum pariter verba hac in re prolata attentiùs ponderentur. Statuto itaque & pro certo ſuppoſito, ad ſexageſimum vſque annum vires ſuas adſeruare theriacam, quod apertè Galenus enuntiauit libro de ther. ad Piſon. cap. 14. ex aliis neminé ab hac ſententia ſuis ſcriptis diſſenſiſſe aſſerimus. Qui librum de viu ther. ad Pamphil. ſcripſit generaliter locutus eſt, neque ad certum quendam annorũ numerum ſeſe reſtrinxit. Eius verba hæc ſunt: Ab eo tempore morbis ſolùm auxiliatur, de quibus mox referam: modò ad triceſimum ſextum annum multorum adhuc annorum acceſſio facta non ſit: quapropter Galeno his verbis aduerſari minimè dicendus eſt. Porrò & Aetius ſi totam Galeni clauſulã exſcripſiſſet, vniuerſalem theriaces ætatem determinantem: nullam profectò in ſuis verbis conſtituiſſet difficultatem. Sed eam tantùm eius clauſulæ partem exſcripſit, quæ venenorum euincendorum terminum continet, illíque ideo nullo pacto aduerſatur. Nolo in hoc Aetium imprudentiæ damnare, qui Græcam eius partis lectionem habere hucuſque non potui, ex qua fortaſſe Latinæ lectionis imperfectio nobis innoteſceret. Hanc ſuſpicionem illud auget vel maximè, quòd in eo capite ſtatim poſt terminum vltimum theriacæ ad id fit tranſitus, quòd ſicca

nimis euidente theriaca faciendum eſt, quæ res ad illud caput minimè pertinet. Paulum autem & Serapionem de eo tantùm tempore locutos fuiſſe iam docuimus, quod ad venena euincenda pertinet. Et Auerroes ſtrictè adeò terminum illum nō præfiniuit, quin etiam produci non poſſit: poſt enim termini illius aſſignationem ſtatim ſubiunxit: Et mutatur ætas theriacæ ſecundùm medicinas ex quibus eſt compoſita, quoniam ſi bonæ fuerint, tenet virtutem ſuam bene, & ſi ſunt malæ minùs ſeruat eam. Nulla igitur in dictis antiquorum Medicorum eſt circa hoc controuerſia: & ad ſexageſimum vſque annū, ſeruare vires ſuas theriacam, eorum communis fuit opinio. Aduerſus hos inſurrexit Maranta, loco ſæpe aſſignato, theriacæque ſenectute ad eum terminum producta, nullam cum aliis eius ætatibus proportionem adeſſe argumentatur. Inane verò eſſe argumentum huiuſmodi ea nobis demonſtrant, quæ de theriacæ ætatibus paulò antè fuere determinata. Infantiam eius vix ſecundo anno incipere, vlteriúſque per quoſdam annos progredi oſtēdimus. Pueritiam anno duodecimo circumſcribi, adoleſcentiam triceſimo, cōſiſtentiam deinceps quibuſdam annis retineri, decrementum poſtea ſuccedere demonſtrauimus vſque ad ſexageſimum. Quæ de ætatibus hominis Galenus diligēter ſcripſit qui diligenter conſiderauerit, rem ſic ſe habere inueniet, & conuenientem hanc eſſe ætatum inter ſe proportionem intelliget. Fac, ſi lubet, nō aliam eſſe inter theriacæ ætates proportionem, quàm ille conſtituit, neque etiam proportionem non

non adesse conuenientē cōuinces? Quid est, quæso quod proportionē huiusmodi in hoc medicamento demōstrat necessariam? At tantū abest vt ad sexagesimum annum vsque vires suas seruare theriacā non posse illi cōcedamus, vt potiùs vlterius quoq. eā illas seruare posse affirmādū sit. Hoc manifestè prorsus Galenus asseruit, lib. de ther. ad Pison. cap. 14. his verbis: aliis autē morbis, in quibus tanta nō est efficacia lædendi, sexagesimo etiam subuenit. Nam vltra hoc spacium debilis admodum & imbecilla euadit: à sexagesimo igitur anno vires suas non ex toto theriacā amittere his verbis docemur. Porrò existimasse Galenū post id quoque tempus vires efficaces theriacæ inesse posse illud ostendit, quod de experimēto suarum virium faciendo statim hunc in modum ibidem subiunxit: Multi itaque vires antidoti dignoscere cùm volunt, primùm alicui purgantem aliquam medicinam porrigunt: deinde theriaca paulò post exhibita iudicium de ipsa sumunt. Nam si valida vigénsque adhuc fuerit, nullatenus ventrem purgari sinit: nempe deuicta soluentis medicinæ facultate ab Antidoti potentia: sin autem aluus ita deiicitur, quasi theriacam non sumpsisset, planum est Antidotum viribus adeò defecisse, &, vt ita dixerim, consenuisse, vt ne purgantis quidem medicinæ vim supprimere queat. Sed posteaquam in hunc probandarum theriacæ virium sermonem incidimus, ne quid quod ad medicamentum huiusmodi nobilissimum spectet prætermittatur, rem hanc paulò diligentiùs consideremus. Sanè verò experi-

mentum huiusmodi ab Aetio, Haly Abbate, Serapione, & ab eò qui librum de vsu ther. ad Pamphil. scripsit approbari videre est. An verò ad probandam tantùm theriaces senectutem, vel etiam ad eius vires alio tempore explorandas id illi inuenerint, quæsitu digna res est: ob eam præcipuè theriacam quæ ab vna regione in aliam solet de more exportari: de cuius compositionis seruato modo & de medicamentorum in ea positorum qualitate minimè edocti sæpe sunt Medici. Profectò senectutis tantùm theriacæ experiũdæ causa experimentum illud Galenum eo loco docuisse, quæ retulimus eius verba ostendunt manifestè: verum & alio tempore eiusdem Antidoti vires eodem experimento probari posse, demõstratione minimè egere credimus. Videas propterea Aetium cap. 95. serm. primi Tetrab. 4. vbi idem ex Galeno exscripsit experimentum: illud ad theriacæ vires explorandas absolutè cõmendasse, nulla senectutis alteriúsve eius ætatis facta commemoratione. Sic & Nicolaus Myrepsus ad probandam theriacam, an sit adulterata, ad idem experimentum se recipit, quod & Haly & Serapio fecerunt. Hoc & si verum sit, & à grauissimis hisce scriptoribus approbatum, aliqua tamen præterea eget, vt credimus, declaratione. Etenim nec ad omnes theriacæ vires patefaciendas sufficit experimentum illud: nec omnino tutũ est, minúsque cuique theriaces ætati conueniens. Demus theriacam assumpti purgantis medicamenti vires infringere: non inde tamen validas aduersus venena lethalia & venenosorum animalium morsus vires eam

habere

habere colligemus, quoniam deperdita quoque hac facultate (quod post triginta annos accidere didicimus) purgantis nihilominus medicamenti vires vsque ad sexagesimum annum poterit infringere. Tutum adhæc non esse experimentum videre est: quia id facientes vel homine vtemur sano, vel ægro purgatione verè egente. Sana corpora purgationes molestè ferre statuisse Hippocratem in sententiis scimus, quibus quoque ex mutua theriaces & purgãtis medicamenti pugna maiores molestias vltrò parari certũ est. At purgatione egens ægrotans medicamento prę(ertim assumpto, non purgatus, varia sine dubio subibit pericula, damnáque multa accipiet manifesta. Vtcũque item Antidoti vires explorare libuerit, eius ætatis ratio vtique est habenda. Etenim vt ante fermentationem & concoctionem eius perfectã inanis omnis erit exploratio: ita vires venena euincentes ante tricesimum annum esse explorandas inde constat, quòd ab eo anno fermè euanescãt. Alias verò eius vires quocũque post coctionem tempore posse explorari dicere conuenit. Itaque quòd ad hoc postremum attinet, id omnino approbasse antiquos Medicos facilè persuademur: non explicasse autem hæc omnia ad vnum existimamus, vel quia ea supposuerint manifesta, vel etiam quòd cuiusque non sit omnia & singula persequi. Cæterùm id Serapio his verbis videtur innuisse: Tibi possibile est vt probes theriacã altam, & quæ est propinqua temporis ab antiqua, & separes inter antiquam ex ea & quæ est propinqua temporis, & inter illam in qua non est falsitas ex

alia: at experimenti periculosi calumniam Galenum & alios minimè subiisse eo fortasse argumento affirmare par est, quòd non ex propria sententia, sed ex mente aliorum experimentum illud omnes proposuerint, cùm sic ad vnum locuti sint: (Multi itaque vires Antidoti dignoscere cùm volunt:) Videre est itaque Aetium tutius multo experimentum proposuisse, hunc in modum: Papaueris succum duorum scrupulorum pondere aqua dissoluito, ex eáque nucis Ponticæ magnitudinem ori animalis infundito: huic si nihil mali inde eueniat, præstantiæ ipsius Antidoti iudicium hoc erit euidens. Et hoc idem experimenti genus probauit Serapio. Ne verò quis existimet oscitantes adeò fuisse viros istos clarissimos, vt virium theriacæ venenis aduersantium probationẽ prætermiserint penitus, hanc quoque ab eorum nonnullis factam fuisse sciendum est. Nicolaus Myrepsus, Serapio & Haly Abbas sub Galeni nomine periculũ huiusmodi in hominibus facere nequeuntes, in aliquo alio animali id ipsum faciendum docuerũt. Gallis enim domi non enutritis, sed potiùs agrestibus & ficciore corporis temperamento prędítis medicamentũ offerendũ esse dixerunt, qui si postea animalibus obiecti venenosis commorsi euadũt, optimũ esse Antidotũ inde ostendi dixerunt: atq. eò veriùs, si ex iisdẽ gallis citra medicamenti exhibitionẽ ab eisdẽ animalibus commorsi aliqui perierint. Idẽ quoque periculũ fieri posse existimarũt veneno aliquo ex industria alicui animali propinato, cui vel statim post vel immediatè antè theriaca exhibeatur. At quoniam

sub

sub nominis Galeni patrocinio id ab his prolatũ est, videamus ideò an eis Galenus assentiatur imprimis: deinde an experimentũ huiusmodi vt certũ ac firmũ approbauerit, quod quidẽ ad id quod quærimus maximè facere arbitramur. Profectò hoc ipsum affirmasse Galenum videre est lib. de ther. ad Pison. cap. 2. sed in homine factum experimentum, certius euadere visus est his verbis ibidem affirmasse: ac si quis prius ipsam bibat, indéque paulò pòst ab aliquo serpente feriatur, irritũ esse venenũ illud cõpertum est: quod sæpenumero cõplures magistratus qui mortis & vitæ potestatẽ habent, & vtrum quæ promittit Antidotus præstare queat dignoscere volunt, in hominibus ob aliquod perpetratum facinus carnificinæ adiudicatis experiuntur. At quoniam non omnibus, neque semper id in hominibus experiri licere animaduertit, subdidit ideò protinus: Nos autẽ qui in hominibus periculũ facere non possumus, in aliis quibusdã animalibus periculũ de ipsa facere tẽtamus. Ex quib. verbis vel manifestè cõstat, nõ omnem eã fidẽ in experimento in brutis facto reposuisse Galenum, quã in eo quod in hominibus fit reposuit. Cõfirmat hoc illud quod de experiunda Lẽniæ terræ aduersus venena facultate, lib. 9. de simpl. med. fac. cap. de differẽtiis nominatę passim terræ, hunc in modũ scripsit: Et sanè nos quoque huius fecimus periculũ in lepore marino & Cantharidibus, cùm sese tale quidpiã accepisse homines suspicarẽtur: verùm hausto qđ Lemniã sphragida habebat medicamento, protinus omne euõmuerũt, nec postea vllũ illis accidit symptoma eo

rum quæ leporē marinū & Cantharides comitari cōsueuerunt: tametsi cōiuncta esset perniciosorū medicamentorū exhibitio: quin etiam, vt lib. 1. de Antid. cap. 1. scriptū est, Attalus omniū fermè simplicium medicamētorū quę venenis aduersantur sedulò vim expertus est, in illis hominibus qui morti addicti fuerāt, eáq. via cuiq. veneno suū certū inuenit Alexipharmacū. Ad hāc rē confirmandam quā scripsit Athenæus de inuenta mali citrij aduersus venęna facultate historiā maximè facere credimus. Coniecti enim homines in venenosorū animaliū cœtū vt morerētur, comestis à muliere illis obuia acceptis malis citriis venenosorū animaliū morsus euicerūt, factóq. ab vrbis præfecto eiusdē rei sæpius periculo de re huiusmodi certior is factus est. Porrò rationi maximè cōsonum est tutius esse ac certius factū in hominibus experimentū, quando etiā horū à venenorū periculis vindicandorū causa, nō propter bruta composita fuerit & inuenta Antidotus. Nō enim tātam cum hominū natura conuenientiam habent selecta ad huiusmodi experimentū bruta, vt fidendū prorsus sit. Nā & multa quæ hominib⁹ veneno sunt, quorundā brutorū nutrimento sunt. Nō spernendum propterea in brutis factū experimentū dicimus, tū quia nō semper in hominib. illud facere nobis datur: tum etiā quoniā id à Galeno aliísque antiquis Medicis approbatur. Quid causæ autē sit vt gallos non domi enutritos & contubernales nostros, sed syluestres ad huiusmodi experimentū faciendum cæteris brutis illi anteposuerint, non frustra quærat fortasse quispiam. Ob id quia ficciore sint tempe-

temperamento eos magis ex vsu esse, Galenus dicto cap. 2. libri de ther. ad Pison. existimauit. Sed nimis generalis est hæc respósio, & sine vlteriore declaratione obscura prorsus & incerta. Hanc antequã aggrediamur, illud præmonuisse præstiterit, syluestris galli nomine, non phasianũ masculũ, vt sensit Auicenna lib. 5. sum. prima tract. 1. cap. 8. intelligendũ nobis esse, sed gallum eum gallinaceũ qui quoniã ruri in libertate sicciore quodã cibo enutritur nec detinetur, syluestris propterea dicitur. Neq. aliam apud antiquos inuenies gallorum gallinaceorũ differentiã. Phasianos autẽ antiquitus extitisse altiles & domesticos Galenus affirmauit, lib. 8. de simpl. med. facult. cap. de Ouis. Cęterùm gallos gallinaceos ruri degentes hunc in vsum esse sumendos ex Galeno colligimus, lib. 3. de cõp. med. per Gen. cap. 3. vbi habet: Horum inopia agrestium gallorũ gallinarúmque, ita verò anserũ quoq. syluestrium: nã animaliũ quæ in vrbibus aluntur & tanquã in ocio conclusa sunt humidior est adeps & crassior. Per gallos igitur domi enutritos & contubernales nostros, eos qui in vrbe in ocio degunt, & per siluestres, ruri vagãtes Galenus intellexit in lib. de ther. ad Pisonem. Hi cùm propter assiduã corporis exercitationẽ, tum etiã propter vitę genus sicciores, vt audiuimus, iis constituuntur, qui in vrbe degũt in ocio ferè saginati. Cũ sint autem sicciores, maiorẽ cum venenis & ipsa theriaca habent cõuenientiam: siccitatéq. ad suos producendos effectus venenis & Antidoto fauente certius euadit experimentũ. Eorũ eapropter non est accipienda consuetudo, qui gallis

agrestibus dimissis columbis vtuntur domesticis. Dicent, arbitror, Aetium canem & columbam pro experienda theriaca laudare. Sed opio tātùm exhibito id genus animalia cum cōmendare est vt animaduertant. Hanc tandem hunc in modum compositam repositámque theriacam eo in loco detinendam esse ratio suadet, in quo nec exiccetur, nec humectetur nimis: vtroque huiusmodi excessu eam valde contaminare valente. Et vbi eam humidam nimis euadere contigerit, in ficciore loco vt corrigi possit vitium, erit protinus reponenda. Si ficcior ac par sit euaserit, pauco adiecto melle reddi poterit humida. Id docuisse Damocratem videre est his Iambicis carminibus:

Trades bibendam Antidotum, nec protinus,
Nec mora quam siccauerit prolixitas:
Sol si contingat, isto corriges modo:
Infunde mellis quod sat, quódque ferbuit.
Nam ipsum postquam commiscueris diu,
Vtile habebis quod corruperat dies,
Peiore at multum forte quod mistum semel.

Et hæc ea sunt quæ pro Antidoto nobilissima componenda, reponenda, conseruandáque dicere par fuit.

Libri primi Finis.

DE

DE VSV THERIACÆ.

Liber Secundus.

PRÆFATIO.

NIHIL *profectò esset maximam cùm in eligendis Theriacam ingredientibus medicamentis, tum in iisdem simul componendis adhibuisse diligentiam: frustrà item de eius repositione & conseruatione actum esset, nisi rectus eiusdem vtendi modus vltrò adijceretur. Nullum quidem quanquam leue medicamentum sine recta methodo in vsum ducere conuenit. Hoc autem aduersus pestes & venena pro vrbium cõseruatione communisque salutis causa inuentum, omnium medicamentorum mater appellatum, idem nostra opinione postulat, eoque magis quò maiorem inter reliqua medicamenta illud habet eminentiam. In quibus enim alia remedia vi morbi superata nihil contulerint, in his, vt Galenus sensit, theriaca exhibita egregiè operatur. Inter grauiora item medicamenta theriacam antiquos Medicos enumerasse certũ est, quam multis & iis quidem grauißimis morbis occurrere iidem constituerunt: imò eam rarò in vsum venire Celsus existimauit, lib.5.cap.23. quia grauissimis tantùm casibus opituletur, quibus nominibus nõ sine magna vita hominum iactura rationali me-*

thodo eius vsus carere posset. Optimum propterea esse medicamentum theriacam dicimus, mirandósque propemodum effectus producere, si rectum habuerit vsum: perniciosum è contra ferméque lethale, si malum. Vt enim si lyram aut Tibiam aliquis poßideat, nec vsum noscat, tantum est, ac si eam non haberet: sic qui Antidotum hanc domi continet nec vti sciat, nullam ex ea vtilitatem eum capere posse is censuit, qui librũ de vsu theriacæ ad Pamphil. scripsit. Extant quidem apud hunc authorem & apud Galenum, Ætium, Paulum, Auicennam, Serapionem, Haly Abbatem & Auerroem quædam de recto theriaces vsu monumenta: sed vniuersalia cùm sint, & propter breuitatem obscura, particulari quadam explicatione egere videntur: eámque præcipuè ob causam quòd eorum pleraque à recentioribus in controuersiam ducantur, néque tamen omnia, vt ipse sentio, rectè ac pro ratione determinata: ita vt apud plerosque in morbis nonnullis theriacæ damnandus abusus exortus esse videatur. Erit igitur tractatio huiusmodi de recto theriaces vsu, cùm vtilis, tum necessaria. Sed quoniam quicquid agunt in nobis medicamẽta, id per suas facultates agunt: quas propterea facultates habeat theriaca, scire imprimis necesse est. Indéque quos præsentes morbos sanet, & quibus imminentibus occurrat manifestum fiet: quibus item hominibus conueniat: & his quibus conuenit, quantũ, quomodo & quãdo sit exhibenda, hæc eadem commonstrabit. Quæ omnia ab his qui rectè theriaca vti volunt spectari debere, Galenus aliiq; antiqui Medici constituerunt.

QVAS

QVAS FACVLTATES HABEAT THERIACA.

Caput Primum.

THERIACÆ igitur facultatum cognitio rectũ eius vsum ostendit quidem: sed id assequi difficile satis esse intelligo. Plures enim prædicantur theriacæ facultates, hæque tum sua natura, tum etiam propter opinionum varietatem obscuræ sunt ac explicatu difficiles: quod probè cum cognouisset Auicenna, impossibile esse dixit de eis loqui sermone manifesto. Aliquid, dicebat ille, in lib. de Viribus cordis tract. 2. cap 4. est notum, aliquid verò ignotum. Notum est quod illi aduenit ex simplicibus, ignotum quod ei aduenit post commixtionem. Theriacam veneno viperæ & Scorpionis conferre, propterea quia in ea sunt medicamenta huius facultatis, notum est: quemadmodum etiam eam hepar excalefacere & cor: ignotum verò quod ex commixtione vires suscipiat humanæ naturæ valde conuenientes. Duplex igitur est, huius opinione, in genere theriacæ virtus: ab eius temperamento & manifestis qualitatibus prouenìens vna, & ab eiusdem forma specifica siue proprietate occulta enascens altera. Galenum eiusdem opinionis fuisse, & duas huiusmodi cognouisse in theriaca facultates priore libro sæpius admonuimus, hoc idem clariùs hoc loco demonstraturi. Quanuis autem eandem sententiam habuerit Auicenna, lib. 5. sum. prima tract. primo ab initio, res tamen ob recentiorum medicorum

varias opiniones facta est satis controuersa. Quis credat, dicunt aliqui, per manifestas simpliciũ quę suscipit in cõpositione medicamẽtorũ qualitates agere theriacã: qui didicerit (vt priore libro sępius dictũ est) simpliciũ medicamentorũ formã viresque in hac cõpositione minimè seruari: sed iis in fermẽtatione omnino deperditis, tertiam quandã formã nulli ex simplicib. medicamẽtis similẽ, sed diuersam enasci, quæ theriacæ effectus producit? In hãc sanè sententiã totus iuisse visus est Auicenna, in lib. de virib. cord. tract. 2. cap. 4. huiusmodi vsus argumentatione: si operatio theriacæ procederet ex parte simpliciũ, & nõ ex parte dispositionis quã sua cõplexio præbet, esset vtiq. recens efficacior & vtilior fermẽtata: cuius cõtrariũ tamẽ est. Hoc idem illud est quod Serapio lib. de Antid. tract. 7. cap. 8. his verbis explicauit. Caro viperarum in theriacæ mixtione non est caro, neque opium, opium sed est theriaca: sicut ignis & aqua in homine non est ignis neque aqua. Addidit deinde: Si conferret theriaca per vires medicinarum ex quibus componitur, tunc minimã quamque cuiusuis medicamenti portionem suas vires posse exercere fatendum esset. Cùm enim parua theriacæ portio siue quantitas exhibeatur, in ea medicamentorum simplicium portionem quàm minimam esse certum est: hanc autem illius simplicis medicamenti effectus producere posse impossibile est. Præterea in theriaces mixtione vini mellísq. medio ad minimas partes vniuntur medicamenta, inter séque deinceps agunt & patiuntur: ex qua mutua actione & reactione valdè illa

pati

pati & suas vires nō seruare necesse est. Deperditis igitur simpliciū medicamentorū viribus, per manifestas eorū qualitates theriacā agere posse videtur impossibile. At de facultatib. eius à forma specifica prouenientib. maior videtur esse dubitatio. Cùm enim ꝓprietas hæc substantialē rei formā consequatur, vt Cōciliator defendebat Differen. 178. vtique nisi per generationē introducitur, quod euenit in primā præcedente resoluēdo materiā: id autē, Natura fit, non Arte, cùm ipsa principiū sit intrinsecū, totū hoc in totū transmutans: hoc autē extrinsecum. Expedit etiam generatio, cùm sit Natura, subiectum in potentia, ars verò in actu, cùm eius tantū sit alteratione transmutare: theriaca verò arte cōficitur, & nō natura. Rursus subdebat ille idem ibidem: Nihil agit vltra suam speciem: quare si ars quæ facit theriacam faceret formam substantialem, sequeretur illam facere id quod natura facit. Addebat propterea: Si proprietas posset arte induci, cum substantiali forma quam sequitur induceretur, & ita ex ferro aurum, & ex auro ferrum ars facere posset. Sed & Galenus lib. 3. de simpl. med. facult. cap. 4. omnem mutationem à medicamento factam caliditate, frigiditate, ac reliquis qualitatibus primis fieri testatus est, vt ideò nulla à proprietate actio medicamentis debeat concedi. Elementa quoque, vt sensit Auerroes libri septimi de sapientia comm. 31. non agunt substantia sua, sed qualitatibus: quapropter quæ constant ex elementis medicamenta per qualitates, non per substantiam agere dicuntur. Porrò ex multis quæ aduersus

ciuſmodi occultas medicamentorum actiones plerosque adduxiſſe ſcimus, hæc pauca ſufficiant: quando de his quæ à proprietate agunt abſolutã hoc loco minimè profiteamur tractationem. Vtcunque autem ſit, eiuſcemodi medicamentorum occultas actiones ab ipſis primis qualitatibus vel omnino non, vel ſaltem obſcuriùs proficiſcentes dari, cùm antiqui Medici omnes, Galenúſque præcipuè, tum experientia ipſa teſtantur manifeſtè. Pudet pigétque Galeni & aliorum antiquorum Medicorum, loca omnia, in quibus ſine dubitatione id atteſtantur, hic adſcribere: tótque ſunt huiuſmodi ab eiſdẽ enumerata medicamenta, vt vel in dies per experientiam ipſam manifeſtentur certiùs. Ne tamen locus hic probatione careat penitus, aliqua tantùm in exemplum adducemus. Librum de huiuſmodi medicamentorum facultatibus ſemel Galenum promiſiſſe, in calce prioris ſermonis noſtri adnotauimus. In lib. 13. method. med. cap. 6. finem verſus, manifeſtiſſimis verbis quædam aſſerit eſſe medicamenta, quę totis ſubſtantiis ſuis, quædam quæ ſolis qualitatibus agunt. Auicennam eiuſdem generis medicamenta approbaſſe ipſius theriacæ exemplo, cui occultas ſæpius tribuit vires, ſatis conſtat. Cantharides ſolam veſicam, leporem marinum ſolos pulmones exulcerare nullus neſcit: neque tamen aliquis certam horum affectuum afferre poteſt rationem. Moleſtus nimis eſſem proculdubio, ſi pro hac re manifeſtãda pluribus vltro vterer. Qui verò contentiosè nimis hæc negarunt, ſuiſque rationibus ea euertere conati ſunt, ij Ariſtotele iudice ſenſum

ſum propter rationem relinquentes, pœna ſenſus digni ſunt. Theriacam itaque ex multis medicamentis occulta hac facultate præditis compoſitam, eandem poſt fermentationem habere, Galeno aliiſque id apertè aſſerentibus, credendum eſt. Atque ſicuti nihil nobis curæ eſt, facultatem huiuſmodi formam ſpecificam, vel proprietatem ſubſtantiæ occultam, vel à tota ſubſtantia appellari (quibus nominibus ad facultátem hanc nobis ſignificandam promiſcuè aliquando vſum fuiſſe Galenum conſtat) ita quid ſit hæc occulta facultas & quam cauſam habeat, qua in rei parte conſiſtat, an plures ſpecies habeat: aut quidpiam huiuſmodi de ea hoc loco diſputare non lubet. Occultam eſſe dicimus hanc facultatem, cuius medio mirandos effectus efficiunt medicamenta: cuius facultatis & effectuum ratio nulla reddi cùm poſſit, ſola ideò experientia nobis innoteſcit, quemadmodum loco ſcripto, & alibi ſæpius Galenus affirmauit: quare & eiuſdem experientiæ medio vires huiuſmodi theriacæ ineſſe antiqui medici cognouerunt. Atque vt verum eſt, obſcuram hanc facultatem theriacæ ineſſe: ita & veriſſimum, per manifeſtas quas dicunt qualitates & primas eandem agere. Loca in quibus Galenus & alij antiqui medici id atteſtantur, multa ſunt à nobis paulò infrà adducenda examinandáque. Idem ratione demonſtraſſe hoc loco ſufficiat. Tot medicamenta à medicis Græcis & Arabibus compoſita primarum qualitatum medio morbos depellere nullus, arbitror, in dubium vertit. Sunt tamen compoſita: & ſimplicia ex quibus compo-

nuntur suam formã exuũt,aliamq.omnino diuersam induunt, quæ compositi forma esse dicitur. Idem igitur de theriaca fateri conuenit, quæ suã formam ex medicamentorũ mixtione & vnione acquirit,& nihilominus per qualitates primas agit. Fatemur nos quoq.simplice simpliciũ medicamentorum formã in cõpositione deperdi, tertiamq.aliã enasci omnino diuersã. In hac tamen primarum qualitatũ vires adhuc seruari dicimus. Porrò cuiusq.simplicis medicamenti vires, refrigerãdi,exiccãdi,excalefaciedi,humectandi,in cõpositis medicamentis integras minimè seruari cõcedimus.Ex his tamen compositũ medicamentũ exiccare,humectare,excalefacere, refrigerare dicimus. Et vbi de sola theriaca particulariùs loqui placeat:simpliciũ quorundã medicamẽtorum eã ingredientiũ vires integras quodã saltem tẽporis spacio seruari, vnius opij suas vires integras toto primo anno seruãtis exẽplo docemur. Quę miscẽtur inter se simplicia medicamẽta per primas qualitates agẽtia,concentũ quendã constituũt,aliquã ex dictis qualitatibus per quã agat habentẽ præcipuè. Neq.ad id demonstrandũ & magis confirmãdũ aliud certius succurrit argumentũ eo,quod ex Serapione in contrariam partem suprà adductum est. Sicut ignis & aqua in homine non ampliùs est ignis neq.aqua: ita caro viperarum & Opium in theriaca caro & opium ampliùs non sunt. Ex hoc autem illud sequitur, nostra opinione, vel manifestè: vt sicuti ex mixtione aquæ & ignis & aeris & aquæ fit homo calidæ,vel frigidæ,vel siccæ vel humidæ cõplexionis, in quo elemẽtorum actiones

actiones reseruantur:sic ex multorum medicamē torū mixtione fiat compositum,quod theriacam dicimus, simplicium medicamētorum facultates retinens:vtq.deinde docebimus, excalefaciens & exiccans.Non est omniū etiam consensu philosophorū impossibile, quæ mixtionē ingrediūtur simplicia,siue in naturalibus id eueniat,siue in artificialibus,suarū viriū aliquid seruare,licèt priorem formam omnino amittant. In naturalibus id manifestū faciunt elementa, in hominis generatione suas vires duntaxat seruantia,& formā primam exuentia.In artificialibus,quæ per alembicum vi ignis eliquantur medicamenta idem confirmant vel manifestè.Et ex his ad argumenta in oppositam partem adducta patet responsio.Non dicimus nos theriacam excalefacere per singulam quandam simplicium medicamentorum minimam portionem, quæ in ea pauca quantitate oblata continetur: sed per totam eam quantitatē quæ offertur, cùm ex his constet medicamentis, quæ excalefaciunt.Exēpli gratia:Piperis,Gingiberive,scordij aut Acori granū vnū deuoratū minimè excalefacere poterit:ex his omnib. simul mixtis factū medicamentū excalefaciet proculdubio. In drachma vna theriacæ modicum quid Piperis in eo existens, & aliorū similiter medicamentorū portio minima excalefacere haud potest:sed omnia simul mixta drachmam illam constituentia excalefacient. Hoc idē alio medio declarauit Auer.in lib.de ther.cap.primo, quæ res cùm cuique eū locū legenti manifesta esse possit, non debuit hic à nobis vltrò exscribi. Quod de mutua

interſe medicamentorum actione & paſſione dicebatur:id ex his quæ in calce prioris libri de theriacæ viribus ex ea mutua actione & paſſione reſultantibus docuimus corruit. Rem hanc igitur totam perſtringamus breuiter,& ex tot medicamentorum mixtione ac fermentatione formam quandam tertiam enaſci dicamus omnino diuerſam,ex qua actiones, tum primarum qualitatum manifeſtæ, tum etiam ex totius ſubſtantiæ proprietate occultæ prodeunt. Et per hæc his quæ dixit Auicenna reſpondetur pariter, quem lib.5. ſum.prima tract.& cap.primo ſcripſiſſe certum eſt:non efficere theriacam ſuas operationes, niſi propter proprietatem formę eius,ſequentem cõplexionem ſimplicium ipſius. Pro harum autem occultarum actionum defenſione iis breuiter reſpondendum eſt,quæ in cõtrarium adducta fuere. Ad primum itaque dicimus formam ſubſtantialem in artificialibus impropriè dici,in eúmque ſenſum accipi:vt ſicuti in naturalibus per generationem forma ſubſtantialis introducitur, quæ operationes edit, ita in artificialibus forma quædã impropriè ſubſtantialis dicta per mixtionem introducitur,ex qua compoſiti actiones proueniũt. Et quanuis Naturam Ars imitari pro virili conetur, idem tamen cum natura facere nec poteſt, nec intendit,quod ſecundo loco obiiciebatur. Quanquam enim ars in compoſitione theriacæ multa congeſſerit,eandémque pro virili cum natura rerum ſymmetriã ſeruauerit, calórque cœleſtis ex iis proceſſu temporis formam quandam introduxerit, mediante coctione & fermentatione,non

ne,non tamen adhuc propriè omnino substantialem hanc formam dixerim, si quidem partes multas in eiusmodi opificio ars habuit. Ad Galenum lib.3.de simpl.med.facult.cap.4. non placet cum multis respondere, etiam occultas actiones, ab ipsis primis qualitatibus prouenire: quãdoquidem est hoc in magna apud multos positum con trouersia. Dicamus potiùs loqui eo loco Galenũ de actionibus manifestis, quas omnes à frigiditate, caliditate, siccitate, & humiditate proficisci certissimum, de occultis postea alibi ex professo locuturũ. Id verò quod ex Auerroe vltimo loco deductum est, eandem habet cum primo argumẽto responsionẽ: quia substantiæ nomine vtantur medici impropriè: vtq. per qualitates ipsas medicamentorũ manifestas actiones fieri certi sumus, ita occultas à substantia vel à forma prouenire prorsus ignoramus. Dicuntur illæ quidem occultæ, nõ quia occultæ sint (eas enim cùm lubet obseruamus) sed quia causam consequuntur nobis penitus ignotam & obscuram, quam proprietatẽ substantiæ, formã specificã, proprietatẽ occultã nomina quædam ad placitũ effingentes appellasse medicos ab initio admonuimus. Theriacæ igitur duplices in genere insũt vires: manifestæ aliꝑ, & aliæ occultæ. Modò quænam & quot hꝑ sint, inquiramus, sumpto ab his quæ occultæ sunt, à nonnullis digniores appellatæ, initio. Esse Theriacam ex Alexeteriorum siue Alexipharmacorum eorum genere quæ à tota agunt substantia, non eò tantùm argumento constat, quòd id communiter ab omnibus receptum sit: sed quia etiam id

ratione demonstretur. Etenim eiusmodi à tota substantia agentia Alexipharmaca, Galeno magistro lib.5.de simpl.med. facult.cap.18.naturam habent mediam inter corpora perpetientia & medicamenta ipsa siue venena lædentia:vt videlicet eadem sit proportio corporis ad facultatem Alexeteriam, quæ illius ad deleteriam, & rursum deleterij ad Alexeterium,quæ Alexeterij ad corpus.Ea propter propemodum omnia quæ deleteriis aduersantur,si largiùs sumpta fuerint,grauiter animantis corpus oblædunt. Quamobrem ea moderatione quantitatis omnes id genus facultates, dicebat ibidem Galenus, exhibere oportet: vt neq.copia nimia corpus offendãt,neq. exiguitate sua à deleteriis vincantur.Sed hac quantitatis moderatione in vsum venire debere Theriacam, Galenũ & alios iussisse in ea huius libri parte manifestum fiet,quæ de theriacæ quãtitate offerẽda pertractabit.Theriacã itaq. ex eorum Alexipharmacorum genere esse certum est,quæ à tota agũt substantia. Hoc idem inde euadit manifestius, quòd ex his sit composita theriaca medicamẽtis, quorum occulta proprietas venenis est aduersa. Cæterùm cùm sint hæc quoque in duplici differentia,vt eodem loco Galenus docuit, quia scilicet vel alterando agunt,vel euacuando: vtranque vim possidere theriacã dicimus. Citra nanq.euacuationem intrò assumpta venenis omnibus, & venenosis animalium morsibus,cuiuscunq.generis fuerint venena morsúsue,calida aut frigida,occurrit theriaca:vt ex Andromacho ipso &aliis intelligemus deinde.Sed & foris admota theriaca substan-

ſubſtantiæ ſimilitudine morſis à venenoſo aliquo animali, aut partibus aliter à veneno infectis, medicorũ, omniũ antiquorum & recentiorum conſenſu, vtiliter adhibetur. Negandum non eſt Theriacam excalefaciendo, exiccando, attenuando & ſudores mouendo venenis occurrere interdũ, ſed accidentalem eſſe hanc eius actionem dicimus, non propriam & eſſentialem, qualis alia proximè dicta. Hæc igitur prima eſt theriacæ occulta dicta proprietas, veneno nimirum cuiq. & venenoſi cuiuſq. animalis morſui primò ac per ſe per ſubſtantiæ ſuæ actionem nobis occultam mirificè occurrẽdi. Andromachus, Galenus, Oribaſius, Aetius, Paulus, Actuarius, Myrepſus, Auicenna, Haly Abbas, Serapio, Auerroes & poſt hos quicunq. de rebus medicis in hanc vſq. diem ſcripſerunt, id aſſeueranter affirmarunt. Perpetua tamen hæc non eſt in theriaca facultas, quæ, vt in calce prioris libri demonſtratum eſt, poſt triceſimum ab eius compoſitione annum euaneſcit. Sed nõ minus occultæ ſunt actiones à Galeno in lib. de ther. ad Piſon. cap. 15. 16. & vltimo, eidem attributæ: animi nimirum morbos ſanandi: prudentiam & ingenij acumem faciendi: nec non & vitæ tempus producendi. Animi morbos ſanare theriacam ſumma eſſe admiratione proſequẽdum, Galenus cap. 15. modò adducto conſtituit, tã quam id perinde faciat, ac ſi in his qui melancholia tentantur è ſplene ac reliquis membris atram bilem exugeret: cùm tamen huius theriacæ facultatis nulla ei ratio innotuerit. Compertum item eidem eſſe teſtatus eſt, cap. 16. in fine, theriacam

ad animi prudentiam & ad ingenij acumen haud parum conducere:quandoquidem,inquit,& sensus actiones suas fortiter obire faciat, & mentem à vaporibus corporis liberando solertem magis reddat.Præcisam tamen & proximam tanti effectus causam vltrò non attulit. Sed quis causam, cur hoc idem Alexipharmacum vitæ tempus producat, sese inuenire profitebitur,cùm ob venena quæ continet contrarium potiùs facere aptũ esse videatur? Profectò non in eũ sensum vitæ productionem eo loco Galenus intellexit, quæ morbis depulsis nobis euenit: qui iam de multiplici eius aduersus morbos vitæ insidiãtes virtute antea plenè locutus fuerat,sed de admiranda vitæ productione,calore ipso innato in nobis diutius conseruato, locutus est, cuius nulla euidẽs adduci potest ratio.verùm & inter admirandos occultósq. theriacæ effectus is enumerandus est,quem aduersus aquæ formidinem morborũm omnium pessimũ magno encomio Galenus enuntiauit,cap.16. libri proximè adducti. Profectò calidum & siccum medicamentum,qualem postea docebimus esse theriacam,aquæ formidinẽ auferre,strenuéq. aduersus tot malorum concursum dimicare,quibus nõ solùm corpus exiccatur, & interdum contrahitur, febréq. intus aspera comburitur:sed etiã animus delirat,& difficillimo symptomate molestatur,vt admirationem habet maximam, latentem ita & nobis prorsus ignotam habet rationem.Sed alias huius Antidoti vires occultas eodem loco nobis retulit Galenus,pestis nimirum præsentis euincendæ,imminẽtis arcẽdæ,optimæ corporis tẽperatu-

turæ

turæ constituendæ, bonæ valetudinis conseruandæ, totiúsque corporis ita disponendi, vt à nulla re noxia corrũpatur. Quanquam enim effectuum horum quorundã rationes quasdam attulisse visus sit eo loco Galenus: eæ tamen ex æquo non satisfaciunt, vt ad occultum quidpiam sit nobis ex necessitate confugiendum. Hanc rem si quis nobiscum paulò attentiùs considerauerit, eam sic se habere intelliget. Theriacam pesti occurrere, tanquam ignis purificans & ipsa esset: ipsos quidem qui sani adhuc ipsam biberint non permittere vt pestilentia prorsus capiantur: illos autẽ qui iam ægrotent, sanare posse, cùm aëris inspirati malignitatem commutando, tum corporis temperaturam corrumpi non sinendo, eo in loco Galenus asserit. Quorũ effectuum rationem quis reddat manifestam? Iam pestem ipsam ceu bestiam venenatam ciuitates depascere priùs Galenus dixerat. Pesti igitur ea vi occurrit theriaca, qua venenis aliis aduersatur: sed hæc est occulta. Hippocrates, Galeno ibidem enarrante, pestem illam ex Aethiopia ad Græcos venientem, accenso per vicos & plateas igne ad aerem qui corruptus erat expurgandum, repulit. Hoc idem posse theriacam assumptam Galenus admonet. An fortè tantam excalefaciendi exiccandíque vim theriacæ inesse dicemus, quantam ignis habet? optimam corporis temperaturam quódnam medicamentũ theriaca excepta facere potest? multa quidem medicamenta dum intemperies remouent & temperiem fouent, natiuam sanitatem recuperant & conseruant. Sed quæ sua natura non

bona est temperatura ad optimam reducere, solius ferè naturæ effectus est. Virtutis quidem naturalis confirmatio à manifestis qualitatibus prouenire interim potest: magna tamen ex parte ab occultis medicamentorum proprietatibus præstari dicitur. Quæ præterea ratio reddi potest, nec etiam subobscura, vt medicamentum aliquod suis manifestis qualitatibus totum corpus disponat vt à nulla re corrumpatur? Hanc resistentiam, inquit Galenus, procreat tam varia & efficax tot medicinarũ compositio, & præsertim quæ ipsam ingrediuntur viperæ. Quare ex multiplicium medicamentorum vnione formam quãdam tertiam occultè agentem resultare iam docuimus, viperásque, tanquam proprietate sua miram aduersus venena & alios morbos vim habentes, ab Andromacho in theriaces cõpositione adiectas fuisse in initio prioris libri explicauimus. Sãguinem, inquit libri de vsu ther. ad Pamphil. author, theriaca bonum reddit: non quia malam sanguinis qualitatem excernat: sed quia eius contumaciam vincat, & ex inimica amicam efficiat. Quin & eos quas malignas aquas bibere necessitas cogit, theriaca assumpta tanquam lorica corpus suum tueri, ille idem scripsit: neque tamen huius rei euidẽs ac certa extat ratio. Auicenna in libello de viribus cordis tract. 2. cap. 4. nullam medicinarum compositarum æquiparari theriacæ & Mithridatio dixit, in conuenientia ad complexionem humanam, idque cur sit ignotum omnino esse. Nam, inquit, & sapientes speculatores præcisè determinasse, quòd directio seu cognitio ad composi-

tionem

tionem istarum medicinarum processit ab inspiratione ac prouidentia diuina, aut à re inspirationi simili. Etenim deductio rationis non pertingit, sua opinione, efficaciam compositionis ipsarum. Hic idem author, lib. 5. sum. prima tract. primo ab initio, morbos tam frigidos quàm calidos theriacam euincere scripsit: quam rem admiraberis potiùs quàm in suas causas reducere valeas. Minùs quoque rationem reddes, cur nostri corporis facultates theriaca exuscitet, quod ab Actuario scriptum est lib. de spirit. animal. nutrit. cap. vltimò. Sunt hæ itaque operationes: theriacæ ab ignota nobis causa prouenientes aduersus quas videre videor insurgentem aliquem, & quia optimam his temporibus non confici theriacam existimet, non posse nos hos admirandos effectus ab ea expectare asserentem. Huius discriminis illud nimirum in causa esse existimauerit, quòd plura à nobis desiderentur generosa pretiosáque aromata, quæ legitima & omnium præstantissimà suis Antidotis imponebant Mithridates, Attalus, Andromachus, Galenus & alij complures veterum, & quæ ingenti pecunia summo studio ac labore ab Arabum, Aethiopum, Troglodytarum, aliarúmque diuersarũ gentium regionibus illius florentissimę ætatis Imperatores Romam afferri curabant. Verùm enimuerò quęcunq. fuerit superioris ætatis conditio, illud hac nostra ætate certissimum cuique esse potest, multa ob temporis iniuriam aut potiùs propter hominum negligentiam penè derelicta & prætermissa in pristinum candorem esse reuocata, & suæ integritati restituta.

Atteſtantur hoc imprimis præclariſſimorum huius temporis medicorum ſcripta: apertis deinde vndique viis, ac ad omnes etiam remotiſſimas regiones patefacto aditu, multa ad nos adferuntur medicamenta ex iiſdem quæ tantopere antiquitas celebrauit, & quibus Patres noſtri omnino caruerunt, vt propterea Medicorum doctiſſimorũ accedentibus ſtudiis optimam theriacam parari poſſibile ſit. Huic ſi tanta adhiberetur fides, quantam antiquitas habebat, illiúſque vſus aſſiduus reuocaretur: priſtinam ſine dubio reaſſumeret exiſtimationẽ antidotus nobiliſſima. Marco enim Antonino Imperatore Romano aſſiduè & cum magna vtilitate theriaca vtente, magna medicamento ipſi acceſſit exiſtimatio. Hodierna autem die in nullo ferè eſt illa precio, paucíque ea vtuntur, eiúſque ideò admirandi effectus non obſeruantur. Quis eſt qui ad tuendam valetudinem theriaca vtatur: ſi tuendæ valetudinis ars, medicinæ pars præſtantiſſima, cùm ferè deſueuerit iacet inculta prorſus? Quis ad animi mores cõponendos Medici auxiliũ implorat? Quis ad ingeniũ acuendum & corporis temperamentum renouãdum ad medicinam confugit? Paucos profectò Medicos in morborum curationibus theriaca vti animaduertimus: imò aliquos eius vſum damnaſſe prorſus, illiúſque compoſitionem iudicaſſe ſuperfluam ipſimet aliquando audiuimus. Sanè verò vt medicamenti cuiuſque frequens vſus illius vires facit in dies manifeſtiores: ita idem, ſi rarè in vſum venerit, in obliuionem ferè ibit. Sed vteunque ſit, quæcunque aduerſus theriacam ſcripta

pta fuisse legimus, ea omnia illius compositionem vt imperfectam supponunt: quæ siue ex optimorum medicamentorum penuria, siue ex componentium ignorantia proueniat, ob id propterea in ipsam Antidotum non est referenda culpa, neque sua laude est illa priuanda, quam nos hoc loco & optimam & optimè compositam supponimus. Sed his omissis ad eas theriacæ facultates inquirēdas accedamus, quæ à manifestis eius qualitatibus proficiscuntur. Has quidem tum ad rectam eius vsum assequendū inuenire necesse est: tum etiam ob eam causam, quòd, vt authori libri de ther. vsu ad Pamphil. placuit, si ad morsus serpentum & ad venena tantummodo faceret theriaca, oporteret eam domi repositam tanquam picturam aliquam aspernari, nullo ferè vsu: sed sola vetustate absumēdam quandoquidem rari sint venenorum & venenosorum morsuum casus. Excalefacit hæc igitur atque vnà exiccat, Galeno magistro lib. 8. meth. med. cap. 7. cuius sententiam ex professo acceperunt Auicenna lib. de Viribus cord. tract. 2. cap. 4. & Auerroes lib. de ther. cap. vltimo. Eo item argumento theriacam exiccare Galenus comprobauit: quòd ad vlcera pulmonis purulenta exedentiáque exiccāda se illa fœliciter vsum fuisse testatus est, lib. 4. de loc. affectis cap. 8. Atque hoc non ob id tantùm affirmandum est, quòd à magistris hisce nostris manifestè enuntietur: sed quia rationem habet euidentem, & illam quidem multiplicem. Mithridaticā compositionem excalefacere exiccaréque vno omnium cōsensu Medicorum affirmare licet: at theriacam

minùs quidem excalefacere, ſed magis exiccare maior pars affirmat. Si deinde eius compoſitionē ingredientium medicamentorum temperamentum attentiùs paulò conſideraueris, idem promptiùs concedes. Quanquam enim ſex frigida recipiat medicamenta: ſuccum ſcilicet radicis dulcis, roſas ſiccas, terram Lemniam, ſuccum Hypociſthidis, Acaciam & Opium, reliqua tamen omnia cùm ſint ad vnum calida, in maioríque quantitate ſumpta (quorum alia in primo, alia in ſecundo, alia in tertio ordine excalefaciendi vim habent) ſuperata ab his frigidorum temperie, compoſitionem ipſam calidum medicamentum euadere neceſſe eſt. Quoniam autem maxima imprimis frigiditatis eſt actio, quæ non ita facilè & cito à maiori caliditate euincitur, & quod in theriaca ingreditur Opium tantæ frigiditatis eſt (refrigerat enim in quarto ordine) vt vel maximè reſiſtat excalefacientibus: hinc fit vt intermedio eo tempore, quo per contrariorum horum medicamentorum actionem & paſſionem frigidorum vis euincitur, excalefacientem adhuc non habeat theriaca facultatem, ſed refrigerantem, hoc idem affirmante Galeno ipſo, qui Matronæ illi Romanæ ex ſalſo catharrho ſanguinem expuēti, ad ſanguinem reſtringendum & ſomnum inducēdum, theriacam quarto tantùm menſe compoſitā obtulit. Ac idem in lib. de ther. ad Piſon. cap. 15. ſæpe theriacam furentium deliria generosè ſedaſſe excitato ſomno, ac per eū etiam animi turbulentiam perplexáſque cogitationes eandem ſedaſſe, ſcripſit. Atque vt id poſtea ad hanc vſque diem

apud

apud omnes receptum est & experientia confirmatum: ita ab ipsius theriaces fermentatione refrigerantem eius vim deperdi & excalefacientem induci, eo quisque persuaderi debet argumento, quòd post fermentationem theriacæ nullum particulare medicamentum suas peculiares vires retinet, sed ex forma illa specifica enata aliæ vires prodeunt, quas ex necessitate excalefacientes esse nuper docebamus. Hoc idem verisimili satis cõiectura vltrò cõfirmatur, quia Galenus refrigerare, somnúmque inducere in animo cùm haberet, theriaca non adhuc fermentata, quatuor tantùm menses ante confecta vsus est. Qui frigidam non esse primis sex mensibus theriacam contendunt mordicùs, quia excalefaciat, eorum opinione, opium: hi & ab experientia ipsa, & ab his quę de Opij facultate priore libro scripta sunt redarguuntur. Cæterùm vim excalefacientem habere theriacam licèt verùm sit, sub quo tamen excalefacientium gradu illa reponenda sit, vltrò inquirendũ est: vt hinc quoque rectus magis apud nos sit illius vsus. Hanc rem determinasse visus est Auicenna loco paucis ab hinc assignato, in fine secundi gradus calefacientem constituens theriacã, quod quidem rationem habere videtur qua confirmetur manifestam. In theriacæ enim compositione nullum assumitur medicamentum, quod ad quartũ excalefaciẽdi ordinem pertineat (chalcitis nanque vbi vsta probè fuerit, exurentem amittit vim) sed aliqua assumuntur calida in tertio gradu, quædam in primo, & longè plura in secũdo: nonnulláque, vt diximus, refrigerantia. Quæ

propterea tertij ordinis excalefacientium sunt, ab his quæ primi sunt & secundi remittuntur, multóque magis à refrigerantibus. Omnia igitur inter se si commensuraueris, excalefacientem huius medicamenti vim ad tertium gradum accedere minimè posse inuenies. Cæterùm si hoc tanquam proprium theriacæ temperamentum constituere cogamur: id illi in suo vigore existenti, erit vtique à nobis assignandum. Nam ante fermentationem si refrigerat, in contrarium certè statum sine medio deduci haud potest. Quare statim à fermentatione secundum caliditatis gradum minimè suscipiet, sed primum tãtùm: crescente autem eius vigôre & caliditas augebitur, vsque quo secundus gradus fuerit introductus. Sanè verò id ex eo confirmationem suscipit, quòd annorum duodecim spacio suam omnem perfectionem theriacam acquirere demonstratum est in calce prioris libri: quo tempore valentiores euadunt eius manifestæ qualitates. Non inanis propterea eorum est coniectura, qui theriacam vsque ad septimum aut octauum annum (fermentationis tamen tempore excepto) in primo excalefaciendi ordine consistere dicunt: inde verò ad secundum deinceps peruenire: ita vt in anno duodecimo non parum etiam sit in eo ordine progressa: in quo deinde statu si optimè conseruetur, vsque ad annum tricesimum permanet, à quo tempore vsque ad annum quadragesimum aliquid dictæ caliditatis amittit, & sic deinceps vsque ad sexagesimum declinat. Porrò etiam exiccantem vim theriacæ inesse, non multum difficile est demonstrare. Hæc

enim

enim omnia ferè medicamenta suscipit in compositione exiccantia:inter quæ quædam sunt quæ eximiè exiccant,pastilli nimirum Hedychroi,carnes viperinæ & Opium. Hedychroum medicamentum exiccare, vel ex eo Galeni loco constat, qui ex lib. 4. de locis patiētibus proximè assignatus est. Carnes viperinas exiccare pariter idem Galenus cōstituit lib. 11. de simpl.med.facult.cap. de vipera:imò ingentem exiccandi eius esse facultatem docuit. Opium quoque exiccare (quicquid apud quosdam circa hoc in controuersiam ducatur) eiusdem Galeni fuit opinio lib. 1. de temp. cap. 2. quem sequuti sunt, Rasis, Auicenna & Serapio, in quarto exiccantium ordine illud reponentes. Quapropter cùm satis insignē Opij,throchiscorum viperinorum & Hedychroi quantitatem recipiat theriaca, & alia multa quoque contineat in tertio ordine exiccantia, eius propterea vim exiccantem tertij ordinis esse bona ratione constituerunt. Et quanuis ab eius compositionis initio maximè in ea vigeat Opiū, quod maximè exiccat: non tamen eo tempore magis exiccare theriacam dicendū est, procedente verò illo hanc facultatem imminui. Nam etsi vim Opij refrigerantem ab aliorum medicamentorum caliditate euinci tādem necesse sit: cùm tamen omnia fermè alia medicamenta exiccent, siccitas propterea eius minimè retunditur, sed semper perdurat, quare & theriacam vsque in finem exiccare certum est. Difficultatem tamen illud facit, quòd recentem theriacam, antéque fermentationem potissimùm, somnū inducere & incrassare, vel Ga-

lenus ipse, vt proximè audiuimus, constituerit: súntque hi humiditatis effectus euidentissimi, asserente eodem Galeno lib. 4. de rat. vict. in acut. com. 4. à multa humiditate propensionem ad altiorem somnum fieri, à multa verò siccitate vigilias. Vrgeret sanè maximè argumentum, si solam humiditatem somnum cõciliare verum esset: sed quoniam & solam frigiditatem id posse Galenus determinauit, lib. primo de symptom. cau. cap. 8. mirandum propterea non est recentem theriacã, etsi exiccet, ob multam opij frigiditatẽm somnũ posse inducere. Et hæc eadem quia insignis est, licèt siccitati iuncta sit, incrassat nihilominus. Cùm enim opium in multa quantitate eius cõpositionẽ ingrediatur, eius tanta vis est ab initio, vt euinci à reliquis non potuerit, quod postea tempore procedẽte euenit. Theriaca igitur vsque quo fermentata est, refrigerat strenuè & exiccat. A fermentatione vsque ad septimum & octauum annum excalefacit in primo: procedente deinde tempore vsque in finem, in secundo tertium versus. Perpetuò autem tertij ordinis exiccantiũ est. Hæ itaque sunt manifestæ theriacæ facultates, per quas alias eiusdem facultates secundas dictas ab his prouenientes cognoscimus protinus. Nam quo tempore refrigerandi vim possidet theriaca, eodem eandem incrassandi, reprimendíque & adstringendi facultatẽm habere inde manifestũ fit, quòd ipsius frigiditatis effectus proprij sint hi. Cùm verò excalefaciens est, quia simul exiccat, attenuandi propterea, digerendi, dissecandi, & attrahendi, & discutiendi vires habet. Quę nanque siccitatem cum

calidatate

caliditate iunctā habēt medicamēta: ea attenuare, digerere, dissecare, attrahere, ac discutere, Medicis omnibus Galenóq; prę sertim receptū est iam diu. Cæterùm quia multa aromata continet hæc Antidotus, roborandi ideò vires habere dicitur: fit hoc quandoquidem aromatum omnium proprium. Hæc porrò omnia tanquam ex rei natura deducta, & ratione confirmata, à Galeno & aliis antiquis Medicis particulariùs fuere affirmata. Aperire theriacam, penetrare & attenuare scripsit Galenus lib. de theriaca ad Pison. cap. 15. & 16. Eandem crassos humores dissecare & attenuare affirmauit Aetius tetrab. 4. serm. primo cap. 96. Et Actuarius lib. de spirit. animal. nutrit. cap. vltimo, per habitū digerere theriacam & attenuare scripsit. Roborandi facultatem huic eidem inesse loco dicto Galenus docuit, veluti & dissecandi, digerendi, & attenuandi. Abstergentem autem vim eidem idem tribuit lib. 2. ad Glauc. cap. 13. sed ab initio vigente hac in Antidoto Opij facultate refrigerante eam somnum inducere, incrassare, adstringere, reprimeréque hi omnes vno ore affirmarunt. Sed nec illud silentio hoc loco prætereūdum esse nobis visum est, quod ad omnes theriacæ facultates manifestandas pertinere videtur, & quod Galenus scripsit lib. de ther. ad Pison. cap. 15. & 16. eam scilicet hepati, lieni, cordíque præcipuè amicam esse, ad eiúsque morbos superandos peculiari quadam vi pollere. Ex his itaque enarratis theriacæ viribus eam per primas, secundas, & occultas quomodolibet qualitates agere manifestum est.

NVM SANITATI CONSERVANDÆ SIT APTA THERIACA.

Caput Secundum.

PORRÒ multiplices hasce theriacæ facultates morbis quampluri mis valenter occurrere, vt constans est ac certum, ita quoque ab antiquis Medicis omnibus ac singulis affirmatum: quod antequam vltrius explicare aggrediamur, illud priùs examinare præstiterit, quod tũ ad maiorem Antidoti laudem facit, tum etiam eius vtilitatem amplificat & ad perfectiorem tractationem attinet. Est hoc autem, An sanitatem ipsam conseruare sit apta nata theriaca. Quæ ad sanitatem conseruandam auxilio sunt, ea hominibus esse necessaria Galenus existimauit, lib. de cibis boni & mali succi cap. 4. Quin etiam vt nautæ honorificentius est in tempestatem non incidere, quàm eam euadere, nobis ita longè honorabilius esse hominem à morbo immunẽ seruare, quàm morbo oppressum sanare idem constituit. Magna eapropter medicamento admodum insigni ac pretioso fieret iniuria, si hæc eius virtus amplissima non patefieret, cùm præsertim non defuerint qui hanc sanitatis conseruandæ facultatem illi inesse negarunt, solósque morbos abigere illud posse contenderunt. Horum dux & antesignanus fuit Auerroes, suscepta ex industria aduersus Galenum & Auicennam in libro suo de theriaca in cap. 2. de re huiusmodi disputatione. Neque verò in dubium verti posse video eũ de theriaca tractatum Auer-

roïs

rois genuinum esse, si ab eodem lib. 7. sui Colliget in cap. 2. ex professo adducitur. Sanitatis autem conseruandæ titulus generaliter hoc loco à nobis assumendus est, eiusdem præsertim Auerrois idē in dicta disputatione obseruantis occasione, prout nimirum vel in tutela hominis optima valetudine fruentis versatur, vel eius qui iam in morbū cadere paratus est defensionem suscipit. Qui verò optima valetudine frui dicitur, is vel eam perfectam habet & absolutam, vel ab optima parum declinantem: ille item qui verè adhuc non ægrotat, sed morbum habet in se in ipso, vt dicitur, fieri, nec lōgè est progressus: hi omnes sub titulo sanitatis conseruandæ continentur, qui communi nomine προφυλακτικός à Grçcis appellatur: quib. omnibus modis theriacam sanitatem conseruare posse docere imprimis conabimur: quæ deinde aduersus hoc mordaciùs, vt sui moris est, ad Galenum alióśque Medicos carpendos Auerroes adduxit euertemus. Itaque incipiamus ab eo quod apud omnes est in confesso, & vbique citra controuersiam recipitur, theriacam scilicet, vbi rectum in vsum veniat, corpora nostra ita præmunire, vt si fortè fortuna vel ab animalibus mordeantur venenosis, vel alitercunque veneno aliquo interfici tententur, irrita hæc euadant omnia, pręsentémque sanitatem vnà cum ipsa vita in optimo statu suo conseruet foueátque. Quòd ad venenosorum animalium morsus attinet, eorum nobis meminisse facile est, quæ in calce sermonis nostri prioris de theriacæ facultate explorãda ex Galeno & aliis antiquis addūcta fuere;

qui nimirum hanc ebiberint optimam, eos à venenosis animalibus tametsi mordeantur, immunes nihilominus euadere & in pristino statu conseruari. Idipsum hisce carminibus testatus est Andromachus:

At qui calcati morsu serpentis anhelat,
Ignarúsve doli toxica nigra bibit.
Et cùm mane nouū, & cùm se Sol abdidit vndis,
Sumat ab æquali pondere, tutus erit.

Hæc quidem de euincendis præsentibus venenis cecinisse ille potuit, qui paucis antea de præseruatione à peste hunc in modum cecinerat:

Neu te dira lues, neu lædat noxius aër:
Hanc cape cùm primo est Sole renecta dies.

At venenis intrò sumptis hanc eandem Antidotum miro quodam modo obuiam ire, eorúmque lethale virus irritum facere, Mithridatis historia à Galeno, in lib. de theriac. ad Pison. cap. 16. & ab eo qui primum librum de Antid. scripsit cap. primo, ad verbum hunc in modum scripta vel planè demonstrat. Nam & Mithridatem illum bellatorem magnum ferunt non assumpta theriaca, quæ nondum erat, sed alia quapiam multiformi antidoto Mithridatica de illius nomine dicta, non potuisse sumpto veneno mori: quoniam sic illius membra temperauerat, vt à re noxia pati non possent. Hoc autem contigit, quo tempore bellum cum Romanis gerens à Pompeio profligatus, atque in extrema fortuna constitutus, illæsus è vita decedere festinabat. Hausit itaque venenum & plus etiam quàm satis esset, ebibit, nec tamen ipse mori potuit: filias verò ipsius quæ cū patre vitam finire

prorsus

prorsus decreuerant, atque ideò ex eodem quoq. veneno hauserant, celeriter occubuisse tradunt. Mithridates igitur cùm mori tardaret, eò quòd Antidotus quam præsumpserat venenum redderet irritum, vnũ ex amicis nomine Bistocum, cui mandauit vt se iugularet, vocauit: is autem opus veneni ferro absoluens Mithridatẽ violentá mortẽ cõfecit. Eorum autem occasione qui ad detrahendam ab eo libro Galenicam authoritatem fabulosam esse dixerunt historiam, Plinij & Volaterrani testimonium de historiæ veritate adiiciendum est. Hic lib.17. Antropoph. ille lib. 23. nat. hist.cap.9. Mithridatem asseruerũt iuniorem, qui annis LVI. bellum cum Romanis varia gessit victoria, post occupatam Asiam, Q. Oppium & Aquileium in vincula cõiectos, Rhodum oppugnatam, Athenas per Archelaum præfectum occupatas, à Lucullo primùm, demum à Pompeio superatum: postremò à Pharnace filio adolescente ingratissimo (quia à Patre ad Põpeium defecerat) bello petitum & obsessum venenũ hausisse: quo nihil ad mortem, propter sumptum Antidotum, cum proficeret, auxilio Galli cuiusdã militis Vitigis nomine se interfecit. Profectò hæc eadẽ est Mithridatis à Galeno descripta historia, nulla in re præterquã in serui occidentis nomine diuersa: quod quidem tanti non est, vt historiæ vniuersæ fidem abrogare debeat: sicuti nec eandm damnare par est, quia Mithridatem à Pompeio superatum filiam nomine Diraptim Menophilo eunucho commisisse seruandam in castello quodam Sinthorio nomine scripserit Marcellinus libr. 16.

esse cùm possit, vt ex multis Mithridatis filiabus, aliæ propter obsidionem & amissam fortunam mori elegissent: Diraptis verò minimè, ideóque à Patre eunucho illi seruāda tradita est, qui eam ad mortem sibi ipsi dādam cogere non poterat, minúsque debuerat. Ne verò violentæ eius mortis occasio in eo Rege, cui nomen Mithridati fuit, dubium vltrò faciat aliquod, nimirū quia nimia quædam fuerit temeritas mortem sibi ipsi procurare; ad id animum adhibere oportet, quod ad eiusdem Mithridatis temeritatē ostendendā (quanquam eorum antiquorum qui sibi ipsis mortem consciuere plenę sint Historiæ) scripsit Fulgosius lib. 9. cap. 8. Nam cùm animo Asiæ Imperium cōcepisset, vt diligentiùs locorum situm inspiceret, ipse solus eam peragrauit, periculóque se obiecit, vt illuc seruus deduceretur, vbi Imperium quęrebat. Si quis autem historiæ huius medio Mithridaticæ confectionis vim non theriacæ nobis significari dixerit, ob ea præcipuè verba Galeni, quibus Mithridatis tempore nondum esse theriacam affirmauit, eum animaduertisse conueniet, Mithridaticæ confectionis vim ad maiorem theriacæ aduersus venena facultatem significandam Galenum eo loco recensuisse. Ante enim historiam illam hæc scripserat. Verùm vt summatim laudes huius Antidoti complectar, totum corpus ita disponit, vt ab vlla re noxia non corrūpatur (de theriaca autem loquebatur.) Hanc autem resistentiam procreat tam varia & efficax tot medicinarū compositio, & præsertim quæ in ipsam ingrediuntur viperæ: Adiecta itaq. statim Mithridaticæ

daticæ

daticæ compositionis historia, à minori ad maius argumentari hunc in modum visus est voluisse Galenus. Si tanta est Mithridaticæ confectionis vis in corporibus aduersus venena muniẽdis, multò sanè maior erit hæc eadem in theriaca. Res hęc sic nobis à accipitur, ipsique theriacæ facultatem huiusmodi inesse eousque credimus, vt alia Galeni loca in quibus hoc idem etiam apertiùs enũtiat, tanquam omnibus in propatulo hic adducere omninò superfluum iudicemus: cùm præcipuè idem hoc ratio suadeat & confirmet certiùs. Qua enim ratione iàm assumpta venena infringere potest pòst accepta theriaca, eadem certè nec prorsus dissimili priùs ebibita eorundem virus irritum facere potest. Si veneno iam in corpus introducto eam vim calori nostro naturali impertiri apta est theriaca, quæ venena ipsa vel ex toto euincat, vel è corpore celerrimè ac valenter extrudat propter maximam quam habet cum natura nostra conuenientiam: cur idem virium in nobis ante implantare non poterit? Id autem ab omnibus cùm antiquis, tum recentioribus Medicis affirmari videre est. At perfectã & absolutam sanitatem retinere conseruaréque theriacam posse nunc demonstremus. Quid causę fuit vt Pisonẽ optima sanitate fruentem, ad theriacæ vsum hortatus Galenus fuerit, in vltimis verbis libri de theriaca eidem scripti? Quoniam, dixit, compertum est theriacæ vsum tempus vitæ prorogare. At nõ alio nomine vitæ productio ab hoc medicamento expectanda est, quàm optima sanitate conseruata, quam solam ad vitæ longitudinem facere

nullus est qui ignoret. Id autem per occultam quandam vim præstare theriacam proximè præcedenti capite didicimus. Iam & hoc idem eidem Pisoni persuaserat idem Galenus, eiusdem libri cap.16. adducta duntaxat his verbis ratione, qua bonam sanitatem conseruare theriacam illi persuaderet: Quamobrem suadeo tibi Piso, vt partim ob has repentinas aeris mutationes, partim ob alias nocentium rerum causas, frequenter etiam sanus theriacam sumas, vt exteriùs occurrentibus noxis corpus tuum resistat, & si quando passum aliquid fuerit ad sanitatem reducatur. Rationem consilij reddit subinde hunc in modum: Nam theriaca optimam quandam temperaturam corporibus procurat, & in eis bonā valetudinem conseruat. Absumit enim humores superfluos, excalefacit membra refrigerata, corroborat naturalem virtutē, vt debitas actiones exercere queat. Nam quando fortis natura fuerit, tunc & venter expeditè cibos concoquit, & venæ sanguinem facilè producunt, & iecur promptè bilem secernit, atque ita defæcatū sanguinem cor suscipiens, ipsum deinceps vniuerso corpori iam nutriendo idoneum submittit. Excrementa quoque moderatè foras eadem propellit, & quæ corpori superflua sunt membrorum omnium perspiratione salubriter expellit. Hæc autem omnia & singula sanitatem in nobis conseruare, eiusdem Galeni doctrina fuit longo sermonis processu in libris de tuen. valet. demonstrata. Qui verò medicamentorum theriacam ingredientium vim particulariùs fuerit contemplatus, hæc omnia & singula præsta-

re the-

re theriacam posse intelliget. Quin etiam hoc idem medicamentum, quod theriacam dicimus, ceu ignem quendam purificantem, illos qui sani adhuc ipsam biberint non permittere vt pestilentia capiantur, eodem Galenus docuit loco, ex Andromachi scilicet hisce carminibus:

Neu te dira lues, neu lædat noxius aër,
Hanc cape cùm primo est Sole reuecta dies.

Consilij huius sui huiusmodíque virtutis theriacæ comprobationem habemus cap. 2. eiusdem libri manifestam, adducta nimirum M. Antonini Romani Imperatoris, theriaca pro corporis incolumitate conseruanda assiduè vtentis, consuetudine: Aliqui, inquit Galenus, singulis diebus incolumitate corporis ducti theriacam assumũt, quemadmodũ nos M. Antoninum, qui paulò ante Romanũ Imperium summa integritate administrauit, & corporis sui temperamentũ exacta prudentia cognouit, abundè quasi delicato cibo quodã vsum nouimus. Ab illo enim authoritas medicamẽto amplior creuit, cùm eius efficacia latiùs inter homines diuulgaretur: siquidem cùm Imperator vitam sanam traduceret, vtilitatis fidem Antidotus maiorem obtinebat. Hanc eandem theriacæ sanitatis conseruandæ vim qui librum de vsu ther. ad Pamphil. scripsit approbauit, adducta Romanorum Principum sui temporis medicamento huiusmodi huius effectus causa assiduè vtentium consuetudine. Rationem esse dixit, quòd sanguinem reddat bonũ theriaca: non quia malam eius qualitatem excernat: sed quia eius contumaciam vincat, & ex inimica amicã faciat. Iam & Aetius

tetrab.4.ferm.1.cap.96.theriacam dixit, velut temperamentum quoddam & sanam constitutionem corporibus inducere, redundantes humores absumendo & refrigeratas partes concalefaciendo, insuper & innatam facultatem corroborando ad naturales actiones probè obeundas. Sic & Paulus Aegin.lib.7.de re med.cap.11. pleróſque dixit etiam præſeruationis gratia theriacã ipſam accipere. Idem ſenſiſſe Auicennam certum eſt, qui libro de Viribus cordis tract. 2. cap. 4. maximum eſſe teſtatus eſt theriacæ iuuamentum in confortatione cordis, conſeruaréque ſanitatem atque ſecurũ hominem efficere à malignitate putrefactionum, & à prauis humorum motibus atque læſionibus obuiis venenorum, cunctáſque eius virtutes corroborare, & vitæ longitudinem ei præſtare. Similiter & Serapio tract.7.ſui breuiarij cap. 8.theriacæ iuuamentum in conſeruatione ſanitatis eſſe magnum affirmauit. Per hæc igitur idem hoc medicamentum nos ab imminentibus morbis præſeruare (quod fuit ſecundus ſanitatis conſeruandæ terminus) conſtat. Siquidem ſi ſuperfluos in nobis congeſtos humores abſumit, virtutem naturalem roborat, optimarúmq.eius actionum cauſa eſt opportuna, vt proximè ex Galeno didicimus, iã non eſt vt eam imminentes morbos arcere poſſe diffidamus. Id creditu dignius eſſe quiſque fatebitur, qui à Galeno aliiſque antiquis Medicis id particularius affirmatum fuiſſe intelliget. In lib. de ther.ad Piſon. in cap. 15. de podagricis theriaca vtentibus ſermone inſtituto, hæc inter alia Galenus ſcripſit; Maximè verò prodeſt quando

quando quis ipsam sanus adhuc frequenter accipit, idcirco quia superfluitates humorum consumit, & totius corporis temperamentum immutat: nam alia medicamenta quæcunque podagrici bibunt in remedium dolorum, fluxiones quidem ad pedes ferri prohibent: sed cùm superfluũ humorẽ non consumant, aliquam aliam maiorem ægritudinem excitant, & quæ sequuntur. Quibus verbis non imminenti tantùm podagræ theriacam occurrere Galenus testatus est, sed eã quoque, cùm in fieri est, ne ex toto fiat prohibere. Quid de imminente peste ille senserit, iam proximè audiuimus. Vniuersaliùs porrò locutus ille est, & morbis quibusque obuiam ire theriacã affirmauit, quando totum corpus eam ita disponere dixit, cap. 15. libri de ther. ad Pison. vt ab vlla re noxia nôn corrumpatur. Qui librum de vsu ther. ad Pamphil. scripsit: Nec solùm, inquit, ab instantibus morbis liberat, sed etiam ab imminentibus præseruat. Eũ autem laude censet digniorem, qui huius Antidoti auxilio impendentem morbum mauult anteuertere, quam iam vexantem abigere. Vt verò paucis omnia complectamur, idque quod per se manifestum est longiori sermone magis adhuc manifestare frustra nõ conemur, dicamus omnes morbos quos sanare apta nata est theriaca cùm præsentes sunt, eosdem imminentes impedire quoque posse. Quæ sanant auxilia, eadem & præcauere constans est ac vera apud Medicos omnes propositio, eo vel solo argumento confirmata, quòd sanguinis missione & purgatione veris tempore in vsum ductis eos morbos arcemus, quos

præſentes ſanamus. Et meherculc in hac theriacæ ad ſanitatem conſeruandam facultate patefacienda paulò longiores fuimus Auerrois occaſione, qui damnanda quadam aduerſus Galenum & Auicennam hac in re eſt vſus perfidia. Etenim, cap.2.ſui tractatus de theriaca, aduerſus eos pro ſanitatis conſeruatione theriacam laudantes pluribus inuectus eſt. Primò autem à venenis præſeruare non poſſe theriacam, conatus eſt his argumentis perſuadere. Theriaca, inquit, eſt medicina venenoſa, hoc eſt, ex Alexipharmacorum genere, quæ ex Galeno lib.5.de ſimpl.med.facult. media ſunt inter medicinas & venenum. Quare ſi nutrimentum eſt id quod conſeruat ſanitatem perfectam, & medicina quę ſanitatem lapſam: venena verò ſunt quæ auferunt ſanitatem, & medicinæ dominantes in theriaca ſunt mediæ inter medicinas & venena, & omne compoſitum declinat in virtute ſua verſus latus medicinarum vincentium in compoſitione eius: videtur ergo quòd theriaca ſit media inter medicinas & venena: & ſi eſt media, eſt fortior medicinis & debilior venenis: ergo non conſeruabit ſanitatem, quam conſeruant medicinæ: nec curabit ægritudines, quas ipſæ curant: quoniam eſt fortior omnibus eis: & ſi conſeruat ſanitatem aliquam, erit ſanitas illius, qui paratus eſt cadere in ægritudines humorum ſimilium venenis: & ſi iterum curabit, non curabit niſi illam quæ ex illis eſt. Præterea ſubdit: ſi eius medio in corpus non operatur venenum, hoc aliter eſſe non poteſt, niſi quia factum illud eſt ſimile veneno.

no. Probat consequentiam: Id quod in alio non agit, est tale quale id proculdubio & ei simile, & res quæ in aliam agit est ei contraria: corpus igitur hominis illud in quo operatur venenum, vt veneno simile sit necesse est: At cum venenum sit contrarium corpori humano, sequitur manifestè quòd corpus hominis illius per vsum theriacæ factum est diuersum à corpore aliorum hominum. Sed quod est diuersum à corpore humano non est homo, illéque cuius complexio est diuersa à complexione aliorum hominum, non est possibile vt remaneat homo. Hic si remanebit, non remanebit, quin tempore pauco transacto redeat eius complexio ad complexionem illorum qui habent humores venenosos. Quòd si quis dixerit corpus hominis non pati ab operatione venenosorum, vt ab eis offendatur: nec ex hoc dicendum esse simile esse venenis: sed hoc fieri quia complexio illius est in vltimo contraria medicinarum venenosarum, & est fortior venenis in tantum quòd in ipso non operatur, & vincet homo venenum istud ita vt non vincatur ab ipso: Huic respondet Auerrois, quòd si sic est, videtur corpus hominis redire in hoc simile medicinis vincentibus venena: quare esset hoc corpus medium inter medicinas & venena, & ex consequenti non remaneret eius complexio in termino naturali. Ille autem qui permutatur à termino naturali permutatione huiusmodi possibile est vt corrumpatur, & hæc corruptio dubio procul ægritudo est. Subdit

deinde non aliud esse corpora assuefieri hisce medicinis mediis & venenosis, eò quòd dicitur à quibusdam inueniri aliquos, qui fuerunt vsi veneno in tantum quòd conuertebatur eis in nutrimentum: quæ res eius opinione egreditur viam naturæ. Neque de consuetudine artis medicæ esse inquit, vt res exerceantur in corporibus naturalibus, quæ egrediuntur viam naturalem. Si itaque (colligit tandem) theriacæ vsus facit ægrotare, ergo nec conseruat sanitatem, nec curat ægritudines. Cæterùm sumpto ab ipsa experientia argumento theriacæ vsum pro sanitate conseruanda vltro improbare nititur. Præcepi iam, inquit, sociis meis famosis in arte medicinæ qui curabant filios Regum, vt prohiberent eis vti theriaca in regimine sanitatis, & non vterentur ea continuè. Et quia non consenserunt mihi, damnificauerunt eos multum, quia continuare vsum theriacæ non est multum debitum in conseruatione sanitatis eius, cuius complexio est sicut complexio quæ reperta est vt plurimum in hominibus: & si sic est, nec etiam meliori complexioni quæ raro reperitur, & est sicut statera ponderis aliarum. Sic etiam addit: non inuenimus complexionem, in qua generentur ægritudines similes venenis nisi parum, & si sic est totum quod dictum est, oportet quòd non vtatur aliquis theriaca in conseruatione sanitatis, quæ est reperta in pluribus hominum, & maximè in illis qui in eis sunt iuuenes: ista enim sanitas quæ secundùm plurimum est reperta in hominibus æquum est dicatur naturalis,

lis, quia res naturalis est in ea secundùm maiorem victoriam. Sanitas enim quæ est in fine perfectionis, non est inuenta nisi parum: & sic ægritudo quæ est in fine maliciæ non est repenta nisi parum: & hæ sunt duæ extremitates, quæ sibi inuicem contrariantur: & id quod est inter eas est medium, quod est inuentum secundùm plurimũ: & si sic, est hæc illa species sanitatis ad cuius conseruationem factæ sunt medicinæ, quæ ab ægritudine futura defendunt, & ad cuius etiam ægritudinis curationem factæ sunt medicinæ, quæ curant ægritudines, quæ secundùm plurimum reperiuntur in iis temporibus: quoniam medicinæ quibus curamus istas ægritudines sunt genera alia medicinarum à medicinis quibus curantur venena. Medicinę verò cum quibus curamus venena, sunt mediæ inter medicinas & venena. Et radix est, vt non vtatur medicus in curatione ægritudinum, medicinis cum quibus curantur venena: hæc enim genera medicinarum sunt in nomine & natura diuersa. Tot itaque argumentis theriacam ad sanitatis conseruationem ex vsu minimè esse, conatus est Auerroes conuincere. Vt tamen ipse sentio, malè id ille est assecutus. Quanquam enim maximus Philosophus Auerroes fuerit: in his tamen quæ ad medicinam pertinent sese acutum adeò aduersus Galenum præcipuè ostendere conatus est, vt ex industria eius dogmata insectari voluisse visus fuerit. Imò veritate contempta vnius contentionis causa, tanquam ex contradictione sibi gloriam parans, aduersus eum arma suscepit sæpissime: quapropter & sæpissime deceptus est, &

ab optimo veritatis tramite declinauit, sicuti in hac de theriacæ ad valetudinem conseruandam facultate disputatione fecit. Etenim negante illo primò & ante omnia theriacæ facultatem ad disponenda aduersus venena corpora, experientiam ipsam, quæ sensus testimonio confirmari solet, & in qua non in multis modò, sed in hac eadem de theriacæ facultate disputatione ille confisus est, negari certum est. At experientiæ medio Theriacæ vim huiusmodi inesse, didicisse ac docuisse Galenum iam demonstrauimus. Occultas medicamentorum proprietates, per quas venena miro quodam modo euincunt, sola experientia deprehendi ac cognosci est itidem demonstratum. Quare certum cùm sit hanc eandem theriacæ facultatem, quam hoc loco Auerroes impugnare contendit, experientiam commonstrasse confirmasséque: profectò rationes omnes in cõtrarium adductas nullius esse ponderis existimamus, qui experientiam ipsam sensu confirmatam propter rationem relinquere ex præcepto Aristotelis minimè tenemur. Est tamen, vt arbitror maiori hac in re dignus reprehensione Auerroes, qui sibi ipsi nimiùm fisus contentionísque auidus multùm his fidere potuit argumentis, quæ rationem aduersam habent. Itaque quod imprimis dixit, theriacam esse medicinam mediam inter medicinas & venena, vt Galenus dixit libro quinto de simplic. med. facult. id planè falsum est, quoniam medicamenta huiusmodi quæ, quòd media sint inter corpora patientia & deleteria medicamenta ac venena, dicuntur Alexipharmaca, non dixit Gale-

Galenus (vt in præcedenti proximo capite docuimus) esse media inter medicinas & venena: sed media inter corpus & medicamenta ipsa deleteria siue venena lædentia. Sunt autem eius verba in cap.12. dicti libri posita manifesta adeò & clara, vt nulla possint calliditate vel industria immutari, vel in diuersum sensum disthrahi. Præstat autem pro euidentiore Auerrois argumentationis euersione rationem in medium afferre, propter quam debuerunt esse Alexipharmaca eiusmodi mediæ naturæ. Primùm enim si haberent substantiam contrariam venenis & longissimè posita à substantia venenorũ, essent ea nobis non minùs inimica quàm ipsa venena: nec proinde tutus esset eorum vsus in his præcipuè qui sani sunt. Ex parte igitur eis sunt similia & ex parte contraria: vt cum hoc quòd pugnare possint, facilem etiam habeant inter se commutationem. Præterea cùm à substantiæ proprietate agant Alexipharmaca, idem in eis obseruari rectum fuit, quod in aliis omnibus rebus quæ secundùm substantiæ modum sese alterant fit. Non enim pars illa corporis alterat eam sanguinis partem, quæ sibi dissimilima est, sed similem & congruentem: quando magnum substantiæ dissidium incommutabilitatem faciat, facilem verò commutationem substantiæ analogia. Alexeterium igitur est veneno analogum, non tamen venenum: quod quidẽ inde manifestius euadit, quia sine necessitate in vsum veniens noxium quidem est, vt alia medicamenta: non tamen lethale, vt venenũ. Demonstrat hoc idem viperæ caro in ipsa the-

riacam vſurpata, vt ſua cum venenis conuenientia facultati ipſius theriacæ ad venena euincenda auxilio ſit, quemadmodum priore libro docuimus. Caput & cauda non modò quia excrementis abundent, ſed etiam quia maximè venenoſa ſunt abiiciuntur: retinetur caro, quæ mediam quandã habet naturam inter corpora & venena: quare & inculpatè à multis eſtur. Hæc ſi nihil analogiæ ad venena haberet, fruſtra fuiſſet ab Andromacho indita. Per hæc itaque tota corruit Auerrois argumentatio prima: ſanè verò vitioſa prorſus illa eſt, quia falſo nititur fundamento, theriacam nimirum eſſe mediam inter medicinas & venena, quando id non dixerit Galenus: ſed Alexipharmaca eſſe media inter naturam noſtram & venena. Malè igitur ratiocinabatur Auerroes. Si eſt media, ergo eſt fortior medicinis & debilior venenis. Eadem dicebat Galenus loco citato eſt proportio corporis ad facultatem Alexeteriam, quæ illius ad deleteriam: & rurſus deleterij ad Alexeterium, quæ Alexiterij ad corpus. Q[illegible] propter cùm mediam hanc naturam habeat theriaca, poſſe eã ſanare & præcauere eas ægritudines conſtat, quæ ſanare & præcauere poſſunt eam ingredientia medicamenta: omnia verò medicamenta quæ recipit, venena euincere & arcere priore libro oſtẽſum eſt: Theriaca igitur eandem habet facultatẽ. Cùm verò vltrò argumentabatur Auerroes: ſi theriacæ medio in corpus non operatur venenũ, hoc aliter eſſe non poteſt, niſi quia factum illud eſt ſimile veneno. Profectò falſum iecit fundamentum: quandoquidem per eam partem medicamen-

camentorum theriacam ingredientium, quæ venenosa est ad faciliorem quidem disponitur commutationem: sed venenorum euictio non ab his sed ab aliis medicamentis, sua natura veneno aduersantibus prouenit. Quapropter ex falso iacto fundamento, malè deinde hunc in modum ratiocinabatur. Id quod in alio nõ agit est tale quale id procul dubio & ei simile: & res quæ in aliam agit est ei contraria: corpus igitur hominis illud in quo non operatur venenum, vt veneno simile sit, necesse est. Maioris itaq. propositionis partem illam, quæ id quod in alio agit esse ei contrariũ statuit, tanquam verissimam, & Axioma quoddam admittimus. Eam verò quæ ex actione non consequẽte similitudinem colligit simpliciter verã minimè esse dicimus. Aliqua quidem non agunt interse quia similia sunt: aliquibus verò idem accidit, quia agẽti ipsi resistat validè quidpiam. Venenum non agit in corpore propter assumptam theriacam, quoniam resistendi facultatem est ei illa impertita: nec tamen propterea veneno simile factum est corpus: quod alioqui nec veneni operationes facit & suas proprias promptè edit. Quare si veneno simile factum non est corpus nec etiam est factum diuersum à corpore aliorum hominũ neq. non remansit homo, minúsque hominis cõplexionem exuit: quæ omnia ex falsa illa suppositione, colligebat Auerroes. Tantum itaque abest, vt qui theriaca aduersus venena sese muniuit pauco tempore transacto ad complexionem venenosorum humorũ perueniat: vt dubio procul contrariũ eueniat: isq. cùm aduersus venena tum-

alios morbos probè munitus sanitatem cõseruet inculpatam. At subtilem aduersus hoc habuit ille responsionem: Si non patitur, inquit, corpus à venenis, quia virtutem habet medicamentorum venena euincentium: igitur simile his medicamẽtis factum est, quæ cùm media sint, ergo & illud medium, & ex consequenti terminos naturales egressum est. Sed hæc quoq. eius responsio falsam habet suppositionem. Nam etsi theriaca assumpta corpus ad venena euincenda disponit, & hanc vim in illud imprimit: ob id tamen ei simile minimè factum est: aut si factum est ei simile (hoc enim nunc subtiliùs non disputo) non propterea terminum naturalem egressum est: tantúmque abest vt ex hac suscepta dispositione corruptionis & ægritudinis periculum illi immineat, vt potiùs ad his resistendum vel maximè aptum euadat. Quod tandem dixit idem author: idem esse aliquem sine noxa Alexipharmacis vti, & veneno edendo sic assuefieri, vt tandem nutrimentum ab eo suscipiat: nihili prorsus à nobis fit, qui similitudinem hanc non admittimus. Sunt media inter corpus venenúmque Alexipharmaca, atque si in conuenienti quantitate assumuntur, non lædunt, nec assuetudine egent vt à corpore sustineantur: quantóque tempore rectè accipiuntur, tanto probè sustinentur: secus ac venenis accidat, quæ cùm sua natura nobis ex toto inimica sint, maximo egent tempore vt in assuetudinem ducantur. An verò possibilis sit hæc venenorum assuetudo, per quam in nutrimentum illa transeant, quod Auerrois absolutè negat

gat, particulariùs nunc non diſputo. Multos tamen id vt poſſibile ſtatuiſſe, re quoque exemplis illuſtrata legimus. Sed ad ea nunc veniamus argumenta, quibus theriacā pro ſanitatis conſeruatione minimè facere cōtendit Auerrois. Sanè verò eum hac in re ex toto decipi inde certum eſt, quòd ſi corpus excrementis vacare, & calorem naturalem ad ſuas obeundas actiones vigere, maximum ad ſanitatem conſeruandam eſt auxilium: hæc optimè cùm præſtet theriaca, vt didicimus, eam quoque, vbi rectè in vſum venerit, ſanitatem poſſe conſeruare certum eſt. Sumpſit Auerrois argumentum ab experientia, ſéque ſociis ſuis in arte Medicinæ famoſis qui filiis Regum medicinam faciebant præcepiſſe inquit, vt in his theriaca non vterentur: qui non obtemperantes illis nocuerunt multùm. At experientiam cōtrarium ſuaſiſſe didicimus, & Marcum Antoninum Imperatorem Romanum aliósque eius ſucceſſores, Commodum, Verum & Pium, vſu theriacæ adiutos diuturnam ſanitatem conſeruaſſe intelleximus. Quare vel eos medicos non rectè vſos fuiſſe theriaca, vel Regum filiis adhuc pueris exiſtentibus, quibus theriacam non conuenire poſtea intelligemus, exhibitam illam fuiſſe, vel etiam, vt ipſe inquit Auerrois, iuuenibus oblatā fuiſſe, quibus haud ita liberè conceditur, dicendum eſt. Vtcunque ſit, qui experientiæ confidit, is experientię vires fateri tenetur. Nobis autem multò maior fides danda Galeno eſt, per experientiam docenti, quàm Auerroi experientiam experientiæ opponenti. Neque adducere

inconueniens, solutionis vim habere posse ille idem admitteret. In faciunda medicina, librísq. ad artem medicam pertinentibus conscribendis bonam vitæ suæ partem Galenum consumpsisse cõstat: qualis autem medicus fuerit, & qua fide dignus iis omnibus notum est, quorum in manibus eius assiduè extant volumina. Auerroes autem maximus quidem fuit Philosophus & de Peripatetica secta optimè meritus: sed quæ ad medicinam pertinentia scripsit, acuminis ingenij sui ostẽtandi potiùs causa, quàm quod veritatis scopum sibi proposuisset attingendum, in medium attulit. Huius rei argumento esse illud potest quòd Galeni insectatorem se vbique est professus: omniáque & singula aduersus eum inuecta, tanquam veritati ex diametro aduersantia iampridem à viris clarissimis extant confutata. Nos verò, non hac tantùm ratione ea reiicimus, quæ loco dicto contra Galenum theriacam pro sanitate conseruanda commendantem, adduxit: sed etiam quoniam sibi ipsi repugnantia hac in re scripsisse visus fuerit. Primò nanque inquit, continuare vsum theriacæ non est multum debitum in cõseruatione sanitatis eius cuius complexio est sicut complexio quæ reperta est, vt plurimum in hominibus. Quibus verbis vsum theriacæ, non absolutè, sed continuum tantùm, damnasse eum, clarum est. Paucis deinde interpositis, eundem absolutè damnauit, his verbis: Et si sic est totum quod dictum est, oportet quòd non vtatur aliquis theriaca in conseruatione sanitatis quæ est reperta in pluribus hominum:

num : Quòd neget ille idem non inueniri in quibus generentur ægritudines similes venenis, est id quoque ex diametro aduersus veritatem dictum, quando non Galeni tantùm sed omnium Medicorum constans sit sententia, humores venenis similes in nobis interim gigni. Non imus professò inficias optimam illam complexionem quæ aliarum tanquam norma est & pondus, vel non dari, vel saltem rarissimè inueniri: quemadmodum etiam complexionem in hominibus repertam, esse dicique debere naturalem minimè negamus: ob id tamen theriacam huiusmodi cōplexionis sanitatem conseruare non posse, quî sequatur non videmus. Sanitas subdit ille, quæ in fine perfectionis non est inuenta nisi parum transeat. Et sic ægritudo quę est in fine malitiæ non est reperta nisi parum: hoc absurdè enuntiari dicimus: nam ægritudines venenosæ & multæ malitiæ sunt in hominibus frequentissimæ. Dari porrò inter has extremitates medium quoddam, esséque id speciem illam sanitatis ad cuius conseruationem factæ sunt medicinæ, quæ ab ægritudine futura defendūt, & ad cuius etiam ægritudinis curationem factæ sunt medicinæ quæ curant ægritudines, quæ secundùm plurimum reperiuntur in iis temporibus lubet admittere. Admittimus item eidem medicinas quibus curamus istas ægritudines, esse genera alia medicinarum à medicinis quibus curantur venena, esséque hæc media inter corpus & venenum. Negamus tamen non posse Medicum vti in curatione ægritudinū medicinis, cum quibus curantur venena, licèt ab aliis

ſint nomine & natura diuerſa: quæ totius ſuæ argumentationis concluſio fuit vniuerſalis. Alexipharmacis nanque poſſe pleroſque morbos ad venena nullatenus pertinentes extirpari, eſt Medico cuique res notiſſima, theriacæque innumeris ferè morbis minimè venenoſis vel maximè aduerſantis exemplo preſſiùs à nobis oſtendetur in ſequentibus. Sed quoniam ad morborum curationem hæc pertinent, non ad ſanitatis conſeruationem, de qua nobis hoc loco eſt ſermo inſtitutus, ad conuenientem propterea locum vt differatur conuenit.

QVIBVS VENENIS ADVERSETVR THERIACA.

Caput Tertium.

MORBOS omnes ac ſingulos enumeraturi, quos theriacam euincere poſſe & ratio ſuadet, & ſua authoritate antiqui Medici teſtati ſunt, ab ipſis venenis incipere non ea tãtùm ratione debuimus quia difficiliores pariant morbos, maioríſque propterea momenti eſſe videantur: ſed quoniam etiam Andromachus & Damocrates idem obſeruauerint. Is eapropter in his enumerandis erit à nobis ſeruandus ordo, quem præſertim ſeruauit Andromachus. Quamuis autem ſua potiſſimùm proprietate occulta venenis aduerſetur theriaca, vt pluries antea dictum eſt, cùm tamen etiam per euidentes ſuas qualitates eiſdem perſæpe occurrat, venenorum propterea natura rectè priùs explicata,

plicata:an,aliqua ratio ſit inueſtigabimus diligenter,propter quam ab ipſa theriaca ſuperentur,tutiorem hoc modo eius vſum futurum rati. Quæ primo loco enumerantur ab Andromacho venena, quibus theriaca tanquam Antidotus occurrit, illa ſunt quæ ſua frigiditate eximia occidere creduntur,his carminibus Latinis expreſſa:

Non ſi quis cupidis expreſſa Papauera labris
Hauſerit,exitium pocula ſumpta ferent:
Non ſi quis gelida compleuerit ora cicuta,
Si quis Hyoſcyamum,ſiue Aconita bibat.

Papaueris nomine appellatum ab omnibus Medicis Opium ſignificaſſe Andromachum ex eo conſtat vel manifeſtè, quòd ipſius Papaueris lachrymam eſſe Opium ab omnibus recipi in priore libro demonſtratum à nobis fuit. Neque verò difficultatem faciat Grecè legi, οὐδ᾽ εἴ τις μήκωνα, &c. quoniam & ſi Meconium ab Opio in eo differat, quòd hoc papaueris lachryma ſit, illud ſuccus,vt ſcripto loco abundè demonſtratum eſt : eiuſdem tamen eſſe vtrunque facultatis & naturæ, quadam tantùm ſecundùm magis & minus inter ea exiſtente differentia, ibidem oſtenſum eſt, vt propterea Meconij quidem nomine metri cauſa Andromachum hoc loco vſum fuiſſe dicendum ſit: ſed & Opium quod eiuſdē omnino eſt facultatis ſubintellexiſſe. Hoc (de eo nunc loquimur, quod inter pleraſque eius ſpecies à Dioſcoride & Galeno enumeratas medicatiſſimum eſſe dictum eſt) ex quarto & vltimo refrigerantium ordine eſſe Galenus ſtatuit, lib. 6. de ſimpl. med. facult. cap.proprio, qui à Dioſcoride lib.4.cap.60. illud

idem nos lethargicos efficiendo interimere dubio procul didicerat. Nolim tamen veneni naturam ab eo ſeparari, quia & ipſius plantæ ſemen in cibos & folia eiuſdem ipſúmque Opium in morborum curationibus vtiliter ſæpiſſimè Medicis vſurpari obſeruatum ſit: idémque à Dioſcoride & Galeno locis dictis manifeſtum, quando non inconueniens ſit eorum venenorum quæ non genere, ſed copia nocent portionem aliquam non modò citra noxam, ſed etiam multa quoque vtilitate aſſumi. Eiuſmodi eſſe venena omnia frigida apertè Galenus enuntiauit, lib. 5. de ſimpl. med. facult. cap. 19. eo ad rei huius confirmationem adducto exemplo, vt frigiditate occidentia venena in exigua quantitate ſumpta mortem non adferant, non magis quàm ſi copioſæ flammæ pauxillum aquæ inſtilles, aut lignum iniicias humidum ac viride. Et quemadmodum niſi calorem inuenerint abundantem qui ea tum comminuat, tum ad cor vſque perducat, interficere nō potuerūt: ſic ſi quod comminuit ac deducit multò valentius fuerit, prorſum deuincet, mutabítque ac alimento vt ſibi ſit medicamentum efficiet. Quare & Dioſcorides loco ſcripto, ſi copioſiùs hauriatur nocere, & lethargo inducto interimere ſcripſit. Id ſine dubio reſpiciens Andromachus, quia ſcilicet aliquis interim volens aſſumat Opium, eius aſſumendi modum his carminibus explicauit:

Non ſi quis cupidis expreſſa papauera labris
Hauſerit, exitium pocula ſumpta ferent.

Quanquam etiam àſtu propinatum ad occidendum Opium, in potulentis vinóque prçſertim offerr

ferri soleat, quod item dictis carminibus comprehendi videre est. Eiusdem omnino refrigerantis adeò facultatis, vt occidere apta nata sint esse Cicutam Hyoscyamum, & Aconitum, ex ordine post Opium ab Andromacho enumerata, non multum difficile est demonstrare. Quòd ad Cicutam attinet, esse illam inter lethalia venena numerandam, suáque vi validè refrigerante necare docuit Dioscorides lib. 4. cap. 74. Hunc secutus Galenus lib. 7. de simpl. med. facult. cap. proprio omnibus notum esse inquit quòd extremè refrigerantis sit facultatis. Quare Valerio Maximo teste lib. 2. cap. primo de Instit. antiq. apud Massilienses, venenum cicuta compositum publicè custodiebatur, eísque offerebatur qui causas Sexcentis (id enim Senatus eius nomen est) exhibuerat, propter quas mors sibi expetenda esset, ídque Græcos quoque fecisse, & ab eis institutum hoc peruenisse ad alios ibidem testatus est. At ne per exẽpla amœnáque historiarum spacia luxuriosè nimis diuagari videamur vnius Socratis, ab Atheniensibus iniusta de causa morti destinati, qui Cicutæ venenum in calice pacato animo hausit, exemplum sufficiat: adductis pro historiæ fide testibus, Cicerone lib. 2. Tuscul. quæst. Ouidio in Ibin, & Sabellico lib. primo suæ Hist. cap. 5. Simpliciter tamen facultas huiusmodi Cicutæ tribuenda non est: sed Dioscoride magistro eius succo tãtùm contusis cacuminibus expresso, priùs quàm semina & comę siccescant. Succus hic eodem authore Dioscoride sub sole densatur in pastillos, & ad Medicos vsus reseruatur. Quare & ipse sola

quantitate occidit, vt Opium: quod idem de omnibus aliis venenis sua frigiditate occidentibus semel atque iterum enuntiasse nobis sufficiet. At Hyoscyami speciem illam cui semen atrum est, veluti & eam quæ semen mediocriter flauum habet, insaniam & soporem facere, & vtranque venenosam esse ac deleteriam docuit Galenus lib. 8. de simpl. med. facultatibus, cap. proprio. Pariter & Acconitum, siue illud sit quod Pardalianches multos appellasse Dioscorides admonet, lib. 4. cap. 72. siue illud quod Cynoctonon dici ille idé capite subsequenti docet, siue aliud qualecunque ex iis generibus quæ recentiores descripserunt, tantam frigiditatem habere vt homines enecare aptum sit illud argumento est, quòd Pantheras, Sues, Lupos & feras omnes in carnibus obiectum enecat. His omnibus venenis theriacam valenter admodum occurrere inde certum euadit, quòd vinum potens ac meracius eorum Antidotum esse præstantissimum Dioscorides, Galenus, aliique Medici antiqui omnes statuerunt. Theriaca igitur non ea tãtùm ratione, quòd excalefaciat insigniter, iis aduersatur venenis: sed quoniam etiam vini potentissimi multum continet. Si quis verò affirmauerit à proprietate quoque aduersus ea theriacam agere, profectò non repugnabo. At eam tantùm theriacam, quę duodecimum saltem excessit annum, huic visui aptam esse eo quisque persuaderi poterit argumento, quòd primis à cõpositione annis, vigente adhuc in ea Opij facultate, refrigerat illa tantopere, vt obstupefaciat & somnum inducat, vt in calce prioris libri & in initio

tio secundi docuimus: à duodecimo anno excalefacit deinde non segniter theriaca. Ad ea postmodum accedit Andromachus venena, quæ vel ex animalibus, vel ex aliis rebus desumpta & ingesta sua siccitate & caliditate occidunt:

Nō si Cantharides, aut præsens morte venenum
Colchi tuum sumat, feruida Thapse tuum.

Sanè verò Cantharides speciem quandam scarabeorum esse, Dioscoridis, Nicandri, & aliorum antiquorum testimonio constat. Earum vires mirificas, statim ac corpus hominis introiuerint, vesicæ exulcerādæ, tritissima Medicorum omnium attestatione ac obseruatione affirmatas, non est vt hoc loco pluribus explicemus. Id vnum de eis affirmare par est (quod ad maiorem theriacæ vim aduersus illas patefaciendā facit) aliter etiam corpori nostro infensas admodum & inimicas eas esse, vt vel celerrimè enecent. Nicander nanque in Alexipharmacis hæc de eis scripsit: Ne cantharidem fruges edentem, cuius odor liquidæ piceæ similis, vllo pacto concipias potu: si quidem piceæ grauedine nasum trahit, dentibus id existens quod nuper manducatæ cedri partes sunt. Proinde si cantharides humida potione sumantur, morsum in labio parant, aliàs circa extremum ventris os: aliàs & medius venter doloribus laceratur: vesica exulceratur, pectoris angustiæ hominem comprehendunt, tum stomachi & intestinorum. Porrò vehementer impatientes redduntur, ac alij mores hominem iam iam animo vacantem permutant, vt intentu isto miserè deploratéque pereat, instar cardui florū, quia ppropinquante aura pro-

cellosa auolant: Has easdem paruuli huius animalis diras & immanes aduersus corpora nostra facultates cognouisse Dioscoridem, ex iis constat, quæ longo sermone de illis lib. 6. cap. primo scripsit. Longè breuiùs earum nocumenta nobis ob oculos Galenus posuit lib. 4. de simpl. med. facul. cap. 18. illas ex iis esse admonens quæ erosione aut putrefactione interimunt. Erosione itaque sua, vesicam quòd exulcerent verissimum est, putrefactione verò & cor & alias corporis principes partes afficiunt. Atque, vt ob extremam suam caliditatem & siccitatem erodere membra possunt & adurere: ita etiam ob peculiarem quandam naturæ contrarietatem nos afficere, nuper adducti eorundem effectus praui ostendunt. Porrò aduersus tantam feritatem occidendique potentiam, Antidotum potentissimam qualis est theriaca, rectè Andromachum opposuisse dicimus. Est aduersus venena omnia & singula parata theriaca, vt proximè audiuimus. Antidota omnia longè omnium potentissimè auxiliari cõtra cantharides, cũ aqua mulsa proximè scripto loco docuit Dioscorides. Multa item continet theriaca quæ peculiari quadam virtute cantharidibus aduersantur. Vinum enim dulce liberalius his ebibendum suasit Dioscorides, qui cantharides hauserunt: at theriaca vinum continet Falernum dulce. Terræ samiæ quæ After appellatur vsum ille idem commendat. Terræ verò Lemniæ theriacã ingredientis qualitates, cum samiæ viribus esse propemodum similes satis certum est. Cantharidibus vesci viperas omnes dicunt antiqui: & hæ sunt quasi basis the-

ſis theriacæ. Vnicum contra ſcarabeos hoſce malignos eſſe antidotum pulegium Nicander conſtituit, illúdque ſuſcipit in compoſitione theriacæ. Hoc ſua caliditate & acrimonia cãtharidibus aduerſari ſi dixeris: theriacam eiuſdem facultatis eſſe demonſtratum eſt. Si ſpeciali quadam virtute & proprietate quia nimirum Alexipharmacum quoddam ſit, id agere pulegium volueris, quod & magis laudo, qui ſciam aduerſus venena omnia decãtatum fuiſſe pulegium vt Alexipharmacum, profectò hanc eandem vim theriacæ ineſſe, & Alexipharmaci nomine digniſſimam eam eſſe intelleximus. Nitrum ex hydromelite ſua vi abſtergente cantharides quæ ſtomacho adhuc aut inteſtinis adhærent, eluendo excernere ac deturbare docuit Dioſcorides. Nos pleráque abſtergentia & vim excretoriam habentia theriacam ingredi, priori noſtro ſermone didicimus. Quid plura? quam facultatem habent ad ſanandam veſicam cantharides, eandem ad ſanandam ab eis in veſica factam læſionem habet theriaca, eorum feritatem euincere apta. Cantharis, ſi ſola exhibeatur, dicebat Galenus lib. de ther. ad Piſon. cap. 10. veſicam exulcerat, & cum inimicam nobis facultatem obtineat, hominem plerunque necat. At ſi quibuſdã aliis miſceatur auxilium eidem veſicæ præbet, & vrinam maximopere prouocat. Hoc ex loco illud obiter colligi poſſe videtur, quæ genere necant venena eadem quantitate quoque nocere. Si enim cantharidum portio quædam non modò tutò, ſed etiam cum multa vtilitate aſſumi poteſt, profectò & eas quantitate enecare fateri conuenit.

Hoc ipsum manifestiùs apud Galenum legitur. lib.3.de simpl.med.facult. cap. 23. vbi cantharidis centesimam drachmæ particulam minimè nocere docet: cuius rei rationem ibi adiecit validissimam. Opus est enim,inquit,vt quicquid agit, etiam si sit valentissimum, aliquantam tamen & magnitudinem habeat: quando nimirum & ignis ipse si prorsum minimus sit,prçterquam quòd nõ vret,ne calefaciet quidem: quippe cùm & centesimæ scintillæ portiuncula sensu nobis sit imperceptibilis. Contrarium tamen statuisse nonnullis in locis visus est. Etenim 3. commentario in 3. Epidem.com.75. veneno, dixit, epoto lethali quidam postridie vel tertio die moriuntur, qualitate eius,non copia,mortem afferente.Hoc idem clariùs dixerat cap.19.lib.3. de simpl.med.facul.cuius verba eo in loco leguntur huiusmodi: Ergo eorum medicaminum quæ frigore interimunt nullum genere lethale est, sed sola quantitate. At in erodentibus & putrefacientibus atque excalefacientibus haud ita res se habet. Audiamus & quæ scripsit,lib.eiusdem operis.5.cap.19. hunc in modum: At sunt quæ tota essentia nobis contraria sunt: proinde si vel minimum eorum assumptum fuerit,omnino lædat necesse est, ceu Dryopteris, & Pityocampe,& thapsia,& Solanum manicum, & Hydrargyros & fungorum nonnulli, præterea saliua & fel venenatorum animalium: nam talia omnia genere sunt deleteria,non quantitate.Hãc eandem assertionẽ iam antea habuerat lib. 3. cap. 22. his verbis: Putrefacientia autem etiam si quãtitate minima sumantur,omnino tamen corrumpunt,

punt: quia videlicet quæ putredini obnoxia sunt, calore humiditatéque putrescere solent. Manifesta ea propter in Galeni verbis esse videtur controuersia. Credidere autem aliqui eam Galeni sententiam, qua calida venena euinci non posse affirmauit, non ita venire intelligendam, quasi nullatenus possint alterari & corrigi: sed quasi non possint à nostris partibus vinci, velut frigida, eatenus vt mutata nutriant: neque certè eatenus, vt omnino nihil lædant, neque excretione indigeant: sed possint interiùs vtiliter immanere. His illud aduersatur, eorúmque solutionem facit inanem, quòd dixerit Galenus, vt proximè audiuimus, putrefacientia venena etiam si in minima quantitate assumantur, omnino tamen corrumpere. Porrò nobis illud vt certum statuendũ esse imprimis videtur, etiam quæ genere occidunt venena determinatam quandam quantitatem, ad hoc vt suo fungi possint munere, habere debere: quando hoc idem in Peripatetica disciplina sit tanquam Axioma: nonnisi à determinato quanto certas quasdam actiones produci posse. Et tamen sibi ipsi non cõtradicit Galenus, si rectè intelligatur. Venena frigidiora non nocent, nisi quantitate, non quia quantitas propriè noceat: sed quia frigiditas nisi admodũ multa fuerit euincetur à calore nostro eius contrario. At cùm multo quanto multa iungitur frigiditas, ea à calore non euicta occidit. In aliis autem quæ caliditate occidunt, quantumuis exigua fuerit eorum portio, cùm non euinci à calore possit (neque enim illis est contrarius) vt lædat necesse est: quòd verò non lædat

interim id per accidens euenire, Galenus idem docet lib.3. operis citati cap. 22. Nempe aut quia vnà cum excrementis excernuntur priùs quàm iniuria corpus afficiant, aut ficui accipienti bona faueat fortuna, videlicet aut cibis, aut quæ alioqui conferunt vtenti, aut Medicum qui curando præsit nacto: nam vbi grauis ab iis noxa illata est, malum neque victus ratione, neque generosorum medicaminum, medicísque auxiliantis ope sisti potest. Subdit deinde. Quòd si prorsum exile sit deleterium, nihil repugnat quominus illud quoque nihil perficiat, propterea quòd cum recremẽtis excerni possit aut idonea victus ratione superari. Vt putà, si cantharidis centesima drachmæ particula fuerit assumpta. Nam id priùs quàm noxam animali inferat, vnà cum vrinis excernetur: Et in fine capitis rem totam sic concludit: Ex quibus patet quæcunque frigiditate interimunt, si paucula sumantur nutrire corpus posse, velut lactucæ succum: at quæ putrefaciendo erodendóque ea nunquam nutrire, ne si præ paruitate quidem innoxiè corpus permeent: genere nanque talia humanæ aduersantur naturæ. Difficultatis igitur solutio est calida venena non quãtitate, sed genere esse deleteria, quia minima quæque eorũ quantitas lædere apta nata est, nisi aliquo ex recitatis modis impediatur, vt verò occidat, determinatæ cuiusdam quantitatis vt sit oportet. Minima itaque omnino eorum quãtitas nullam læsionem faciet, sicuti nec sola ignis scintilla excalefaciet, pauca quantitas lædet, respectu præcipuè habito ad ea quæ frigiditate nocent, quæ multæ admodum

dum

dum quantitatis ad nocendum vt ſint oportet, & in pauca quantitate nutriunt. Et his modis Galeni recitata loca omnia interpretamur. Ad rem itaque noſtram redeuntes theriacam, cuiuſcunque ætatis fuerit, cantharidibus aduerſari dicamus, quoniam, vt ex Dioſcoride veneni huius curationem inſtituente diſcere quiſque poteſt, his quæ à tota ſubſtantia agunt Alexipharmacis, tam frigidis quàm calidis, illud euincitur medicamentis. Colchi ſequitur ab aliquibus, vt Dioſcorides admonet lib.4.cap.76. Ephemeron dictum, à nonnullis agreſtis Bulbi nomine donatum. Ephemeron dici aiunt, quia vno die interimat, dixítque ideo Andromachus in ſuo carmine:

Aut præſens morte venenum
Colchi tuum ſumat.

Nomine autẽ regionis in qua naſcitur hanc herbam nominari eſt eodem loco author Dioſcorides, quia ſcilicet vt plurimùm in Meſſenia & Colchis naſcitur, dici ideò Colchicum teſtatus. Bulbi effigiem cùm habeat, ideò & antiquorum nonnullis agreſtis Bulbus dicebatur. Quare & eius imaginẽ ſe depinxiſſe Dioſcorides admonuit, ne fortè à quoquam imprudenter pro Bulbo deuoretur. An ſit hoc illud purgans medicamentum quod Hermodactyli nomine Arabes Medici appellarunt, præſentis non eſt inſtituti determinare: ſicuti nec eos lubet redarguere, qui venenum hoc eſſe cẽſent arte confectũ, à Barbaris Naphthã vocatum: quo qui vel inuncti fuerint, vel pallium ab eo delibutum geſſerint, ſi aduerſus Solem ſteterint, ceu igni inflammati abſumuntur. Venenum

hoc esse mortem offerens citissimè, Dióscoridi, Nicandro, Paulo, & Plinio sufficit credidisse: quanquam nec tota planta venenosa dicta est, sed radix tantùm eius Bulbi speciem referens, quam comestam fungorum more strangulando enecare enuntiauit Dioscorides loco assignato. Videas porrò Galenum lib.5.de simpl.med.facult.cap.19. (secus ac communiter ferè ab omnibus enuntiari hoc tempore audio) inter ea venena fungos enumerare, quæ tota essentia nobis contraria sunt: proindéque si vel minimum eorum assumptum fuerit, lædere. Is enim cum Dryopteri, Pityocampe, thapsia & Hydrargyto similes viribus fungos facit venenosos: hos quoque excalefacere quòd constituat dubio procul est. Neque est quòd in eo dubitationem quis ponat, quia dixerit Galenus fungorũ nonnullis inesse venenosum virus, quando nec fungos omnes venenosos esse & virulentos, sed quosdam tantùm & Dioscorides dixerit, & experientia in dies confirmet. Dices, arbitror, constituisse Galenum fungum frigidum & humidum lib.7.de simpl.med.fac.cap.proprio, illúmque harum facultatum medio occidere posse. Vt scias tamen conuenit, fungum & si frigidus sit, & cùm venenosus est interimat, non tamen frigiditate interimere: sed quibusdam partibus corrosiuis, quas admixtas habet, quando venenum in se continet, non aliter ac si succo lactucæ quidpiam Arsenici aut viperinæ saliuæ admisceres. Cæterùm hoc idem ratio & experientia confirmant. Qui enim à fungis occidũtur venenosis, non cum refrigeratione, stupore, aut sopore, vt qui à vene-

nis

nis frigidis necantur, sed cum anxietatibus, vt qui à calidis intereunt, quemadmodum in Alexipharmacis Nicander scripsit. Ventriculum adhæc & intestina exulcerant nonnunquam, quod calidi eorum veneni certissimum est argumentum. Idem credas necesse est, si qua de causa fungum contingat esse venenosum consideraueris. Vel enim sua natura eiusmodi illum esse, vel ex accidēti scripsit Dioscorides. Propria natura talis est, qui lupi flatus & in lecto mingens dicitur:& qui ex arboribus sua natura venenosis enascitur, vt taxo & similibus. Ex accidenti verò is est deleterius fungus, qui prope clauos rubigine tinctos aut pannos marcore confectos, fimos putridos & serpentum latibula extuberat: quibus nominibus calidum virus fungis deleteriis inesse persuademur. Quandoque quidem & fungos veneno carentes occidere certum est:id tamen ea conditione Dioscoridis opinione aduenit, si largiùs multò quàm par sit assumantur. Adde nec tam citò tunc eos occidere, vt venenosos: quod animaduertisse ad rem nostram maximè facit. Colchi igitur venenum calidum est, si venenosi fungi instar strangulat. Etenim sumentem Dioscoridem à fungis occidentibus exemplum pro patefaciendo Colchidis veneno, de solis venenosis fungis licet interpretari, qui non quantitate occidunt, sed qualitate tantùm. Neque Colchicum ipsum vna die occidens cum iis fungis comparari potuit, qui sua tantùm quantitate strangulāt, quando nec in tanta quantitate sumatur de more Colchi Bulbus: nec fungi ipsi quantitate sola occidentes celerri-

mè adeò interrimant. Cæterùm hoc idem Nicādri de Colchico veneno iŋ suis Alexipharmacis hunc in modum differentis authoritate licet cōfirmare: si Colchidis Medeæ infensum ignem, Ephemerum nimirū, potu quis sumpserit, ab eo tùm labia humectata ineuitabili intus attritu læduntur, ceu albo ficus liquore vel aspera vrtica corpore perfrictus esset, vel scillæ seminali capite, quæ supra modum teneram carnem incendit: grauedo circa stomachum sedet, quem ad vomitum prouocat: deinde lethali vstione radicitus exulceratum reddit, vt perinde per ceruicem fœda eructet, egerátve, atque turbidum à carnibus liquorem coquus effudit: quin & aluus tetrica excrementa per inferna eiicit. Profectò hæc omnia calidissimi & maximè erodentis veneni sunt symptomata: cui eam nobilissimam Antidotum Andromachum summa ratione opposuisse dicendū est, quæ venenis hisce calidissimis celerrimè occidentibus è diametro aduersatur & repugnat, poténsque adeò est & valida, vt ea è vestigio celerriméque irrita faciat & inualida: quod alioqui & aliis argumentis liquet. Remedio huic veneno eadem esse docet Dioscorides, quæ fungis. His autem medicamenta tradidit in Antidotum calida & sicca, qualia nitrum, lixiuium cum arida muria, satureiæ aut origani iusculum, Gallinaceum fimum potum ex aceto, aut eiusdem delinctum cum melle multo, capite immediatè præcedenti. Quare & prouectam in ætate theriacam tantæ necessitati satisfacere posse certum est. Sed & eandem cùm refrigerare valdè apta est, calidiores veneni

neni iſtius vires retundere poſſe, eſt æquè manifeſtum. Hanc in propoſiti veneni curatione maiore dicimus dignam eſſe commendatione, quòd ſua frigiditate fluxiones eius veneni ſiſtere apta eſt, cui adſtringentia medicamenta ad ſæuientem diſpergendum morbum pro optimo Alexipharmaco conſtituit Nicander. Hanc eandem antidòtum thapſiæ vires eneruare, eámque ex tótó euincere magna ratione potuit Andromachus determinaſſe: quando hæc quoque ex iis venenis ſit, quæ caliditatem multam habent. Non eſt vt ad rem hanc demonſtrandam multis vtamur argumentis, cùm adnotaſſe ſufficiat, veratro albo, Elaterio & nigro agarico ſimilem feciſſe Dioſcoridem thapſiam lib.6.cap.33. Aliqua eſſe, inquit ibi, quæ etſi ferendi auxilij gratia tradantur, non minora tamen cæteris venenis pericula ſæpius adferunt: qualia ſunt, album Veratrum, thapſia, Elaterium, & Agaricum nigrum: hæc ſiquidem ſtrangulatus concitant, aut immodicas deiectiones mouent. Quibus, ſubdit deinceps, ea medentur, quæ in fungorum mentione & ſimilibus retulimus: fungis autem venenoſis ea occurrere didicimus quę Colchi aduerſantur. Quare ſi huic inimica eſt theriaca, igitur & thapſiæ. Poſteaquam autem de venenis & quantitate & qualitate ſiue toto genere enecantibus locutus eſt Andromachus, ad ea tranſit protinus quę ex animalibus ſuo morſu lædentibus proueniunt, continentúrque ea his carminibus:

Arida non Dipſas, non clarus fraude Ceraſtes,
Non feret impreſſo, Vipera, dente necem.

In cassum cauda consurget Scorpius vnca,
Nec subitos luctus Aspis iniqua dabit.
Non Ptyas audebit, calido progressa cubili
Vt priùs aduersa, comminus ire via.
Nullus ob Hæmorrhi stillabit vulnera sanguis,
Nec tumidos faciet pressa Dryina pedes.
Claudere non cogent odiosa Phalangia summum
Concursu tremulo frigoribúsque diem.
Non Hydrus. Nec vbi terret Sol æquora Cancro
Cum petit arua minax, concitus atque furit,
Ora trahens multa Chersydrus cæde cruenta
Supremum vitæ ducet in exitium.
Hac fidens, æstu per rura vagabere, Cæsar,
In Libyco quamuis progrediare solo.
Nil oberit sicci tibi ruris alumna Rubeta,
Nil geminum tollens Amphisibæna caput.

Videamus nos itaque an aliqua ratio sit, per quam tot venenosorũ animalium morsibus theriacam aduersari Cæsarem admonuisse potuerit Andromachus. Sanè verò ea vna est (quanquam nobis obscura & imperceptibilis) iam antea adducta, vt sua essentiali forma occultáque proprietate venena omnia, quęcunque illa fuerint, infringat theriaca. Sed si quis naturam horum venenosorum animalium sciuerit, aut saltem eorum occidendi modum cognouerit, aliquid fortasse ratione media inueniet, idem pressiùs insinuans & manifestiùs. Accedat primo loco enumerata ab Andromacho Dipsas, non sine causa arida dicta: cuius proprium esse cùm dixerint Scriptores omnes, vt quem momorderit cum per sitim enecet, hoc idem significāte nomine ipso: potuit & arida vocari.

vocari. Videas propterea & Nicādrum in theriacis hæc de Dipſade ſcripſiſſe: Cor humanum ex huius morſu prorſum accenditur, ac arentia præ nimia ſiti labia ſiccantur: ipſe verò ad inſtar tauri ſuper fluuium hiando procumbēs tam immenſo potu ſeſe replet, vſque dum vterus vmbilico fracto grauius onus effuderit. Verùm an ex Aſpidum genere vel potiùs viperæ quędam ſpecies ſit, hoc loco determinare non cōuenit. Sufficiat tantùm ex hoc ſerpentis huius occidendi modo illud collegiſſe quod ad rem noſtram facit, calidū nimirum eſſe virus huiuſmodi, quod tātam támque inextinguibilem facit ſitim. Quapropter non ea tantùm ratione ei occurrere theriacam dicere eſt, quòd omnia infringat venena, ſed etiam quia Opium continet frigidum admodū medicamentum, tantam caliditatem infringere valdè aptum, quod cùm primis huius antidoti annis maximopere adhuc vigeat, primis quoquè annis nō minùs ac aliis ſerpentis huius venenum euincere theriacam poſſe ſatis conſtat. Ne miremur, quæſo, excalefacientem quoque theriacā ei veneno quod ſua caliditate occidit aduerſari, quādo acres cibos ſalſamentáque pręcipuè, & meracas potiones pro eiuſmodi euincendo veneno ex induſtria commendauerint Dioſcorides, Paulus & Actuarius. Huius rei admiratione motus magnus ille Alexander Aphrodiſienſis, cauſam, propoſito priùs problemate, quod in eo libro Problematum qui ſub eius nomine circumfertur vltimū eſt, reddere conatus eſt. Dico igitur, inquit, non qualitatis ratione ſitim ſedare theriacam, ſed mutuo quodā

cõſenſu ac ratione naturali. Id eſt, huiuſmodi Antidotus, quæ plurimis ex herbis componitur, quæ conſenſum aliquem cum ſingulis corporis partibus habent, veluti Dictamnum cum corde, ipſum confirmãs & ſeruãs: Eupatorium verò cũ hepate: Scolopendrium cum liene: Petroſelinũ cum ventriculi orificio: Hyſſopus cum ſepto trãſuerſo & pulmone: Helenium cũ Renibus: Ruta cũ collo: Gentiana cum cerebro: Seſeli cum veſica vrinæ. Vnumquodque igitur horũ mellis dulcedine allectum trahit quod ſibi proprium ad tutelam eſt, inter quæ omnia ſunt & viperarum immixtæ carnes, quæ naturalem quendã mutuum affectũ habent, quam antipathiam dicunt, aduerſus quoduis venenoſum animal, corruptibilémq. virtutem. In ſingulas igitur partes diſtributa, affectum illum qui corruptionem minetur agere non ſinunt. Repugnant enim ceu legitimi quidã milites, qui pro ſua ipſorum patria arma cœperint. Hæc licèt vera ſint, & ab acutiſſimo philoſopho, qualis Alexander fuit, prodierint, nõ tamen ei quod per Problema perſcrutandũ ſibi ipſi propoſuerat, quorũdam opinione, planè ſatisfit. Cur quos Dipſas momorderit, ſitíque ſint intolerabili affecti, eis epota theriaca quæ ſicca eſt & calida ſitim ſedat, non autem magis incendit, quærẽdum inſtituit: rationémque reddit eam, qua theriacam membra omnia ad venena euincenda munire cõſtat. At in hoc ipſo, quòd theriacã membra omnia aduerſus venena munire docet Alexander, quare etiam ſitim ſedet, docet manifeſtè. Hoc ex huiuſmodi ratiocinio colligitur, ni fallor, apertè. Venenum illud

eſt

eſt quod intolerabilem facit ſitim: theriaca euincit venenum : hæc igitur euicta cauſa ſitim extinguit. Non alia certè, ſed prorſus ſimili ratione, ac obſtructiones febrem facientes calidis medicamentis reſerantes Medici, febrem ipſam, quæ calida paſſio eſt, extinguere dicimur. Atque hæc eſt ratio, qua theriacam huius ſerpentis veneno efficaciſſimè aduerſari potuit Andromachus ſtatuiſſe. Sed quæres, arbitror, quomodo? Priuſquam tantum morbi genus, vt Dioſcorides, Paulus & Actuarius teſtantur, emerſerit: quo ſemel erumpente opem ſic commorſis vlla Medici opera ferre nequit. Quapropter & execrandum & ſummè timendum eſſe venenum huiuſmodi conſtat. Nos tamen Italos illud vel maximè hac in re ſolari poteſt, quòd Auicenna & Galeno teſtibus in Libya ferè tantùm ſit ſerpentum iſtorum prouentus, ob eximiam regionis illius caliditatem & ſiccitatem. Cæterùm non aſſumptam tantummodo theriacam veneno huic aduerſari certum eſt: ſed èxtrinſecus quoque cataplaſmatis inſtar loco cõmorſo appoſitam, tanquã maximè attrahens medicamentũ, & iã ingreſſum in corpus virus ex alto euocans ac infringens. Quod ex his quæ de canis rabidi morſu euincendo dicemus deinde patefiet prorſus. Id autẽ quod ad omnium venenoſorũ animalium morſus maximè valere ratio ſuadet, de hoc vno exẽpli & breuitatis cauſa hoc loco cõmonuiſſe ſufficiat. Ceraſtes ſecundo loco poſitus eſt, qui cornua in fronte geſtare cùm videatur, cornutus ideò à Latinis appellatus eſt. Is an idem cũ ceriſtali, criſtali, triſcali, Syrtaliſque ſerpentibus

vocatis sit,nunc non disputo. Eius magnum esse in Africa prouentum scriptum est à Luciano in Dipsadibus. Quin & loca Libyæ mediterranea arenarum cumulis referta,quò plus vitę necessariis carent, eò variis magnísque serpentibus, iis præsertim quos Cerastas vocant, quorum morsus lethales habentur, abũdare scripsit Diodorus Siculus. Hunc serpentem arenæ colorem cùm habeat similem, à paucis propterea internosci, coloríſq; errore seductos aliquos pedibus illos conculcantes vitæ periculum subire,idem Diodorus admonuit. Dici autem fraude clarũ hunc serpentem ab Andromacho, siue quia cornuum motu reliquo corpore occultato sollicitet ad se aues, vt credide runt Plinius,Isidorus & Solinus: vel,vt alij existimarunt, quoniam secundùm vias vt prætereuntibus insidias moliatur iacet: vel quia per obliquũ, non rectà properans incautos corripit homines, vt alij quidam dicunt: vel vt alij quoque,quia per orbitas rotarúmq. decurrentium vestigia sese occultans in se incidentẽ occidit, possit qui voluerit ad libitum credere & affirmare. Eius naturã maximè quidẽ venenosam esse in excessu calidã, ea, vt puto,ratione affirmauit Santes Ardoinus lib.de venenis cap.de Ceraste,quia eius morsum sympto mata insequantur calidum affectum connotantia. Dioscorides & Ægineta in mẽbro à Ceraste cõmorso sentiri quasi acum aut clauum infixum dicunt,corpus graue effici,& inflari labia, vertiginẽ superuenire, mentémque lædi: quæ omnia ab affectu calido produci manifestum prorsus est.Hoc idẽ ex iis demõstratur,quę de Cerastæ morsu scri-

psit

psit Nicander in theriacis, quando scilicet per tetricam puncturam quisquã fremuerit, clauo simile callosum tuber fieri, liuidos verò tumores instar bullarum imbris circa morsum proserpere, in duplici inguine & ambobus poplitibus assiduũ dolorem ali, pallidúmque colórem imprimi, laborantibúsque parum animi, modicum vigoris ex ea plaga relinqui. Quid itaque Andromachum mouere potuerit ad opponendam theriacam veneno huius serpentis, & qua de causa hoc illa præstare valeat, ea manifestum faciunt, quæ proximè de Dipsadis veneno per theriacam euincendo scripsimus. Sed ex his quoque quæ peculiariter aduersus Cerastæ morsum commendarunt antiqui Medici, eiusdem opinionem firmiùs confirmari posse animaduertimus. Remedia eadẽ quæ morsis à vipera conferunt, à Ceraste morsis conferre scripsit Aetius. At contra viperæ virus quid valeat theriaca proximè significabimus. Costum, Cassiam, & Cinnamomũ rectè per potionẽ assumi cùm Cerastes percussit, Celsus docuit. Castoreum & campestre Calamentum cum vino, tanquam optimum contra hoc venenum Antidotũ, commendauit Auicenna. Myrrham Plinius & Castoris testes laudauit. Sed hæc omnia & singula theriacam continere scimus. Post Cerasten posita fuit vipera, de cuius forma ac specie si aliqua hoc loco præfari conuenit, ea ex his quæ in priore nostro libro de viperinis trochiscis differẽtes scripsimus sunt accipienda. Quod dixit Andromachus : *Non feret impresso vipera dente necem* : id ob eam causam dictum existimo, quo-

niam, vt Nicander in theriacis ſcripſit, noſtræque ætatis ſerpentum inueſtigatores affirmant, viperarum dentes in veſicula quadam latent non admodum longi, intra quam eos pro arbitrio cōdere ac promere poſſunt, & in qua humor continetur venenoſus, quem ſimul cum morſu emittunt. Porrò de viperę veneno duo apud Scriptores in dubium verti animaduertimus: Frigidúmne an calidum illud ſit, ánque ex his ſit quæ cito, ſtatim, longóve tempore interimunt: quorum determinatio ad præſens inſtitutum facere maximè videtur. Galenus dux noſter & anteſignanus, libri ſecundi de locis patientibus cap. vltimo, omnia animalia quæ frigidi ſunt temperamenti hyeme ſe in latebras recipere ſcripſit, quæ eadem ſcripſit Ariſtoteles lib. 8. de hiſt. animal. cap. 4. & propterea tunc temporis viperas ferè extare immobiles adnotauit. Quæ verò à viperæ morſu ſentitur corporis grauitas & torpedo vnà cum vertigine inſurgente, & coloris liuiditate, quemadmodum Nicander in theriacis cap. de vipera docuit, frigidi effectus euidens ſignum eſſe videtur. Quod inde quoque confirmatur magis, quòd ſerpentes omnes frigida natura eſſe crediderint nonnulli. Qui hanc tenent ſententiam, habent quem adducant Plinium lib. 10. Nat. Hiſt. cap. 72. Serpentibus neque calorem, neque ſanguinem, neque ſudorem ineſſe ſcribētem. Quod dixit lib. 1. de Antidot. author cap. 5. omnes medicinas, quas ſerpentibus aduerſari lōga experiētia cōpertū eſt, amaras eſſe, eiuſdem rei argumentū eſt non vulgare: calida cùm ſint quæcunque amara, frigidíſq;
propterea

propterea inimica. Argumentantur & aliqui non inaniter in huius opinionis fauorem, & serpētum omnium frigidam esse naturam, eorúmque venena consequenter talia esse cōtendunt. Omnes, inquiunt primo loco, qui venenantur à serpentibus, frigore quodam mirifico statim tentantur. Deinde si latent hæc animalia hyemis tempore quatuor mensium spacio toto, vt ex Galeno & Aristotele dictum est, id non alia de causa fieri potest: nisi quia frigido cùm constent temperamēto ambientis frigiditatem sustinere nullo pacto possunt. Addunt, serpentis media æstate manibus tractatos frigidos sese ostendere, quod in iis potissimùm cōspici Iacob. Greuinus lib. 1. de Venenis eiusdem numeri cap. testatus est, quos Gallia eius patria producit, adducto duntaxat sui ipsius testimonio, qui cùm aliquando sub finem mensis Iulij febre ardente correptus decumberet, amicus eius quidam, vt à maximo æstu, quem in manibus persentiebat, eum liberaret, Serpētem insigni magnitudine & longitudine obtulit, quem perpetuò instar glaciei frigidum esse sentiebat: etiamsi eū continuè manibus tractaret, & in lecto voluens & reuoluens illum calefacere conaretur. Dicunt præterea, exanguia sua natura animalia, vt serpentes sunt, necessariò frigida esse. Etenim si quodcūque dicitur calidum, frigidum, humidum aut siccum, collatione ad id facta quod toto genere temperatum est, sitque homo inter animalia maximè temperatus, minus sanguinis cùm habeant serpentes quàm homo, frigidiores illo dici dubio procul debent. Quin etiam, subdunt, serpentum caro

dura adeò est & densa,ac tam solida vt hoc vno argumento eorum frigiditas abundè pateſiat.Parum item bibunt serpentes, & è contra voraces sunt:quæ frigidi temperamenti signa esse Medici constituerunt.Toto adhæc eo tempore, quo latitant in cauernis,à cibo abstinent, eorum carne & pinguedine in nutrimentum conuersa : quod de aliis animalibus sua natura frigidis tempore frigidiore sine cibo latitantibus medici quique & philosophi vno ore affirmant: Viperam igitur hyeme latitantem frigidum serpentem esse volunt.His itaque ac similibus freti rationibus, serpentum omnium,è quorum numero Vipera est, frigidam esse naturã, eorúmq. venena eiusmodi pariter esse liberè omninò enuntiant:eos qui secus sentiunt deridentes. Non sunt tamen hi deridendi, neque tam de facili refutandi, qui multa & ipsi contrarium attestantia habeant. Petrus enim Andreas Matthiolus, de medica materia optimè sine dubio meritus, contrarium asserit lib.6.suorum in Dioscoridem commentariorum cap.11.Sed desiderandum erat, virum alioqui eruditissimum tantam difficultatem planiùs dilucidasse,qui sola argumentorum contrarium suadentium solutione contentus fuit.Dicamus nos itaq,planissimum imprimis esse,nõnullorum serpentum virus esse calidum, ídq.tanquam manifestissimum nullo argumento posse obscurari,aut in dubium duci. Quis est qui hoc neget. in Dipsadis veneno tantã sitim faciente, vt inextinguibilis sit,eique succedat mors citissima?Profectò quæcunque statuatur huius animalis natura,

eius

eius venenum excalefacere certa res est prorsus. De Ceraste eadem est ratio, à cuius morsu calida pleraque symptomata excitari proximè audiuimus. Dryinam supra se transeuntium pedes excoriantem, quis frigidum venenum eiaculari dicere audebit? Est sanè excoriatio eum in modum facta, non excalefacientis modò, sed adurentis causæ effectus. Sed & Viperæ carnes constituit Galenus excalefacientes desiccantésque, lib.11.de simpl.med.facult.cap.proprio: atque eò calidiores & sicciores, quò in sicciori & calidiori captæ fuerint regione, aut iuxtà salsas aquas enutritæ. Harum virus insigniter calidum esse ex his ostenditur, quæ commorsum ab eis hominem inuadere, docuit Nicander in theriacis: quæ quidem à sola calidiore causa excitari facilè erit cuique intelligere. Porrò, inquit Nicander è viperæ inflicta plaga, sanies, aliàs pinguedini similis, aliàs cruenta, interdum sine vllo colore conspicitur: sed quæ vlcus ipsum caro circundat germinans graui se offert tumore, interdum rubens túmque palàm liuida cernitur, quandoque etiam aquosum onus concipit, frequentes præterea bullæ, ceu vacui per ignē tumores, perinde ac corpus igne sit ambustũ, in cute supernè ebulliunt illic subinde putredines circum circa accurrũt, aliæ quidem seorsim à vulnere, aliæ circa plagam veneno non dissimilem mortem edentes. Nescio sanè an caliditatis notæ possint desiderari planiores: ánq. clarius viperarũ virus esse calidũ demonstrare Nicander potuerit: si præsertim ea quoque attendantur, quæ deinceps de hoc eodem veneno

tanquam re vehementer ignescente & totũ corpus exedente scripsit ille idem. Ea item qui leget, q̃ de Viperæ morsu ab Aetio & Actuario scripta sunt, longè plura colliget argumenta earum veneni caliditatem significantia. Inter hæc autem velocitas penetrationis, flauities vniuerso corpori inducta, & mors cita præcipuum locum nobis habere videntur. Furit adhæc Vipera, Galeno magistro in lib. de ther. ad Pison. cap. 16. media æstate & sub cane ipso, crescente scilicet ob calidiorem aeris temperiem sui veneni caliditate. Scorpium adhæc & Viperam cõtrarij eorũ veneni causa sese mutuò interimere à multis dictũ est, & à plerisq. obseruatũ. .Cùm igitur sese interimant mutuò, neq. à simili fiat passio, cõtrarij veneni causa id euenire dicendum est: scorpionis autem venenum frigidum esse constat: huic igitur calidum Viperę venenum exitio esse necesse est, & è contra. Scripsisse Galenum neminem fugit, lib. 11. de simpl. med. facult. cap. de Dracone marino, his qui à Vipera morsi sunt scorpium conuenire: quòd à contrario sensu idem vel maxime confirmat. Iam & Auicennæ, Viperarum venenum calidum esse nõ vno loco affirmantis testimonio idem confirmatur. Sat fuerit cap. 21. tract. 3. Fen. 6. libri 4. in exẽplum hic adnotasse. Celsus quoque lib. 6. de re med. cap. 27. serpentum venena omnia non esse frigida dixit. Cæterùm pro huius controuersiæ solutione id imprimis censemus adnotandum: aliud scilicet esse loqui de temperamento carnis serpentum, quatenus scilicet eorum corpora carne, sanguine, ossibus & pelle constant: aliud de eorum

eorum veneno. Atque quodcunque ſtatueris eſſe generale ſerpentum temperamentum, ſiue frigidum, ſiue calidum, inconueniens minimè eſſe dicimus, frigidos ſua natura ſerpentes venenum habere calidum. Conſiſtere venenum in quodam ſubtiliore ſerpentum humore ſiue ichore, ſiue excremento (quomodolibet illud appellaueris, non multi facio) planius eſt, quàm vt demonſtrari debeat, celerrima eius actione id manifeſtante. Id autem in animali frigido gigni poſſe calidũ, negari quî poſſit minimè video: ſi præcipuè Plinio ipſi ſerpentũ virus in felle contineri aſſerenti lib. 11. cap. 37. credendum nobis eſt. Nónne videre eſt frigidioris temperamenti animalia pleraque calidiores quaſdam internas partes habere, & in multis miras quaſdam & reconditas res reperiri, quarum cauſam ignoramus. Legãtur Plinius, Albertus Magnus, Ariſtoteles & quotquot de Natura animalium ſcripſerunt, innumeráque harum rerum inuenientur exempla. Quòd ſi etiam nulla alia eſſet ratio, quæ id nobis perſuadere poſſet, effectus ſanè ipſi euidentes caliditatem horum venenorũ inſequentes, ratione relicta ſenſum ipſum id apertè commonſtrantem inſequendum nobis eſſe perſuadere deberent. Quòd ſi vera ſunt quæ de fungi veneno paucis ab hinc ex Galeno adducta ſunt, iam non eſt, vt in re ſua natura frigidiore calidum venenum contineri ampliùs dubitemus. Ab his verò qui ſecus ſentiunt ratio deducenda erat firma ſtabiliſque, per quam à frigido veneno calidiſſimos effectus illos, quos audiuimus, prouenire poſſe doceremur. Id vnũ ſufficere ſibi ipſis

persuadere potuerunt, vt frigidam esse serpentum temperiem ac naturam ostenderent, quod neque etiam ita demonstrarunt siue confirmarunt, quin multis argumentis possit infringi. Quinquam enim verum sit, omnia animalia temperamento frigidiore exhistentia per hyemen in latebras se recōdere, vt locis adductis Aristoteles & Galenus docuerunt: non propterea animalia quæque se in latebras hyeme recipientia esse frigida constituerunt. Vespa, nāque quam calidi esse temperamēti fatetur quisquelhyeme se in latebras recipit & tanquam mortua degit: quo vel solo argumento vniuersalem aduersantium assertionem falsam ostendi posse sibi meritò persuasit Auicenna, loco proximè scripto: qui cum vltrò subdiderit non esse à veritate alienum reperiri serpentem complexione calidum, qui hyeme non moueatur propter contrarietatem complexionis naturalis, & propter illud quod accidet ei de rebus aliis, ad ea sine dubio confugere visus est, quæ in naturæ penetralibus arcana sunt & singularia, à nobis minimè neganda. Quàm mira in se habeant serpentes plerique, quæ cùm suæ ipsorum naturæ aduersentur vix credibilia sunt, neque rationem habent vllam qua demonstrentur, apud eos legere est, qui de his rebus ex professo scripserunt. Quæ adducebantur secūdo loco mortuum serpentum effectus frigidos connotantia: ea, inquit Auicenna, propter caloris innati mortificationem à veneno factam eueniunt. Quapropter etiam si cōsiderentur attentiùs, mortis iam imminentis signa sunt manifesta, post alia quæ caliditatem multam habebant

habebant

bebant apparentia,quòd in his quoq.calidis morbis qui occidunt licet obseruare. Quod scripsit Plinius, serpentibus neque sanguinem neque calorem inesse, id absolutè accipiendum minimè est: sed serpentes pauco sanguine & calore abundare nos ille admonuit;quod etsi concedatur,non inde tamen sequitur omnes serpentes frigido esse temperamento, quomodocunque collationem facere lubeat, aut saltem aliquid internè calidum serpentes non habere non colligitur propterea. Sed nec ex eo quòd dixerit libi primi de Antidot. author cap.5.omnes medicinas, quas longa experientia serpentibus aduersari compertum est, esse amaras, omne serpentum venenum frigidum esse colligi posse video, qui sciam attenuantia medicamenta,cuiusmodi sunt amara quæuis, in cuiuscunque veneni curatione pro sudoribus & vrinis proliciendis ab omnibus commendari. Frigore tentari statim eos qui à serpentibus mordentur, minimè negare ausim. Id tamen vel timoris vel calidæ nocentis causæ effectus est. Timorem totum corpus refrigerare, tam notū est quàm quod notissimum, concentrato nimirum timoris causa natiuo calore: insignem autem esse timorem eorum qui à serpēte morsi sunt,nullus nescit. Bilem præterea præternaturalem,quæ sine controuersia calida est& sicca,persensibiles corporis partes delatam rigores & frigora ab initio putridarum febrium inferre, cuique Medico notum esse scio. Calidum itaque venenum per easdem partes delatum idem efficere posse,non est,mea opinione, mirum. Neque etiam externam serpentum frigi-

ditatem eorum internæ frigiditatis argumentum adeò certum esse concedo, vt non possint etiam eorum aliqui caliditatem internam habere multam, si præcipuè coriũ & squamas habuerint duriores. Nec serpentes omnes id habere, vt ad tactũ media æstate sese frigidos ostendãt, aliquem qui id expertus fuerit vel audiui vel legi. Quòd respectu ad hominem habito serpentes omnes frigidi sint dicendi, tanquam longè minori sanguine & calore præditi, id quidem concesserim. Sed collatione inter seipsos facta alrquos dici non posse & non esse calidiores, hoc est quod nego. Etenim in quacũque animalium specie sexus præcipuè causa id reperiri certissimum est. Amphisbænam lõgè ante alias serpentes è latibulis exire & diuagari scribitur: quod non aliter fieri posse censeo, quàm quia sit illa aliis serpentibus minùs frigida, frigidioris aeris iniurias minùs timens. Quãquam etiã eos serpentes qui in Libya & locis arenosis ac calidis degunt, esse debere cæteris calidiores ratio suadet vel manifestè. Serpentũ pariter duram carnem & solidam eorum omnium frigiditatis argumentum minimè esse cõcedimus: quorundam siquidem molliores sunt carnes, vt viperæ, Cerastæ & Dipsadis: imò carnis soliditas vigentem quandoque calorem insequitur. Parum bibere serpentes & esse voraces, eius quidem eorum partis in qua cibi concoquuntur frigiditatis signum esse non imus inficias: inde tamen totius eorum corporis frigiditatem argui negamus: siquidem & in hominibus ferè semper ventriculi frigiditati aliorum membrorum caliditas adiicitur insignis.

Quod desumebatur ab hiemali latitatione argumentum, minimè imprimis vniuersale est, propter vespas ipsas, quæ calidi sunt temperamenti, & tamen latitant hieme. Quin & inter os qui latitant serpẽtes minor aliquis & maior reperitur gradus frigiditatis, ita vt qui minorem habent frigiditatem aliis, calidiores possint appellari. Et denique quomodocunque frigidi statuantur serpentes eorum aliquos calidum habere venenum proximè demonstrauimus, fiétque illud magis in sequentibus manifestum. Quapropter etiam vbi viperas frigidas esse verum esset, calidum venenum eas eiaculari dicere possemus. At quæ de carnis viperarũ temperamento apparet in dictis Galeni contradictio, ea vt auferatur paulò plus diligentiæ requirit. Dicere possemus sua quidem natura frigidas esse viperas, si pręcipuè carnium illarum consistentia, color, & alia huiusmodi spectentur: quia tamen aliquid virulenti vt habeant necessę est, vt scripsit Galenus libro de theriaca ad Pison. cap. 10. excalefacientes ob id & exiccantes illas euadere, cùm virus illud calidum sit & siccum. Thomas à Veiga, cui inter recentiores Medicos scriptores multum ab omnibus tribui sentio, in expositione eius loci, qui ex lib. 2. de loc. patientibus exceptus est, controuersiam eum in modum dirimi posse censuit, vt aliud sit acrimonia & intensione caloris pollere: aliud copia innati calidi abundare. Quæcunque ergo, inquit, vel vtroque deficiunt, vt plantæ & exanguia animalcula, vel altero tantùm calidi genere, vt serpentes, hieme aut pereũt, aut torpent & quiescunt, habitu mortuis simili-

mo: eadem hæc accessu Solis florent vigéntque, quoniam quantum calore natiuo destituuntur, tantum Solis accessu reparant & perficiunt. Homo verò & quæcunque calore abundant aliter faciunt, & frigiditati hyemis resistunt. Profectò quæ & qualis esse debeat doctissimi huius Scriptoris hac in re commendatio, ex aliis malim audire, quàm temerario ausu quidpiam vltro de eius sententia determinare. Eóque magis quia viris clarissimis eam commendari ea ratione audiuerim, quoniam, quòd in latebris degant viperæ, id imbecillitati caloris naturalis tribuendum voluerunt, qui cum exilis sit, subterranea ob id quærunt tanquam calidiora: Solis calore adueniente viuificantur, & tanquã à proprio principio calor augmentum sumit: non negandum tamen dicunt in carne viperina & viperis, dum vigent & Sole viuificantur, carnes earum multa bile refectas esse aduentitio hoc calore acri & igneo, quo cùm virus iaculantur maximè refertæ sunt, & accidentia pariunt calorem per omnia præ se ferentia: caro etiã per se comesta dicũt, siticulosa est: id quod caliditatem & siccitatẽ ostendit, cùm sitis desiderium sit frigidi & humidi. Meam tãtùm & ipse opinionem in medium proferam, vt possint deinde qui rectiùs sentiunt de vtraque ad libitum determinare. In lib. 2. de loc. patientibus de naturali viperarum temperie locutus est Galenus, & hanc frigidam esse verè enuntiauit. At libr. 11. de simplic. med. facult. de carne viperæ ad vsum medicum parata sermonem habuit: cõdiendam autem eam ibidem docet anetho, sale & porro, oleo & aqua adiectis,

adiectis,per quæ excalefacientem exiccantémque vim suscipit. Hæc enim eius sunt verba: Nam viperarum carnes palàm videre est excalefacientes & exiccantes, vbi condiantur ceu anguillæ nempe oleo, sale, anetho, porro & aqua, seruato nimirum modo. Hæc eadem apud eundem leges lib. 2. ad Glauc. cap. 10. adducto quoque Marsorum eodem modo carnes viperarum parantium exemplo. Neque aliter paratas commendasse Dioscoridem & Aetium viperas videre est, cùm eius facultates ad cutaneos morbos profligandos nobis explicarunt. Et vbicunque Galenus aliorúmve antiquorum Medicorum quiuis alius de concoquendis ad vsum medicū viperis locuti sunt, idem semper iusserunt. Dices, arbitror, viperas absque condimento comestas elephantiasim sanasse, vt eodem loco libri de simpl. med. facult. 11. recitatæ à Galeno historiæ testātur. Est tamen vt animaduertas, eas viperas casu quodam in vino priùs periisse, à quo exiccantem & excalefacientem vim suscipere sine dubio potuerunt. At videre videor insurgentem alium, hæcque Galeni verba eodem loco scripta contra adducere: Sane viperarum caro adeò ingentem obtinet desiccandi facultatem, vt quidam qui eam edère vehementissima cruciati sint siti. Ex quibus verbis, loquente scilicet Galeno de non condita viperarum carne, infringi videtur dicta solutio. Id autem & maioris esse momenti intelligo, quoniam viperarum quarundam salsam esse carnem ibidem dicat Galenus, earum inquam quæ prope salsas aquas degunt, quas neque ad esum, neque ad vsum medicamētorum

accipiendas esse suadet. At facilem hæc habent, mea opinione, responsionem. Non est imprimis quòd negemus viperarum carnes,quanquam frigidæ sint, exiccare : quo admisso nulla propterea in ipso Galeno admittitur contradictio. Difficultas enim tota circa caliditatem & frigiditatem versatur. Deinde de Dipsadibus id illum enũtiasse, facta ab eo àMarsis percontatio,eorúmque responsioni habita fides ostendunt manifestè: quod quidem in lib.primo de sympt.cau. cap. 7. explicauit clariùs. Quas verò viperas habere salsas carnes constituit, has non sua natura id habere, sed propter alimentum in salsis illis locis assumptum asserit: quod hæc eiusdem ibidem scripta verba docent: Nam quasdam esse viperas in iis quas memorabant regionibus,quibus salsa sit caro,vel maximè mihi videtur esse probabile. Scio enim cum cibis animalium mutari carnes, non tamen nullum esse genus viperarum Dipsadum pronuntiare valeam. Et hæc ad demonstrandam viperini veneni caliditatem satis sunto. An modò ex his sit venenum huiusmodi quæ statim breui longóve tempore occidunt,nunc paucis videamus. Viperas statim ac momorderint occidere nullus asseruit: longo tempore id euenire , omnes negant : breui igitur occidere venenum hoc ex necessitate sequitur. Breuius autem longiúsve tempus hoc euadit, iuxtà patientis dispositionem , & viperæ virulentiam. Citius moritur qui magis dispositus est ad patiendum : citiúsque occidit in locis siccioribus & calidioribus viuens vipera, veluti & in anni tempore calidiore: & potentior est mas

ipsa

ipsa fœmina. Vtcunque sit, mortem in horis septem, &, cùm longissima est mora, tertia die in his qui non seruantur & maximè in ictis à fœmina vipera euenire scripsit Aetius. Sic & Arnaldus Villanouanus tridui spacium ad occidendum eidem tribuit, Auicennam secutus. Scio Petrum Andream Matthiolum & Amatum Lusitanum rusticorum duorum historias ex oculata fide recitasse, qui statim à vipera commorsi perierunt, in eóque iis credendum est. Sed celerrimæ adeò mortis occasio fuit, quia commorsum locum statim proprio ore exuxerunt, celerriméque ideò ad cor venenum transiit, quod in his qui tantùm commorsi sunt minimè euenit. Nos viperas annis superioribus ad theriacæ compositionem parantes, mediocris magnitudinis iuuenem canem & sanissimum à vipera in naribus morderi ex industria permisimus, qui horæ quadrantis spacio à morsu vires sic amisit, vt stare ampliùs non posset, tremulúsque factus & tumidus valdè vomitu & per sedem multis eiectis excrementis tertia hora interiit. Itaque non sine multa ratione veneno huic perniciosissimo theriacam Andromachus opposuit, qui primus, vt priore nostro libro ex Galeno retulimus, viperinas carnes theriacæ admiscuit: quò vel vnius huius medicamenti adiectione viperarum veneno magis resistere apta esset. Nimius profectò essem & omnibus tædiosus, si aliorum antiquorum Medicorum loca hic citarem, in quibus theriacam aduersùs viperarum morsum commendant. Vnum tantùm adducamus Aetium, qui hominem à vipera com-

morſum, cuius corpus vniuerſum praſſini ſiue porracei coloris celerrimè effectum eſt, theriaca in potu exhibita breuiſſimè ſe ſanaſſe ſcripſit ſerm. 2. Tetrab. 3. cap. 17. cui ſimilis à Galeno deſcripta priùs fuit hiſtoria libr. 5. de loc. patien. cap. vltimo. Scorpius poſt viperam eſt ab Andromacho enumeratus, terreſtris ille quidem, non marinus, ex inſectorum genere nulli non notum animal, ac quaſi familiare, in domorum partibus humidioribus vbique enaſcens, & in cuius caudæ extremitate vnus concauus aculeus, quandoque & duo ſunt, quibus ferit, & venenum in vulnus ab ictu ſuo illatum effundit, ſicque ideò de illo cecinit Andromachus:

Incaſſum cauda conſurget Scorpius vnca.

Nimirum vt illius venenoſam partem & nocendi modum nos doceret. Hoc animal, cuiuſcunque ſpeciei fuerit (octo enim ſunt, ſi Nicandro credimus: nouem ſi Aeliano) ſiue etiam fuerit illud idem alatum ſiue alarũ expers, vtroque nanque modo eſſe ſcorpios poſſe credidit & Ariſtoteles: cùm per extremum illum ſuum acutiſſimũ aculeum hominem feriat, vbi nullum foramen eſt per quod venenum poſſit deiici: neceſſe eſt, dicebat Galenus lib. 3. de loc. patien. cap. 7. vt excogitemus ſubſtantiam quandam eſſe aut ſpiritalem, aut humidam, quæ vt mole minima ita facultate quàm maxima eſt. Hanc refrigerantis eſſe facultatis ex iis conſtat imprimis, quæ eum qui à Scorpione ictus fuerat, perſenſiſſe eodem ille loco ſcribit. Etenim, inquit, cùm nuper ictus quidam

dam esset à Scorpione, videor mihi videre, dicebat, quòd grandine percussus sim, erátque omnino frigidus, sudore etiam accedente frigido. Sed & lib.4. meth. med. cap. 3. scorpionis venenum frigidum esse, calidísque auxiliis infringendum, apertis verbis enuntiauit. Fortasséque Plinium ex Apollodoro dicentem Scorpionem fundere venenum candidum eum in modum interpretari conuenit, vt frigidum intellexerit venenum huiusmodi, cùm color candidus frigiditatis signum sit euidens. Sed & Nicander in theriacis de cuiuscunque scorpionis speciei ictu agens, hominem cùm primùm ictus fuerit frigere, persæpe etiam attonitum euadere tradit. Quin & à quarta scorpionis specie ictis tremores & frigora illico euenire, viderísque aerem grandinem circumstare, etiam si Sol ardentissimis suis radiis flagret. Neque nos moueat, quòd quædam interim superuenire dicat symptomata, quæ caliditatem arguere videntur: sitim putà, & corporis in flammæ modum commotionem, tum quia non sunt hæc perpetua, nec cuique scorpionis speciei communia: tum etiam quia dissentaneum minimè est, & sitim & corporis dimotionem, imò & febrem à causa frigida excitari, vbi præsertim timor accesserit magnus, qualis in venenatis omnibus. Dioscorides propterea & ipse scorpionis ictum horroris sensu & tremore associari scripsit lib.6. cap. 44. Extremas quoque corporis partes refrigerari, inguina extolli, per sedem flatus exire, palloréque membra decolorari eodem loco docuit: quæ omnia insignioris cuiusdam frigiditatis

effectus sunt. Eos verò nulla capiet admiratio, quòd scripserit idem eiusdem capitis initio, scorpionis ictu statim incipere locum inflammari & indurescere, ac interdum rubere : neque propterea calidum esse venenum hoc existimabunt, quos non latuerit summè frigidam rem aliquam corpus contingentem primo statim occursu calorem quendam excitare, vt manibus hyemis tempore niuem contrectantibus accidit. Videas ob id ab huius animalis ictu simul cum inflammatione duritiem, quæ frigiditatis effectus est, exoriri. Cæterùm rem hanc totam sua oratione hunc in modum dilucidauit Aetius tetrab. quarta serm. primo capite decimonono : & quantumuis fuerint calida symptomata, frigidum nihilominus esse venenum, suis verbis demonstrauit: A scorpio percussos vehementissimus plagæ dolor consequitur, frigiditásque ac tensio, & stupor : circáque plagam & totum corpus frigidus sudor, & his qui iuxtà infernas partes percussi sunt inguina tumescunt: qui verò circa supernas, locus sub alis: & hæc quidem leuiter percussis adsunt, validiùs autem ictis ardor circa plagam adest, quemadmodũ in ambustis, & verucarum instar formicarum eruptio circa labra & totũ corpus, vt grandine se impeti putent: facies distorquetur, sordes circa oculos adsũt glutinosę, & lachrymæ viscosæ, durities accedit articulorũ, anúsq; procidit cũ egerẽdi cupiditate, spuma circa os est & vomitus largus, singultus, cõuulsiones opisthotonicis similes. Hæc voluimus omnia ad verbũ in mediũ afferre: tum vt Rasis & Auicénæ.

scorpio-

ſcorpionis parui ab eis Acatarati dicti venenum conſtituentium calidum error detegeretur: tum etiam ad eos recentiores coarguendos, qui ſcorpionibus ſylueſtribus calidum ineſſe venenum contendunt. Frigidum igitur eſſe ſcorpij venenum certum eſt: nocentius illud quidem in regione frigidiore. Frigido itaque veneno theriacam, quæ excalefaciens eſt Antidotus, præſentaneo eſſe auxilio ſummo conſilio ſtatuit Andromachus: quem deinde ſecuti ſunt Galenus, Aetius & alij omnes. Sed ſi tanquam excalefaciens medicamẽtum venenum iſtud euincit theriaca, à duodecimo igitur tantùm ſuæ compoſitionis anno eam ex vſu futuram dicendum eſt, quo tempòre excalefacientem vim adepta eſt validam. Fortaſſe & ante duodecimũ annum, cùm refrigerantis adhuc eſt facultatis, theriacam veneno huic aduerſari eo argumento quis ſuſpicabitur, quòd tritum ſcorpionem, qui quidem frigidus eſt, loco læſo appoſitum eſſe remedio ſcripſerit Galenus lib. 11. de ſimpl. med. facult. cap. de Dracone marino. Sed licèt loco à ſcorpione icto ſumma cum vtilitate admoueri poſſe theriacam nos quoque exiſtimemus, non ea tamen ratione conducturam credimus, qua & ſcorpio tritus. Hic ſua quadam proprietate ſibi tantùm inſita id habet, vt ſui veneni virus euincat, quod theriacæ ineſſe nullus hucuſque cognouit: illa verò vt euocans & attrahens medicamentum proderit: neque id efficiet, niſi priùs excalefacientem fuerit adepta facultatem. Non repugno tamen prorſus quædam etiam frigida medicamenta venenum hoc euincere poſſe,

cùm eorum quædam ab antiquis scriptoribus cõmendari sciã. Hæc autẽ non quatenus frigida, sed qua peculiarem quandam vim aduersus illud habeant, commendari dixerim. Ad Aspidem, qui scorpionem in ordine insequitur, nostra nunc traducatur oratio. Est hoc quoq. animal ex iis serpentibus qui morsum habent lethiferum, tres habẽs, vt omnes dicunt, species: vnam quæ chersæa siue terrestris Aspis dicitur: alteram quæ Chelidonia siue Hirundo appellatur: tertiam Ptydeã dictam. Andromachus autem generis nomine vsus in primis, vnam tantùm speciem eius subinde enumerauit: vel quia non omnes ad vnum serpentes enumerare instituerat, sed quasdam tantùm in exemplum: aut etiam quoniam nomine generis duas alias species subintelligi voluerit: quod hoc loco in controuersiam ducendum non est: quemadmodum etiã an aliæ sint Aspidum differentiæ: posteaquam nõnullas alias serpentũ species à nõ nullis antiquis sub Aspidis genere contineri affirmatum sit. Generis autem nomine duas eius species intelligere potuit Andromachus, quoniam his omnibus speciebus sint ferè omnia communia, præcipuéq. lædendi modus, & læsionis effectus, excepta Ptyade, quã in hominẽ expuere dicunt, vt postea intelligemus. Videre itaq. est Dioscoridem nomine Aspidis, quod genus est, sic vsũ fuisse lib. 6. ca. 54. vt nullius particularis meminerit speciei, & de omnibus eadem prædicauerit. Quę chersæa siue terrestris nuncupatur, tale ob id nomẽ sortita est, quia loca incolit mediterranea, ad differentiã Chelidoniæ dictæ siue aquatilis, quæ iuxtà Nili

ripas

ripas habitare dicitur. Earum virus frigidum esse, facile satis est ostẽdere: Nicandri authoritate imprimis in theriacis somniculosam grauedinem Aspidem inducere ad monentis: Dioscoridis dein de testimonio adiecto, qui Aspidis venenũ, quem admodũ Basilisci, aut sanguinem bubulũ, celerrimè in arteriis sanguinẽ cogere, docuit. Lucani accedant carmina, Aspidẽ somniferam constituẽtia:

Heu quæ prima caput mouit de puluere tabes
Aspida somniferam, tumida ceruice leuauit
Plenior huic sanguis, & crassi gutta veneni
Decidit, in nullo plus est serpente coactum.

Addamus & Aetium, sensuum hebetudinem, stuporem, frontis totius pallorem, refrigerationem, assiduos hiatus, capitis grauitatẽ & segnitiẽ ab Aspide ictos corripere docentẽ. Itaq. theriacã, excalefaciendi exiccandíq. vim adeptam, veneno huic opponere qua ratione potuerit Andromachus, ex iis satis constat, quæ hucusq. de aliis venenis dicta sunt. Illud tamen admonuisse præstiterit: vt sicuti ad omnia venena commendanda est theriaca, háncq. statim per os exhibere, & exteriùs loco affecto admouere prudentis medici vbique fuerit: ita in hoc veneno omnia diligentiùs expeditiúsq. sunt exequenda, vtpotè quòd & celerrimè enecat, & locum cõmorsum difficile est videre. Aspidis morsum ob celeritatẽ occidendi remedio carere Aelianus existimauit. Hoc idẽ venenũ. vbi sanguinem attigerit, aut recens vulnus statim non inueniatur, enecare subitò Plinius affirmauit. Olaus Magnus in sua Historia ante quatuor horas Aspidem suo morsu enecare scripsit.

A Galeno verò in lib.de ther.ad Pison.cap.8.hęc scripta sunt de Aspidibus: Nam re vera serpentes isti velociter interficiunt , sicut ego sæpe vidi in magna Alexandria.Cùm enim aliquem hoc supplicij genere condemnatum sine longo cruciatu dilationéque necare volunt, Aspides illorum pectoribus admouent, ambularéque parumper faciunt,atque sic ipsos breui perimunt. At ab Aspide ictis vulnus exiguum prorsus, quasi ab adacta acu,citra tumorem conspici author est Dioscorides,loco scripto. Aelianus quoque de Aspide verba faciens,morsuũ vestigia adeò leuiter apparentia eam imprimere scripsit, vt indicia vix acri oculorum acie deprehendantur. Cur verò sint tam obscura ignotaque causam hanc, inquit idẽ author, esse audio,quia ipsius venenum ad transmittendum peracutum sit, mirabilíque celeritate ad intima trãsitionem faciat. Cùm enim hæc ipsa morsum effecit, venenum non eminet circa super ficiem,sed sub cutem subiens intra meatus penitus subit,atque sic ad intima delabitur,vt nihil extet atque emineat. Quare subdit. Ab Octauianis Cleopatræ mors non facile oculis comprehensa est , nisi tandem serò admodum ex duobus punctis difficilibus ad vidẽdum animaduersis,mortis obscura significatio deprehensa est,& insuper vestigia Aspidis ipsius corporis tractus iis qui huiusmodi animalium motionis discrimina tenent manifesta apparuerunt. Cùm enim aduentante Augusto quænam sine acerbo doloris sensu mors esset , in conuiuio de circumstantibus Cleopatra exquireret,eam quæ gladio inferretur doloribus

refer-

refertā esse, ex iis qui aliquod vulnus accepissent reperiebat: acerbam autem ex venenis & laboriosam: conuulsionem enim facere, & stomacho & cordi dolorem inurere: eam verò quæ ex Aspidis ictu afferretur, lenem & imbecillem esse. Porrò id eam fecisse ea de causa ab omnibus affirmatum video, ne mortuo Antonio marito ab Augusto in triumphum duceretur. Quapropter cùm eandem hanc historiam affirmet ad verbum Plutarchus, eo amplius adiecto, Cæsarem Psyllos veneficos qui serpentis venenum è vulneribus haustu reuocarent & exugerent frustrà admouisse, ideóque in triumpho Cleopatræ imaginem cũ Aspide affixa tulisse: sitque hæc eadem historia à Propertio confirmata lib.3.his carminibus:

Fugisti tamen in tumidi vaga flumina Nili,
Accepêre tua Romula vincla domus.
Brachia spectaui sacris admorsa colubris
Et trahere occultum membra soporis iter.

videtur propterea maximè cęcutiisse Galenus in lib.de ther.ad Pison.cap.8.qui hãc eandem Cleopatræ historiam ad Aspidis venenum ostendendum lethalissimum recensens, Cleopatram magnum primò ac profundum vulnus brachio suo dentibus intulisse, deinde venenum, quod priùs ex Aspide parauerat, in pyxide quadam ad se allatum vulneri intulisse, atque ita veneno corpus subeunte non multò pòst insciis custodibus vitam leniter finiuisse scripsit. Atque ex hac malè recensita historia damnandi libri & ab ipsius Galeni officina expungendi occasionem se se nactos fuisse opportunam aliqui existimarunt. Nos verò, quos

Hh

faciles adeò esse, non decet in iis dānandis libris, qui sub Galeni nomine magna cum vtilitate leguntur, & pleraque habent Galeni doctrinæ omnino cōsona, quæ in huius loci excusationem adduci posse animaduertimus hîc adscribemus. Postrema ea pars historiæ Cleopatræ quæ ab aliorū historia differt tantopere, & quæ in Galeni scriptis dubitationem facit, ex mente aliorum, nō ex ꝓpria illius libri scriptoris quòd referatur, ea verba apertè demonstrant, quæ ibidem hunc in modum scripta sunt: Qui verò nobis & mulieris ad fallēdum sagacitatem, & Aspidis ad occidendum celeritatem verbis extollere volunt, Cleopatram inquiunt magnum primò ac profundum vulnus brachio suo dentibus intulisse, deinde venenum, &c. At alterā historiæ partem ex suamet sententia relatam in omnibus omnino etiam in nominibus Naeræ & Carmionis ancillarum, quibus ad maximum patrandū facinus vsa fuit Cleopatra, & quæ mortem cum illa subire non sunt veritę, præcipuè conuenit. Sed fac totam historiam illius scriptoris fuisse, neque propterea Galenum suæ famæ notam subire dixerim, qui sciam Dionem Cassium lib. LI. Rom. histor. hæc de illius morte scripsisse: Quo mortis genere obierit, certum nemo nouit; puncturæ tantùm exiguæ in brachio eius repertæ sunt. Perhibent quidam eam in vrna illatā Aspidem, aut inter flores quosdam corpori suo adhibuisse. Alij acum ab ea qua capillum componere solita esset, veneno inunctam tradunt: cuius ea fuerit natura, vt cùm corpori alias nullum damnum iniungat, vbi primùm tamen sanguinem vel minimùm-

minimùm attigerit, mortem & celerrimã & absque omni dolore afferat. Hanc autem ab ea more suo in capite eatenus gestatam, tum detractam, brachióque in hoc sauciato sanguini immissam fuisse. Ad hunc igitur Cleopatra modum, aut certè minimè dissimili ratione, cum ancillis duabus mortua est. Nam Eunuchus simul atque Cleopatra capta fuit, serpentibus sese vltro mordendum prębuerat, morsúsque in foueam, præparatam sibi ad id, inciderat. Scio etiam Plutarchum in eo ab aliis differre, cùm scribat Cleopatram habuisse venenum in laminula quadam cõcaua, quam eum crine occultabat, & ancillas paulisper dominæ suę superstites Reginæ iam mortuæ coronam capitę delapsam reposuisse. Nec inconueniens fuisse existimo, scribentem Pisoni Galenum Historias ab aliis scriptas, quomodocunque veræ illæ fuerint, suis scriptis ad hominem delectãdum immiscuisse. Modò quanam Aspidis specie vsa fuerit Cleopatra, nec facilè est determinare (quicquid de hac re dixerint plerique) nec ad veriorem historiæ significationem facit. Sed nimium fortasse in his diuagati ad eam Aspidis speciem redeamus, quã sub nomine Ptyadis Andromachũ ꝓposuisse legimus. Hæc, Plinio magistro, nomẽ huiusmodi sortita est, quoniã venenũ in oculos hominũ expuat. Quãꝓpter Galen⁹ lib. de ther. ad Pison. c. 8. hũc serpente, perinde ac si ratione præditus foret, æstimata interualli distãtia collũ eousq. extẽdere scripsit, vnde possit in iter facientes cõmodè venenum expuere. At Andromachi carmina hæc:

Non Ptyas audebit calido progressa cubili

Vt priùs aduersa comminus ire via.

id procul dubio respiciunt, quod de serpente isto scripsit in theriacis Nicander hunc in modum: Illi iter recta è contrario fit, per longam semitam prolixa ventris deductione prolongationéque: refrigeratione pariter sua venenum huiusmodi occidere ab omnibus proditum est: & si Aetio hac in re tribuenda fides est, tardiùs Ptyas occidit, quàm duæ aliæ enarratæ Aspidum species. Mortem enim in tribus ad summum horis ex terrestris Aspidis morsu sequi ille scripsit. In Chelidoniæ verò ictu præsentissimam adesse. Tardiùs autem his qui à Ptyade morsi sunt. Huic veneno quanta cum ratione theriacā opposuerit Andromachus, ex iis constare credimus, quæ de aliis Aspidis speciebus proximè scripsimus. Id vnum hoc loco placet adiicere, quòd sicuti acetum maximè vincere valens est venenum huiusmodi, quemadmodum antiqui Medici omnes testati sunt, ita & theriaca. Credo, dicebat Celsus, acetum id virium habere, quoniam id quamuis refrigerandi vim possidet, tamen etiam facultatem dissipandi habet, quò fit vt terra respersa eo spumet. Eadem ergo vi verisimile est spissescentem intus humorē hominis ab eo discuti, & sic dari sanitatem. At quanta dissipandi vis theriacæ insit, & in superioribus à nobis dictum est, & in sequentibus fiet manifestius. Hæmorrhous deinceps positus est ab Andromacho, similem, vt inquit Galenus in lib. de ther. ad Pison. loco proximè scripto, suorum nominū significationi læsionem inducens. Nam qui demortuus ab eo fuerit, sanguine per os, nares, &

cor-

corpus vniuersum erūpente moritur. Dictus itaq. est Hæmorrhous ἀπὸ τ αἵματος, id est, à sāguine, & τ ῥεῖν, id est, à fluēdo, ex quo intelligere nobis datur, cur hunc in modum cecinerit Andromachus,

Nullus ab Hæmorrhoi stillabit vulnere sanguis. Calidum esse huius serpentis venenum licet cuique affirmare. Sanguinem enim ea ratione ex tot partibus celeriter illud mouere, facile est persuaderi, quia illum sua caliditate fundat & dissoluat. Nicander in theriacis: Hæmorrhoi ictui, inquit, statim decolor species accurrit, nigra nimirum, córque ipsum non leui dolore circumangitur, venter aqua refertus affluit (hoc autem antiquus Scholiastes interpretatus est, qui ictus est ab Hæmorrhoo aquæ plurimum bibit.) Quin & prima nocte sanguis cùm ex naribus tum collo & auribus salit recens bilioso veneno coinquinatus: lotium item rubens accurrit, quæq; in corpore sunt vulnera & plagæ Hæmorrhoi rūpuntur aperiuntúrq. cutes enim fuligine cōtrahūtur. Caueas itaq. imprimis ne fœmina Hæmorrhois inte virus suū eiaculetur. Nā sicui morsum illa inflixerit, ei gingiuæ simul ignescunt, penitúsq; ex vnguibus sanguis cum impetu procurrit: dentes etiam ex ea cæde graue olentes seu humentes molunt. At omnes hos effectus siue omnia hęc symptomata causam habere calidam notius esse puto, quàm vt pluribus debeat demonstrari: poterítque ab eo qui voluerit rei huius confirmatio ex Dioscoridis lib.6.cap.50.peti. Quare & Santes Ardoinus serpentis huius naturam cōstituit calidam excessiuè & venenosam valdè: tanta itaque huius tam po-

tentis veneni euincendi difficultas est, vt à maiorum plerisque velut immedicabiles & omninò deplorati relinquerentur eo affecti, teste Dioscoride loco scripto. Quam verò ipse proposuit huius euincendi veneni methodum, eam Galenus, Aetius, Paulus, Oribasius & Auicenna confirmarunt: ita vt dãnandus non sit Andromachus, quia theriacam aduersus irremediabile venenum opposuerit. Qua enim ratione decocta vitis folia & cum melle trita morsum hunc sanare posse censuit Dioscorides, eadem & theriacam mel ipsum & opium magis refrigerans quàm vitis folia continens, idem posse fatendum est. Allium cum irino oleo idẽ posse, si per os sumatur, scripsit Paulus: tu verò eas theriacæ vires procul dubio tribues, quæ discutit vt allium, & ipsam continet iridem. Aetius sic commorsis cõfestim theriacam exhibet, & aqua frigida proluendam iubet plagã. Theriaca igitur in qua opij facultas adhuc viget, cùm internè assumpta, tum externè admota, summo erit ex vsu. Rem paucis perstringamus, dicamúsque in huius veneni curatione tã calida quàm frigida commendari medicamenta, ideóque cuiuscunque ætatis theriacam approbari. Sed quid hoc est quod cecinit Andromachus?

Nullus ob Hæmorrhoi stillabit vulnera sanguis. loquebatur sanè de venenis per theriacam euincendis, & huius serpẽtis morsu prima nocte protinus sanguinem è multis corporis partibus elicere didicimus. Dicendum est differentem de venenorum curatione Andromachum, eorundem præcautionem minimè exclusisse. Theriacam itaque

que sic corpora nostra munire existimauit Andromachus, vt ex serpentis huius morsu nullus è corpore effluere possit sanguis. Dicamus adhæc fluentem huius veneni causa sanguinem sumpta theriaca restringi. Dryinam subinde enumerat Andromachus, quæ ex serpentum genere ab omnibus statuitur, in quercuum radicibus viuens, à nonnullis, Nicandro admonente, Hydri & Chelydri nomine appellata, cuius naturam vehementissimè venenosam omnes constituunt. Calidam autem eam esse Ardoinus existimat, quod & per ea quæ producit symptomata significatur. Tam pestifera qualitate præditam esse Dryinam Galenus, affirmat, lib. de ther. ad Pison. cap. 8. vt supra se transeuntium pedes excoriet: crura verò tota valdè tumefaciat: vtrunque autem ab insigni proficisci caliditate certum est. Excoriatio rei propemodum adurentis effectus dubio procul est: propter autem excitatũ inibi calorem adeò insignem humores ad eas partes in multa quantitate attrahi, obídque eas intumescere est vt quisque concedat. At maius est huius caliditatis argumentum, id quod eodem loco de eodem veneno prædicat Galenus admirandum: si quis, scilicet, ab hoc serpente commorsum curare velit, manus pelle mulctari. Subdit ibidem Galenus, si quis fortè Dryinam occidere contendat, putare omnia benè olentia malè olere, nec quicquam aliud olfacere insuper posse. Hoc ab ea huius serpentis conditione, quòd multorum testimonio malè oleat, prouenire, caliditatísque insignis argumentum esse dicimus. Grauem fœtorem ab eius corpore

exire, quemadmodum quando incurua nec non abrasa corij præsegmina sub teretibus ferramẽtis circa hũmentes equorum exuuias & pelles hument: author est Nicander in theriacis, quem secuti sunt alij plerique, Vergiliúsque præsertim lib. 7. Æneidos his carminibus:

Vipereo generi, & grauiter spirantibus Hydris
Spargere qui somnos cantúq; manúq; solebat.

Tanta ædepol est praui huius odoris efficacia, vt ab huiusmodi serpente ictum sua cute admodum malè olere eodem loco Nicander admonuerit. Odorem autem præsertim grauem esse caliditatis argumentum vnà cum Medicis & Philosophi constituerunt. Hoc eo promptiùs affirmare par est, quia frigidorum serpentum nullus id habeat. Sed certiora sunt veneni huius caliditatis argumenta, quòd circa partem commorsam surgere in acutum nigrum tumorem scripserit Nicander: taléque venenum semper depascere & consumere: affectum hominem eructare & vomere quid felli simile, aliàs & eruentum: ac siti corripi vehementi, quòd corporis siccitatem faciat & vomitum biliosum, vt scripsit Aetius: & quòd rabiem inducat, vt docuit Aelianus. Non ea igitur vna de causa theriacam aduersus venenum istud laudauit Andromachus, quoniam venena quælibet euincit: sed etiam quoniam Aristolochiam continet, quam peculiari quadam virtute à Dryino ictis opitulari docuit Dioscorides lib. 6. cap. 49. Quare si venenum spectes vt venenum est, cuiuscunque ætatis fuerit theriaca, optimum aduersus illud erit auxilium: hæc eadem cùm refrigerat,

gerat,

gerat, eiusdem veneni caliditatem euincere apta est. Cæterùm Andromachi sententiam hanc,

Nec tumidos faciet pressa Dryina pedes,

tam de præcautione quàm de curatione huius veneni intelligendam esse dicimus, quemadmodum & de Hæmorrhoi morsu proximè dicebamus. Dryinæ succedunt deinde Phalangia. Numero plurali ob id vsum fuisse Andromachum constat, quia multæ sint Phalangiorum species, tres nimirum, si Aristoteli credendum est: sex, si Aetio: longè plures, si Nicandro. Hanc controuersiam quid opus est hoc loco dirimere, si vnus atque idē eorum omnium est nocendi modus, vt Dioscorides docuit lib.6.cap.42. Demorsis, inquit, à Phalangiis, locus quidem ipse ab impacto quasi aculeo rubet non intumescens, nec per ambitum calidus est, sed mediocriter humescit: vbi verò contrariorum occursu refrixit, consequitur corpore toto tremor, distensiones poplitum & inguinum cōuulsionibus non dissimiles, in lumbis collectio exoritur & perpetua vrinæ libido lacessit: multáque reddendis excrementis colluctatio, vniuersa cute frigidus sudor emanat, collachrymant oculi, offusísque nebulis caligant. Ex hac Dioscoridis lectione non id tātùm colligimus, quòd vnus idémque omnium Phalangiorum nocendi modus sit, sed etiam frigidum esse eorundem venenum. Credemus id faciliùs eorum memores, quæ de Aspidis veneni qualitate diximus: confirmabimur in hac opinione magis, si remedia quæque huic veneno ab eodem ibidem opposita cùm excalefacere tam exiccare animaduerterimus. Idem

hoc innuit suis his carminibus Andromachus:

Claudere non cogent odiosa Phalangia summum
Concussu tremulo, frigoribúsq; diem.

Quare etiam quid causæ Andromachum mouere potuerit ad constituendam theriacam contra venenum hoc in Antidotum, ex iisdem quæ de theriaca frigidum Aspidis venenum euincente dicta sunt manifestum est: longè verò manifestius, quoniam Aristolochiam, Anisum, Chamæpityn, Apiúmque contra venenum istud stabiliuerit Dioscorides, quæ omnia theriacæ compositionem ingredi scimus. Non esse autem ex Serpentum genere, sed Aranei species quasdam ipsa Phalangia, omnium est vna sine controuersia recepta sententia. Quapropter ad Hydrum sermo conuertendus est, cuius commemorationem quis fortasse iudicabit superfluam, qui Dryinã & Hydrum vnam atque eandem esse rem proximè audiuit affirmari. Sanè verò facilem haberet hæc difficultas solutionem, si vera esset Iulij Scaligeri sententia, in Exercit. aduersus Cardanum 189. articul. 4. Hydrum quandiu aqua in lacunis est, perrarò exire asserentis, vbi defecit æstu inuitũ Dryinam fieri. Sed non est vt viri alioqui doctissimi subtilem adeò determinationem vltrò examinemus diligentiùs, tum quia de ipso Chersydro hoc ab antiquis affirmatum fuisse legimus: tum etiam quoniam de serpentum natura tractationem integram minimè hoc loco profitemur. Dicamus igitur Nicandrum quidem asseruisse Dryinam ab aliquibus Hydrum appellari quoque, non tamen constituisse hæc esse eadem, cùm re vera diuersa

res

res sint Dioscoride magistro. Hic post diligentem de Dryina tractationẽ cap. 49. lib. 6. habitam, de Hydro deinceps à Latinis Natrice dicto, cap. 51. disseruit. Si vtriusque formam & habitationem spectes, tantam inter vtrunque diuersitatem inuenies, vt vnũm idemque animal esse minimè possint. Aquatilem serpentem esse Hydrũ vno omnes ore affirmant: Dryinam verò in quercus radicibus viuere. Hęc, vt Aetius docuit tetrab. 4. serm. 1. cap. 24. est lõgitudinis duorum cubitorum, obesa & asperrimis squammis circa vniuersum corpus munita: ille verò similitudine est Aspidis terrestris paruæ: útque Leo Africanus docet, serpens est curtus, cauda tenui & circa collum gracilis, cuius venter ad cinereitatem declinat auream & dorsum viret aliquantulum, vt iam nullo alio argumento opus sit ad horum serpentum diuersitatem demonstrandam: quapropter & rectè Andromachus vtrunque nominauit. Illud porrò cuique manifestum esse potest, paucam inter horum serpentum venenum cognouisse Dioscoridem differẽtiam, qui vtrique eadem ferè assignat symptomata, iidémque ferè remediis vtrunque euinci docet. Quæ dicat de Dryino, legat apud eum qui voluerit lib. 6. cap. 44. At de Hydro eodem libro disserit cap. 51. Quare ad cõfirmandam Andromachi sententiam, dum theriacam aduersus Hydrum laudat, ea dubio procul sufficient, quæ proximè de Dryina scripta sunt. Maior est fortasse de Chersydro difficultas, quem Hydro ipsi immediatè subiunxit Andromachus, & vtrunq; esse idẽ magnorũ virorũ fuit opinio. Græcus Nicãdri

Scholiastes idem, dicebat, videtur Chersydrus serpēs, quē Dioscorides Hydrū, Romani Natricem appellant. Cælius Rodiginus: serpens, inquit, hic Chersydri appellationē inde habet, quòd in principio quidē in aquosis degit locis, & Hydrus appellatur: postea verò sicca incolit loca & compositū Chersydri nomen inuenit. In terra itaq. degēs Chersydrus appellatur, & tū seipso sçuior redditur. Hāc eandē sententiā habuisse Auicennā cōstat, lib. 4. Fen. 6. tract. 1. c. 29. his verbis: Hunc serpentē cùm est in aqua nomināt Græci Andrius, & quando habitatio eius est in cāpo nominatur Kedusudurus: hoc autē nomine chersydrū serpentē, Andri nomine Hydrū significare Auicēnā, ex effectibus eorū ibi explicatis satis cōstat. Profectò pro hac è medio auferēda difficultate multa hinc inde adducta fuisse scio, & à multis sedata est controuersia eo modo, vt diuersa quędā animalia sint Hydrus & Chersydrus, diuersis eius tātùm consideratis habitationibus, aqua scilicet & terra: quasi voluerint vnum idémque animal diuersæ habitationis causa duplicem subire speciem. Nobis autem id minimè recipitur, qui sciamus ἀμφίβια animalia quædam sic à Græcis appellata, quòd partim in aquis, partim in terra degant, sub eadem specie ac differentia perpetuò contineri, neque eam mutationem suscipere, vt duorum diuersorum animalium vices subeant, quod in vitulo marino appellato videre datur. Non negamus vnum idémque animal mutata habitatione diuersitatis quidpiam suscipere posse: differentiam tamen eam adipisci, vt duo

diuerſa dici poſſint animalia, non admittimus. Id ex Virgilio ipſo colligitur, qui li.3. Georgicorum de Cherſydro verba faciens, illum propter mutatam habitationem à ſe ipſo prorſus mutari minimè aſſerit, tametſi aliquam in ſeipſo ſuſcipiat mutationem. Carmina eius hæc ſunt:

Eſt etiam ille malus Calabris in ſaltibus anguis,
Squammea conuoluens ſublato pectore terga,
Atq; notis longam maculoſus grandibus aluum.
Qui dum amnes illi rumpuntur fontibus, & dum
Vere madent vdo terræ ac pluuialibus Auſtris
Stagna colit, ripiſq; habitans hic piſcibus atram
Improbus ingluuiem raniſq. loquacibus explet.
Poſtquam exhauſta palus, terræq; ardore dehiſcunt
Exilit in ſiccum. & flammantia lumina torquēs
Sæuit agris, aſpérq. ſiti, atq. exterritus æſtu.

At de Cherſydro ſerpente locutum hoc loco fuiſſe Virgilium, eius hæc deſcripta natura viuendi in aqua & terra demonſtrat imprimis, deinde quòd in Calabris ſaltibus illum viuere dixerit: ſed Calabriam Cherſydris frequentiſſimam eſſe teſtatus eſt Solinus. Videas itaque ex hac huius Poetæ hiſtoria illud quidem colligi, vt qui priùs in aquis viuebat ſerpens tempore veris, ille idem æſtate vigente in terris degens ſæuiat magis. Hócq. idem ſtatuiſſe Nicandrum manifeſtum eſt: quod ad defendendum à ſuperfluitate Andromachum ſatis eſt. Demus igitur Hydrum & Cherſydrum idem eſſe, Hydrúmque dici, dum in aquis viuit, Cherſydrum, cùm in terra: propter eam quam in ſe ipſo ſuſcipit mutationem vtroque nomine vti vo

fuit, vt maiorem inde vtilitatem & Cæsar ipse (quod etiam ex carminibus proximè describendis patet) & post eum alij possent colligere. An fortè etiam Chersydri nomine serpentem hunc significare Andromachus voluit, siue in terris, siue in paludibus viuat: per Hydrum autem, serpentem marinum, de quo locutus est Solinus cap. 57. Equidem quæcunque fuerit probata magis difficultatis solutio, nobis nunc curæ esse non debet: quibus sufficit Chersydrum esse serpentem venenosum nouisse, cui theriacam opposuit Andromachus. Porrò veneni huius qualitatem rectè ille patefecit his carminibus:

——Nec vbi torret sol æquora Cancro
Cùm petit arua minax, concitus atque furit,
Ora trahens multa Chersydrus cæde cruenta
Supremum vitæ ducet in exitium.

Cōcitatum itaq. sub cancro atque furentem serpentem calidioris cuiusdam temperamenti esse necesse est, cùm à similibus actio proueniat. Hoc per ea accidentia manifestius euadit, quæ suo morsu hic serpens inducit. Tota pellis, dicebat Nicander in theriacis, circum carnem arida & abominabilis expassa ab internis partibus humentem ictum satis certò indicat, putredine fatiscens. Quin etiam dolores immensi ignescentes hominem tandem interimunt, mox etiam per mē bra pustulæ figuntur. Aetius dolorem ardentem vomitúmq. biliosum fœtidum addidit: locū morsum inflammari corrodíq. dixit Auicenna. Hæc omnia accidetia quicunq. paulò attentiùs considerauerit, calidissimam habere causam intelliget,

quam

quã à theriaca refrigerãte infringi posse quæ huc usq. de aliis venenis dicta sunt abundè insinuant. Vnũ adducamus Aetiũ, theriacã aduersus serpẽtis huius morsum mirificè extollentem. Quę autem aduersus lethalissimum hoc venenum scripserunt auxilia Nicander, Dioscorides & Auicenna si quis considerauerit, is Andromachũ magno consilio theriacã cõmendasse planè faciléq. intelliget. Rubetam tandem & Amphisbænã nominat Andromachus, quorum venena theriacã infringere Cæsarem docet. Esse Amphisbænã serpentẽ vermi terestri qui crassior sit magnitudine similem, sic appellatum quia vtrinq. gradiatur, hoc est, antrorsum & retrorsum incedat, vnus omnium de ea scribentium est consensus. An geminum habeat caput, cuique scilicet suæ extremitati affixum vnum, inter antiquos in controuersia positum hoc loco determinare non lubet, neq. ad id quod quærimus spectat. An verò venenosum sit, quod item in controuersiam ducitur, determinandum est. Quanquam enim Dioscorides lib.6. cap. 48. Paulus libr.5. cap.13. & Actuarius lib.6. meth. med. cap. vltimo, eius fuerint sententiæ, vt consimilia eueniant ex Amphisbænæ morsu, quæ vipera mordẽte eueniunt: Aetius tamẽ tetrab.4. ser. primo cap. 30. scripsit, morsum Amphisbænæ obscurum esse, ac vix apparere veluti muscarũ pũcturas, quapropter etiam si mordeant non enecare: tamen videtur huic quadantenus fauere Nicãder, eius descriptionẽ qui habuit in Theriacis diligentẽ, déq. eius læsione ne verbum quidem habuit. Sed mirandũ esset tum Nicãdrum ipsum

tum etiam Dioſcoridem & alios inter ſerpentes Amphisbænam enumeraſſe, ſi venenoſa non eſſet, atque hanc eandem admirationem longè maiorem eſſe in Aetio conſtat, qui licèt venenum ab hoc animali ſeparare viſus ſit, inter animalia tamen venenoſa id & ipſe enumerauit. Nolim profectò tantum virum talémque facilis adeò erroris inſimulare: neque in Nicandri authoritatem inuehi illo pacto lubet, qui vtrunque a calumnia vindicari hac in re poſſe exiſtimem. Nicander enim Amphisbænæ ſymptomata reticere fortaſſè voluit, quia ipſe quoque ea viperinis ſimilia eſſe credidit, aut etiam quoniã ea exiſtimauit notiſſima: qui cùm poſt Amphibænæ hiſtoriam multa deſcripſerit auxilia, venenoſorum animaliũ morſibus communiter aduerſantia, huiuſce pariter animalis veneni rationem eum habuiſſe dicendum eſt. At pro Aetio illud ſtat, quòd eius partis ſui operis in qua de animali iſto verba facit, Græco caremus codice, cuius fortaſſis medio aliter eum ſenſiſſe intelligeremus. Calidum porrò eſſe huius ſerpentis venenum eo perſuaderi quisq. poteſt argumento, quòd, quia cum viperæ veneno conuenit, eadémq. vtrunq. producat ſymptomata, eiuſdem ideò ſunt qualitatis. Hoc à nonnullis inde quoque confirmari intelligo, quia prima omnium Amphibæna & antequam cicadæ canere incipiant è cauerna ſua proſilit, quod ſuæ caliditatis non inane eſt argumentum. Itaq. ſi conſimilia eueniunt ab Amphisbæna & à Vipera demorſis: iiſdem quoque, vt ſenſit Dioſcorides, adiuuantur auxiliis. Per ea igitur quæ de Vipera diximus,

diximus, cur veneno huic aduersari theriacam dixerit Andromachus, abūdè patet. Rubetam deinde, cuiuscunque speciei illa fuerit (tres enim enumerantur) frigidum habere venenum, vna imprimis Dioscoridis authoritate admonemur, qui lib. 6. cap. 31. pallidum corpus id facere dixit, spirandi difficultatem gignere & torporem inducere. Remedia quæ illi opponit calida multùm, scilicet meri potus, arundinis radices & cyperi, vehemens ambulatio, pix vino liquefactas, Betonicæ Artemisiæque decoctum, idem confirmant. Quo tempore itaque excalefacientem vim suscepit theriaca & exiccantem, aduersus venenum istud mira vi pollere magna cum ratione potuit Andromachus statuisse. Hic autem serpentum numerum non esse determinatum sciens, horúmque omnium venena ad quædam quasi capita vniuersalia reduci, per quæ eorum curatiua methodus sciatur, neq; omnium serpentum, minúsque venenorum omnium meminisse voluit: sed quædam tantùm exempli causa enumerauit, vt inde Cæsar planè posset intelligere, omnibus venenis & cuique pręcipuè serpentis morsui theriacam valenter resistere. Quare etiam vniuersale illi tradidit documentum his carminibus:

Hac fidens æstu per rura vagabere Cæsar,
In Libyco quamuis progrediare solo.

In quacũque ferè orbis parte serpentes gigni verum quidem est, in Libya tamen longè plures, & illos lethalissimos produci omnes affirmãt. Itaque vt aduersus serpētes quosque etiam lethalissimos pugnare theriacam valenter Cæsari insinuaret

Andromachus, ſub eius ideò tutela cum per Libyam, æſtatíſque præſertim tempore, quo magis furere ſerpentes certum eſt, tutò incedere poſſe admonuit. Quapropter etiam non ad venenorum curationem tãtùm, ſed etiam ad præſeruationem valere theriacam ex hac Andromachi ſententia, patet manifeſtè quemadmodum paucis quoque ab hinc admonebamus. Hæc autem venenorum ſerpentúmque exempla, ad vniuerſalem aduerſus ea theriacæ facultatem manifeſtandam ſufficere quamuis poſſent, quoniam tamen quòrundam aliorum ſpeciatim quoque Galenus meminit, ob eam præterea quam illi debemus reuerentiam, & ad maiorem doctrinam, de his pariter verba facere inſtituimus, & qua ratione illis aduerſetur theriaca demonſtrare. Speciatim autem nominatos à Galeno fuiſſe inuenio in libr. de theriaca ad Piſon. Baſiliſcum & Acontiam, quibus Murem Araneum & canem rabidũ adiecit, qui licèt inter ſerpentes enumerarį minimè debeant, illorũ tamen morſus malignorum ac lethalium venenorũ ſunt in numero: ita vt ſerpentium ipſorum morſibus poſſit æquiparari. Baſiliſci venenum efficax adeò eſſe, ipſemet Galenus cap. 8. libri proximè ſcripti admonet, vt ſi quando ſibilat audiatur, videntes necet & audientes: atque ſi quod aliud animal illud etiam mortuũ attingit, ſtatim moritur. Hinc aiunt, ſubdit Galenus, omne aliud reptilium genus cauere ne Baſiliſco vicinũ habitet. Hunc ſerpentem nominis ſignificatione attenta, feram regiam idem Galenus appellauit libr. 10. de ſimpl. med. facult. cap. primo. Quapropter & Iſidorus nominis

nominis istius etymologiam explicans, sic appellari dicit, eò quod Rex serpentum sit. Sed Auicenna regulum illum dici existimat, quia coronatum habet caput. Fuere quoque qui crediderint dici regulum, quia instar Regis omnibus animalibus sit terrori: vel quia in omnia tyrannidem exercet & sæuitiam. Vtcunque autem nominis istius etymologiam explicare placuerit, nihil certè ad rem nostram facit. Consideremus igitur diligenter, vt serpentis huius naturam rectiùs teneamus, an vera sit illius à Galeno relata historia, quam pleriq. fabulosam indicantes, libri propterea de theriaca ad Pisonem dignitatem minuunt, illúmque hoc argumento à Galeni officina expungunt. Habent eundem imprimis quem adducant, qui lib. 10. de simpl. med. facult. cap. primo se nunquam Basiliscum vidisse affirmat, historiæque dubietatem his verbis insinuat: si vera sunt quæ de illo referuntur periculosum etiam est vel propè accedere ad hoc animal: Habent deinde Nicandrum in theriacis Basilisci naturam explicantem nullam rerũ harum auditionis adeò admirandæ mentionem facientem. Adducunt & Dioscoridem, quem, ne cum aliis in Basilisci historia accusaretur, Erasistratum citasse dicunt, qui author fuit historiæ. Addunt & argumentum huiusmodi: si oculorum solo intuitu, sibilo aut halitu hominem interficit non videre datur, quomodo factũ sit vt illi qui ipsum viderunt, eiúsque faciem adnotarunt, ex quorũ postea relatione, huius ferè historiam plerique descripserunt, incolumes euaserint, præsertim cùm tam paruum sit animal, vt non nisi è pro-

pinquo loco poſſit conſpici. Hincque ideò illis impoſſibile viſum eſt, quin baſiliſcus aſpicientes non viderit, cùm, vt Plinius refert, non multiplici flexu incedat, vt reliquę ferę, ſed celſius & erectus: vel quòd ex infecto circumſtante aëre qui viderũt non perierint. Quapropter ſubdũt, cùm Eraſiſtratus his fabulis nullam fortaſſe fidem adhiberet, certóque ſciret Baſiliſcum morſu tantùm, vt aliæ feræ, homines interimere: eius duntaxat morſus curationem inſtituit. Nobis tamen, quibus recitatum librum à Galeni officina ſeiungere hucuſque non placuit, aut certè minùs licuit, illud primo quoque loco ad eius dignitatem tuendam occurrit, multa ſcilicet Pisoni eo in libro Galenũ ſcripſiſſe ad eius animum oblectãdum, quò illius diſciplinarum omnium deſiderio ſatisfaceret, vt ab eodem conceptis propemodum verbis affirmatum eſt, eiuſdem libri cap. 8. Quare quanquam fabuloſa eſſent, quæ de hoc ſerpente ſcripta ſunt, libri tamen dignitas minimè minuitur, qui etiam ad animi delectationem aliqua ex parte ſcriptus eſt. Dicere quoque fas eſt ex aliorum mente locutum eo loco Galenũ fuiſſe, qui hoc dixerit: huic aiunt omne reptilium genus &c. Sed ſac ea vt lubet fabuloſa, ſunt tamen cùm ab antiquioribus, tum à recentioribus Galeno ſcriptoribus, & illis quidem grauiſſimis eadem ſcriptis prodita. Sibilo regulum occidere antequam mordeat vel exurat, author eſt Iſidorus. Serpentum regem eſſe Regulũ, qui ſolo viſu & flatu volucres abſorbet, & occidit homines, legitur in gloſſa ſuper Eſaiam cap. 14. Eiuſdem ſerpentis ſibilum alios ſerpentes

per-

perhorrescere, & cùm acceperint fugam, quocunque possunt properare scribunt Solinus, Nicander, Aelianus & Aetius. Apud Lucanum item hęc de Basilisco leguntur:

Sibiláque effundens, cunctas terrentia pestes
Ante venena nocens, latè sibi submouet omne
Vulgus, & in vacua regnat Basiliscus arena.

Basilisci quoque reliquias amplo sestertio Pergamenos comparasse, vtque ædem Apollinis manu insignem ne araneæ intexerent, néve alites inuolarent, cadauer eius reticulo aureo suspensum ibidem locasse refert Solinus. Hunc eundem serpentem etsi dodrantalem non excedat mensuram, tamen vel serpentum maximam illius aspectu non longo interuallo, sed statim expirationis appulsu exiccari, & si baculum quem quispiam teneat, imo morderit, baculi dominũ enecari legere est apud Aelianum. Basiliscum, inquit Plinius, serpẽtes ipsi fugiunt, alios olfactu necantem, qui hominem, vel si aspiciat tantùm, dicitur interimere. Et tandem eò vsque processit apud recentiores huius historiæ fides, vt tam diri veneni rationem diligentiùs explicare aliqui non inulsè conati fuerint. Ne verò quidpiam prætermittatur, quod ad Galeni dignitatem hac in re tuẽdam facere posse videatur: illud quoque addendum, quod apud recentiores nonnullos, referente Iulio Scaligero in Exercit. aduersus Cardanum. 246. articulo, 4. scriptum legitur; Leone scilicet Pontifice Maximo ad ædẽ Sanctæ Lucię sub fornice stabulatum Basiliscum, cuius afflatu magna lue affecta Roma fuerit, eúmque illius precibus extinctum. Quid tandem ad-

mirationis habet eum ſerpentem qui alios ſuo veneno occidere valens eſt, ſibilo quoque & viſu eoſdem interficere,hominibúſque modis iiſdem nocere poſſe ? Quæ verò aduerſus Galenum adducta ſunt argumenta,nullam ea faciunt difficultatem.Quanquam enim ſe non vidiſſe vnquã Baſiliſcum affirmauerit lib.10. de ſimpl.med.facult. cap.primo, & ex mente aliorum deinde locutus fuerit, nihil inde tamen aduerſus ea , quæ lib. de ther.ad Piſon. ſcripſit, elici poteſt. Non vidiſſe Galenum alicubi vnquam Baſiliſcum:illum propterea nullibi reperiri inde ſequitur? Illum autem reperiri, vno omnes ore antiqui ſcriptores affirmant. Neque inconuenit illa de eo Piſoni Galenum ſcripſiſſe, quæ ălios in ſcripta retuliſſe affirmauit lib.10.de ſimpl.med.facult. Quod ad Nicãdrum attinet,ea fortaſſe ille referre noluit,quæ ipſe non obſeruarat particulariùs:quędam tamen de hoc ſerpente ſcripſit admiranda: alia ſcilicet animalia illius iygen, hoc eſt ſonum vel ſtrepitum minimè ferre, ſed ſtatim fugæ terga dare , neque cadauera à Baſiliſco interempta,à vulture & Coruo tangi ob teterrimum vſqueadeò odorem inde exhalantem,qui accedentes non ſine periculo penetrat, veluti & alia quæ ſuo quiſque arbitrio apud eum legere poterit. Porrò Dioſcoridem ſolius morſus remedia conſcripſiſſe, ad alia quæ alij de Baſiliſco retulerunt infringenda , haud ſufficiens eſt argumentum. Qui enim de curatione morſus tantùm loquitur ad ea minimè tenetur, quæ potius præcautionem quandam poſtulant. Quanquam etiam ea prętermiſiſſe potuit Dioſcorides

scorides, quibus parum fidei fortasse tribuebat: quæ tamen ab aliis scripta sine suspicione falsitatis à Galeno Pisoni scribi potuerunt. Et quod vltimo loco adducebatur argumentum; si sibilo & & habitu interficit Basiliscus non potuisse aliquē eius formam docere, nullum est prorsus. Marsos innoxiè omnino serpentes tractasse, non est ex antiquis qui non affirmet. Hos igitur omnium serpentum formam delineantes, & eam quæ Basilisci est delineasse, eiúsque historiam diuulgasse satis est verosimile. Nam & Galenus quædam ad viperas attinentia ex eis est percontatus, vt lib. 10. de simpl. med. facult. cap. de vipera legere est. Præterea licet sibilo & halitu occidere dictus sit Basiliscus non tamen repentè adeò illum occidere scriptum est, quin ab eo læsi serpentis formam delineare, suis saltem verbis potuerint. De reduuiis huius serpentis ad Apollinis ædem ab araneis tutandam ab his qui Pergamum habitāt coemptis, quæ scripta sunt paucis ab hinc potuisse à multis animal huiusmodi delineari ostendunt. Cadauer item Basilisci in thesauris Maximiliani Imperatoris seruatū se vidisse bona fide testatus est Hieronymus Mercurialis Medicus eminentissimus & singularis doctrinæ vir libro suo de venenis. Quapropter si hæc omnia considerentur, sæui adeò serpentis formam delineari à multis potuisse manifestum fiet. Galenum autem non esse damnandum vel saltem scriptum ad Pisonem librum de theriaca, minus fidei ob id minimè mereri, licet mirandā Basilisci historiam contineat, est itidem, nostra opinione, certum. Cæterùm huius serpen-

tis venenum calidissimũ esse Ardoinus affirmat: neque id aliter esse posse certum est, si tanta illius est actiuitas & vehementia, vt visu interimat & sibilo, nõ secus ac morsu. Huius eiusdem rei fidem faciunt quæ de serpentis istius morsu scripta reliquit Nicãder in theriacis: hominis nimirum corpus à Basilisco ictum incendi, carnésque à membris defluere cùm liuidas tum nigras. Porrò venenum istud auxilia nulla admittere, esséque prorsus insanabile licèt existimauerint Aëtius & Auicena; non est tamen quòd theriacam ei aduersari propterea non fateamur, qui eius curationem ab Erasistrato, ipso referente Dioscoride lib. & cap. vltimo, scriptam fuisse legimus. Et vbi curationem esse impossibilem quis voluerit contendere: danda erit opera, Actuario magistro, vt antequam periculis homo sese committat, partim calidioribus vescatur cibis, partim meracis vtatur potionibus; interim & medicamentis quæ perniciosum ad se virus eliciant, modò Antidotis quæ veneficam vim expugnent contendendum. Neque scio an Antidotus ipsa theriaca valentior hoc in casu desiderari possit, quæ & Castorei & Papaueris succum (duo potissima aduersus Basilisci morsum ab Erasistrato, referente Dioscoride, & ab Aegineta conscripta auxilia) continet. Hinc illud quoque certum est, & antiquam & recentem theriacam hodiã casu ex vsu esse. De Acontia serpente nunc dicamus, à Latinis ob eam causam Iaculo dicto, quia, vt sensit Galenus, vbi se multùm extenderit, ceu iacculum quoddam corporibus insiliens simul & semel perimit: quod idem ab aliis

omnibus

omnibus Galeno antiquioribus recentioribúsque scriptoribus affirmari legere est. Hunc serpentem eundem esse cum Cenchrite & Cenchria Aetius existimat, quod nunc non disputo: neque pluribus ad illius veneni vim manifestandā vtor, quoniam, Aetio magistro, ab huius morsu omnia quę de viperæ morsu dicta sunt, atque illa quidem grauiora, consequuntur symptomata: atque adeò grauia ita sunt, vt etiam putrefactiones & carnium defluxus consequantur, vnde & mors aduenit celeriùs. Remedia ea propter eadem, quæ ad viperæ morsum conducūt, ille laudauit. Muris aranei species quasdam reperiri minimè venenosas bona fide testati sunt plerique: attamen Murem Araneum putrefactiuum venenum habere Aetius affirmat, hincque calidum illud esse colligitur. Quare & Dioscorides lib. 6. cap. 46. circa huius animalis morsum inflammationem nigram, pustulam dilūta sanie turgentem exurentémque exoriri, proximásque partes liuescere, rupta pustula depascens vlcus fieri docuit. Huic veneno theriacam aduersari multis in hunc vsque locum antea scriptis argumentis constat: eo verò idem nunc confirmatur, quòd Galbanū pro eius Antidoto Dioscorides constituerit, idque continet theriaca. Rabidis quoque canis morsui præstantaneum auxilium esse theriacam cap. 16. de re huiusmodi ex professo Galenus docet, in lib. de theriacæ facultatibus ad Pisonem scripto, theriacámque & foris applicatā, & interiùs assumptā præsentaneum esse auxilium iis qui à rabido cane morsi sunt, validis demonstrat argumentis, seipso in exemplum

adducto qui theriacã oleo rosaceo mollitã linamentis impoſuit, ac veluti medicamen aliquod vulnerarium foret, vlceri à rabido cane facto ſuperimpoſuit, vt tãquã cucurbitula venenũ è profundo traheret, & quaſi exugeret. Sic & Auerroes in cap. 1. libri ſui de theriaca, rabidis canis veneno theriacam occurrere affirmauit. Quare & Andromachus hæc Cæſari de re huiuſmodi ſcripſit.

Hacq̃, canum rabiem fato impendente fugabis
Cum trepidat moriens & ſitit æger aquas.

Ne verò aliquid prętermittamus, quod ad patefaciendã theriacę vim in veneniṣ infringẽdis facere poſſe videatur, ea hoc loco conſideremus quæ de Napello loco proximè ſcripto aſſeruit Auerroes, non poſſe ſcilicet eius venenũ à theriaca infringi & euinci. Scio de huius veneni ſiue de hac planta multa apud recẽtiores in controuerſiã poſita eſſe, quæ determinare præſentis noſtri nõ eſt inſtituti: vnũ eſt apud omnes in cõfeſſo poſitũ lethaliſſimũ eſſe venenũ huiuſmodi, & quã celerrimè occidere, cùm & id ipſum experimentis pluribus fuerit data operą exploratũ, & quę Petrus Andreas Matthiol. lib. 6. ſuorũ in Dioſcoridẽ commentariorũ in cap. 73. de quibuſdam experimẽtis ad Napelli virus explorãdum ab eodem factis ſcripſit, calidũ eſſe venenum iſtud & putrefactiuum manifeſtiſſimè doceant. Cur igitur, omnibus venenis inimica theriaca ab hoc vno euincitur? demus potentiſſimum eſſe venenum hoc & ferè immedicabile, cùm tamen & aliis huiuſmodi venenis oppoſita fuerit nihilominus theriaca, vt in Aſpidis ſermone didicimus, cur eandem Napello non opponemus?

mus?Sed rem totam paucis determinasse visus est Auicenna lib. 5. summ.prima tract.& cap.primo, theriacæ iuuamentum in Napello esse paruum cùm dixit. Propter enim maximam veneni vim, debilius agunt medicamenta, víxque ei resistunt: agunt tamen quadantenus, saltémque vitam aliquo spacio producunt. At si de præseruatione à venenis loquamur: maximam esse in vsu theriacæ spem, quæ de aliis venenis Napello non minùs efficacibus arcendis, hoc eodem cap.scripsimus manifestum faciunt. Quod itaque veneno cuique & venenosorum animalium morsui omni, valenter áduersetur theriaca, satis supérque demonstratum puto. Non semper autem vires istas illa possidet, sed ad tricesimum tantum suæ ætatis annum quemadmodũ in calce prioris libri abundè docuimus. Atque vt à tricesimo anno vim huiusmodi in theriaca deperdi certum est, ita quinto & septimo anno valentiorem in illa eam esse, Galenus statuit lib.de theriac.ad Pison.cap.14.his verbis: Qui valentiori potentioríque vti voluerunt, ipsam post quintum & septimũ annum exhibuerũt, præsertim aduersus venenatorum ictus, canum rabientium morsus, & noxia herbarum venena: validis siquidem noxis succurrere cùm vellent, potentioribus theriacæ viribus eguerunt: quam eandem sentẽtiam vnà cum verbis iisdem, Paulus, Aetius, Auicenna, Razis & Haly Abbas habuerunt. Vt hoc vel solo argumento quantum fidei habeat scriptus ad Pison. de ther. liber clarè cõstet. Atq; de viribus theriac. aduersus venena & venenosorũ animalium ictus, hæc dicta sint satis.

QVIBVS MORBIS VENENVM NON HABENTIBVS ADVERSETVR Theriaca.

Caput Quartum.

QVONIAM morbus quisque vel frigidus, est vel calidus, aut humidus, aut siccus, híc que vel simplex, vel duarũ qualitatum combinatione in sẹ suscepta compositus dictus, de morbis propterea venenum non habentibus quibus aduersatur theriaca sermonem instituturis, generatim priùs quæsiuisse præstabit, calidi'ne morbis tantùm an etiam frigidis humidis & siccis ea occurrat: sic enim quos morbos particulares superet, manifestiùs apparebit. Id quoq. Auerrois occasione præstandum nobis fuit, qui suo lib. de ther. cap. 1. in fine, vnam omnium esse affirmauit sententiam, non conferre theriacam ægritudinibus generatis ex sanguine & cholera: imò nec omnibus frigidis ægritudinibus ex phlegmate & melancholia prognatis: sed iis tantùm quæ humores habent corrumpentes complexionem & formam corporis, vti sunt lepra, paralysis epilepsia & apoplexia fortis: aut eosdem humores à naturali statu multùm distantes. Quòd non conferat morbis calidis, cap. eius libri 3. hunc in modum probare contendit: Vel est ægritudo simplex, aut composita: & quæ simplex est, vel est cum materia, vel sine. Vbi sine materia fuerit, siue calida fuerit ægritudo, siue sicca, vt febris Hectica, non conuenit theriaca. At si materiam habeat, fuerítque phlegma vel melancholia in fine

in fine malitiæ, conuenit theriaca, non conuenit autem in sanguineis & cholericis morbis: excepta tamen cholera, quæ multùm excesserit terminum naturalem: hæc enim si febrem non fecerit, vt in fluxu vētris & vomitu aliquo, conuenire theriacā dixit: non conuenire præsente febre. Rationis cardo in humoris & medicamenti caliditate consistit totus, quorum ratione timet caliditatis morbificæ auctionem. Choleram autem sine febre, quæ multùm exiuerit à termino naturali, ob id à theriaca euinci concedit, quoniam cùm digestionem non recipiat, nec alterationem à medicamētis ei contrariis, destruitur & euacuatur à theriaca. Quin etiam ad suam confirmandam opinionem confugit ad experientiam, séq. vidisse affirmat fluxum diuturnum ex cholera & melancholia adustis ortum, ob theriacæ vsum ægrotantem occidisse. Theriaca, subdit, humorum adustionem auget, nisi fortè veneno similis fuerit adustio, quo in casu conuenire theriacam concedit. Quòd si fuerit cōposita ægritudo, vt sunt apostemata, & febres duarum specierum præsente humore calido, theriacam non concedit: concedit, si humor fuerit frigidus, vt in quartana, quotidiana & duris apostematibus. Atque inde confirmationem id suscipere videtur, quoniam calidioribus anni temporibus, similiterq; in biliosis temperamētis minimè tutum esse theriacæ vsum Galenus, vt postea audiemus, censuit, quemadmodum & ipse Auerroes in fine cap. 3. Non conferre autem theriacam iis morbis, qui humores non habent similes venenis, aut saltem multùm à suo naturali sta-

tu remotos ea ratione affirmauit Auerroes in cap.2. quoniam Alexipharmacum est theriaca, mediam naturam habens inter corpus & venena, quæ proprio in quod agat & suas exerceat operationes non reperto contrario lædere propter suam insignem vim apta est. Subdit in cap.3. Medicinæ quæ curant ægritudines generatas ab humoribus, adiuuant medicinas quæ curant venena: sed non è conuerso nisi ægritudines assimilentur venenis. Probat hoc ex eo quia, quæ excalefaciũt attenuant, adstringunt, vel laxant, aut etiam quid occultum præstant medicamenta, ipsis Alexipharmacis in venenis euincendis auxilio esse possunt. Sed Alexipharmaca in ægritudinibus minimè venenosis, plus nocent quàm prosint, cùm sint fortia medicamenta, sicut nocent medicinæ fortes propinatæ ægritudinibus debilibus. Summa itaque hæc est totius disputationis ab eo subtiliter quidem & ingeniosè, vt illi moris est, Institutæ, sed meo iudicio perperam. Primò enim si variũ theriacæ temperamentum, iuxtà varias eius ætates à nobis capite huius posterioris libri primo determinatum consideremus: iam non erit, vt theriacã calidis frigidisq; morbis aduersari, vltrò dubitemus: cùm primis mẽsibus, refrigerãtis sit facultatis theriaca: primis annis excalefaciat quidem, sed non strenuè: insigniter verò in sequẽtibus. Ex quo & illud apparet manifestiùs, non adhuc insigniter excalefacientem theriacam, in morbis non multã caliditatem habentibus, minori cum timore in vsum venire. Deinde in morbis calidis, excalefacientia medicamenta ex vsu sæpè esse vnius quotidianæ

tidianæ vel quartanæ febris, ab eodem Auerroe, adductum exemplum sufficiat. Quin etiam his venenis quæ multam corpori caliditatem impertiũtur, præstò esse theriacam, ea potissimùm ratione cap. proximè precedenti demonstrabamus, quia venenum faciens caliditatem, mortémque præsentaneam inducens, infringit protinus & valenter. Id verò quod apud medicos rationales axioma est notissimum: illud à quoquam ignorari aut negari non posse sentio: nocere scilicet medicum duntaxat sæpè vt plus iuuet & vitam fugientem retineat Imò periclitandum aliquando esse Galenus existimauit, & pro morbis abigendis alios inducendos interim esse morbos iussit Hippocrates lib. 6. Epidem in fine. Hæc omnia si paulò attentiùs considerasset Auerroes, dimissa profectò disputationis subtilitate, ad ea tantùm sese accinxisset, quæ solida sunt & vera. Potuisset ille longè diligentiùs ea considerasse, quæ de theriacæ viribus in profligandis morbis venenum non habentibus, scripsit in primis Andromachus, Galenus deinde & alij confirmarunt: neq. fortasse talia audentiùs protulisset. Quinimò nec sibi ipsi hac in re contradixisset. Sanè verò morbos plerosque calidos ab humoribus biliosis non malignis prouenientes, necquidem vehementes, aliósque à sanguine productos, sanare theriacam, ex Andromacho Galeno & aliis Auerroe ipso antiquioribus dignioribúsque medicis, demonstrabimus in sequentibus. At ne demonstratione aliqua locus hic penitus careat, ex iis morbis aliquos in exemplum hic cõmemorabimus

Ictericiam flauam sanare theriacam, Cæsarem commonefecit Andromachus. Sed quis icteritiã inter morbos malignos aut corrumpentes enumerauit? Quis biliosum humorem eam facientẽ dicet esse summè adustum? Quis eundẽ non fatebitur calidum? Insomnietatem pariter, quæ dubio procul siccitatẽ habet pro causa, theriacam, quę perpetuò exiccat, sanare, & somnum conciliare, eidem Cæsari idem Andromachus scripsit. Corpulentiam insignem quis sine multo sanguine esse dixerit? Hanc tamen à theriaca auferri manifestè docuit Galenus, lib.14.meth.med.cap.15. Febrem à theriaca extingui, authoris libri de vsu theriacæ ad Pamphil. opinio fuit: vt iam horum medicorum authoritas Auerroem ipsum reprehendat & coarguat vel manifestè. In eo verò idẽ reprehendendus magis, quòd sui ipsius immemor, aduersus ea quæ de theriacæ vsu acutè nimis disputauerat, multa eodem tractatu oscitãtiùs effutiuit. In cholera prassina & æruginosa fluxum ventris faciente concedit ille ea ratione theriacã cap.3. quia ad duo mala respicere debeat medicus, & curare quod fortius est: fortius autem, inquit, est periculum deueniendi ad mortem subitam. Sed quod ille in cholera prassina & æruginosa ob vitæ periculum admittit, illud idem in aliis morbis lethalibus ab alterius generis bile productis eadem occasione vt concedat necesse est: cùm non minus sit excalefactionis periculum à theriaca, bile existente æruginosa vel prassina, quàm in alia quapiam eius specie. Deinde cùm dicit in eodem cap. si pauca fuerit cholerae adu-

stio,

ſtio theriaca eam auget, & propterea non danda. Si multa, & timeatur aduentus mortis ſubitaneæ danda. Quaſi profectò minus ſit excalefactionis periculum exhibita theriaca humore exiſtente calidiore, quàm ſi minùs calidus fuerit. Concedo in morbis periculoſioribus, maiora requiri auxilia, mortis præſertim imminente periculo. Nego tamen in morbis paulò mitioribus nullo pacto cõuenire eadem auxilia poſſe: ſæpe enim paruum morbum ne grauior fiat & occidat, fortiori auxilio exſcindere præſtat. Hippocrates in confirmationem adducatur qui ad imminentes morbos arcendos, & venæ ſectionem & purgationem, quæ duo ſunt maxima in arte auxilia perſæpe commendauit. Quid plura? In fluxu ſanguinis narium, menſtruorum & hæmorroidum, nouam concedit Auerroes theriacam commendata Galeni hiſtoria, matronæ illius Romanæ ex catarrho ſalſo ſanguinem expuentis, recentem theriacam eius conſilio aſſumentis. Neque tamen negaret Auerroes caliditatis participem fuiſſe catarrhum illũ, & ſanguineos dictos fluxus eſſe morbos à ſanguine proficiſcentes. Quin etiam ſpaſmo cauſam calidam habenti theriacam, ex accidenti eſſe auxilio, ille idem ibidem fatetur. Sed quomodocunque calidos morbos ſanet theriaca, nũc nobis curæ eſſe non debet, quibus ſufficit, fateri illum calidis quoque morbis prodeſſe theriacã, quod antea negauerat abſolutè. Præterea ad omnes morbos cutem inficientes, theriacam eodem in loco commendat Auerroes: ſed tantum abeſt, vt eiuſmodi morbi omnes, aut venenis ſimiles ſint, aut

humores habeant maximopere ab eorum natura remotos, vt eorum plerique & leues sint, & curatu faciles: imò aliqui ne morbi quidem nomine antiquis digni visi sunt. Vt verò in his quæ hucusque recensuimus leuitatis crimine damnandus esse videtur Auerroes; ita quoque, quæ pro sua firmãda opinione iecit fundamenta, facili euertuntur negotio. Cum itaque simplici calido morbo aut sicco sine materia qualis est febris hectica, theriacam interdicendam probauit, rectè fecit, neque nos cuique morbo theriacam conuenire contendimus, minúsque Andromachus & Galenus id affirmarunt: sed nullum calidum aut siccum morbum, à theriaca sanari posse, ob id non sequitur. Biliosis morbis qua ratione nõ sit omninò interdicenda theriaca, & choleræ adustæ si conuenit, eandem & minùs adustæ cõuenire proximè à nobis ostensum est. Quare & quod secundo loco posuit fundamentum, corruit totum. Sed & choleram à termino naturali longè remotam digestionem nõ recipientem, si euacuare apta est theriaca, vt ille dicebat, cur hoc idem in cholera minùs praua, & quæ digestionem recipiat, illa non possit, nobis profectò videre non datur. Experientiam quam adduxit eius qui fluxu à melancholia & bile adustis correptus, sumpta theriaca interiit, vel dicemus inanem, quia vi morbi potuit ille interire, nequeunte theriaca humorum & morbi sæuitiam infringere, vel quamplures alias eidem nos opponemus multorũ morbis ab humoribus iisdem factis correptorum, qui theriaces ope sanitatem aquisiuerũt. Est tamen vt quisque animaduertat,

uertat, lepræ & Elephantiasi cõcedere Auerroem theriacã, quos morbos à bile maximè adusta fieri cuique notum esse scimus. Cæterùm etsi in calidioribus anni temporibus & ætatibus ipsis calidis, minimè tutum esse theriacæ vsum verum sit, non inde tamen sequitur, nullos calidos morbos à theriaca depelli, cùm possint soleántque sæpe in anni temporibus minùs calidis & in ætatibus frigidioribus apparere. Ad argumentum ex Alexipharmacorum natura desumptum respondemus, difficilem quidem esse rectum horum medicamentorum vsum, quia veneno cùm participent, facilè nocere possunt, & propterea maxima cum moderatione maturo priùs præcedente consilio, in vsum venire debere, hoc autem ad ipsum pertinet artificem: nec propterea inde sequitur morbis veneno carentibus Alexipharmaca non conuenire. At dicebat ille proprio in quod agant non reperto contrario nocent. Diximus id falsum esse, quia medicaměti qualitas ea quæ veneno aduersatur, eo non reperto otiatur, & solæ aliæ eius qualitates agunt, quę contrarium inuenerunt. Sed ô Auerroes, cur in quartana febre in qua non est venenum, concedis cum Galeno theriacam? An fortè in quartana venenum adest, in quo theriacæ vis veneno aduersa agat? hoc sanè modo solis venenis conueniret theriacã. Nocere iis Alexipharmaca qui magno morbo non laborant, si absolutè accipiatur, falsum est: quia morbos plerosq. minimè magnos Alexipharmacis, præcipuéque theriaca sanari, nuper à nobis ostensum est, ostendetúrque in sequentibus manifestiùs. Quapropter

hac Auerrois subtilitate inanique opinione dimissa: quibus morbis veneno carentibus theriacam particularius occurrere existimauerint Andromachus, Galenus & alij antiqui Medici inquiramus diligenter, rationisque medio hanc theriacæ facultatem ex industria inquiramus. Sanè verò qui librum de vsu theriacæ ad Pamphil. scripsit, paucis multa colligens, in quibus alia remedia vi morbi superata nihil contulerint, in his theriacam exhibitam præter omnium expectationem egregiè operari constanter affirmauit: vt ex hac huius scriptoris attestatione omnibus morbis theriacam occurrere dicendum sit. Minùs vniuersalis fuit Damocratis opinio, hisce carminibus nobis explicata:

Hac vsum ad omnes commodum morbos habet
Qui corpus longa, malè afficiunt mora.

Neutrius tamen sententiæ nos acquiescimus, aliquos tantùm morbos ex hisque frigidos alios, alios calidos, siccos nonnullos & nonnullos humidos, theriacam euihcere affirmantes. Hos ferè singulos enumerarunt antiqui Medici diligenter, hisque nos contenti erimus, ab iis quos Andromachus enumerauit priùs incipientes. Ex his autem exemplo desumpto, si qui alij fuerint morbi quibus aduersari theriaca possit, eos qui ingenio valent Medici non magno poterunt inuenire negotio.

VEN-

VENTRICVLO INFLATO QVA RATIONE CONFERAT Theriaca.

Caput Quintum.

PRIMVS itaque ab Andromacho enumeratus morbus qui sine venenosa qualitate corpus excruciat, est ventriculi ab eo dictus tumor, sic enim habet eius carmen:

Hæc rursus stomacho præsens medicina tumenti est.

Hunc ventriculi affectum esse à Latinis dictam inflationem ratio ipsa suadet, & hanc Galenus lib. 3. de cau. sympt. cap. 2. πνευμάτωσιν γαστρὸς, Græcè appellauit. Voce tumoris metri causa vsum fuisse Andromachum credimus: nam per inflationem, vt tumeat ventriculus necesse est: ideóq; etiam inflationem & tumorem, idem antiquis significasse author est Galenus 4. aphor. comm. 34. Andromachi sanè Græca lectio habet οἰδήματος, voce à verbo οἰδέω, quod tumeo significat, deriuata. Huius rei confirmatio ab authore libri de vsu theriacæ ad Pamphil. desumi potest, qui theriacam ventriculi inflationi subuenire apertè scripsit, neque videre est Andromachum, Galenum, aliorúmve antiquorum Medicorũ aliquem, theriacæ facultates inquirentem de ventriculi tumore sermonem habuisse. Huius affectus causam esse flatuosum spiritum loco proximè scripto Galenus affirmauit, ventre scilicet existente impotẽte ad excernendũ nebulosum, excrementosúmq; spiritum. Ob ventriculi autem imbecillitatem à

frigida intemperie enatam, cuius occasione probè ille concoquere nequit; ex quo postea genitis crudioribus excrementis in quæ agit imbecillus calor fieri flatus inflantes, Galeno id asserenti, lib. de diff. sympt. cap. 4. & lib. 14. meth. med. cap. 7. omnes assentiuntur: Vt hinc vel manifestè constet, quàm cõueniens aduersus hunc affectum remedium sit theriaca. Calorem imprimis naturalem mirificè illa confirmat: quare & ventriculum ad rectiùs concoquendum disponit. Eiusdem visceris imbecillitatem sanare hoc idem medicamentum in lib. de ther. ad Pison. cap. 15. à Galeno scriptum est. quod priùs scripserat Damocrates in prima theriaces descriptione: hos deindè secuti sunt, Aetius tetrab. 4. serm. primo cap. 96. Actuarius lib. 5. sui method. med. cap. 6. Nicolaus Myrepsus sect. 22. cap. primo, Auerroes lib. de ther. cap. 1. & Haly Abbas lib. 10. pract. cap. 5. omnes ac singuli theriacam ventriculi inflationem sanare, apertè affirmantes. Posse autem eam id facere, & quæ continet aromata, calorem naturalẽ firmantia, & medicamenta multa flatus discutientia in eadem existentia suadent manifestè. Est adhæc excalefaciens & exiccans medicamentum humidiora frigidioráque excrementa exiccans, excalefaciens & absumens, crudósque humores ad concoctionem disponens. Cæterùm longè magis hoc veritatem habet, per eam quam Galenus libr. 14. meth. med. loco proximè scripto docuit, inflationis ventriculi curandæ rationem his verbis: Curationis omnium cõmunis est indicatio, vt quod præter naturam est, vacuetur in quocunque contineatur,

tineatur, propria verò post hanc communent est, vt tenuissimis & calidis potestate medicamentis vtamur, atque in ventriculo quidem & visceribus oleum quod tenuium est partium, quódq. rutam habet incoctam, aut aliquod calidorũ seminum, cuiusmodi sunt cumini & Apij & Petroselini, id præstabit: His porrò omnibus indicationibus satisfacere theriacam posse, eius compositionem ingredientia medicamenta, eiusdem temperamẽtum & facultas euidens aperte insinuant. Non enim rutam tantùm & cuminum, & seminum calidorum quædam continet theriaca: sed pleraque huiusmodi & illa quidem potentissima. Valenter adhæc attenuat: strenuè excalefacit & exiccat, & superfluitates absumit, proptereáq. etiam quamque insignem ventriculi inflationem sedare & sanare apta est. Sed qua ratione hunc affectum corrigere valens est theriaca, eadem pariter aliis ventriculi frigidis & humidis morbis, occurret. Quoniam autem in his omnibus affectibus excalefactio requiritur potissimùm, prouectioris ideò ætatis theriacam in hunc vsum eligendam esse certum est. Magno eapropter consilio ventriculi imbecillitatem & tormina, coctionisque tarditatem theriacam sanare posse Damocrates, Galenus, Aetius, Actuarius, Auerroes & Haly, locis proximè adductis enuntiarunt. At Galenus ipse in lib. de ther. ad Pison. cap. 2. Atriam eximiè ab Imperatoribus commendatam, quòd philosophię diligenter operam nauaret, & Platonis lectione delectaretur, ventriculi languore laborantem, vt ne cibum quidem accipere valeret, theriacæ &

vini Absinthites vsu sanatam fuisse scripsit.

ASTHMATI CVR OCCVRRAT THERIACA.

Caput Sextum.

SVBDIT deinceps Andromachus:
Hæc ab anhelāti pectore tollit onus.
Quo carmine, morbum illum nobis insinuari, qui mutuato à Græcis voca bulo, Latinis appellatur quandóque Asthma alias anhelatio vox Græca ἆσθμα, qua vsus ille est, certum facit. Huius affectus quamuis triplicem constituerint antiqui Medici speciem Asthma scilicet Dyspnæam & Orthopneam: cùm tamen non nisi secundùm magis & minus inter se differant, vnius tantùm meminit Andromachus, cuius medio & aliæ subintelligerentur: quæ quidem in eo conueniunt omnes quod vel viscidos & crassos humores habeāt pro causa effectrice (omittimus enim de industria cordis immensum calorem, virium imbecillitatem & viarum angustiam, à quibus quoque spirandi difficultatem fieri interim posse, Galenus docuit lib.4. de loc. patientib. cap. 7. quoniam in his nihil posse theriacam certum est) vel tuberculum aliquod aut plura. Seu verò humores fuerint, seu tubercula, bronchia pulmonis dum obsident, facta in dictis viis angustia, respirationem è vestigio impediunt. In huius itaque morbi curatione, quæcunque ex prædictis fuerit eius materialis causa attenuationem & abstersionem requiri insignem, non modò Galenus: sed vnà &

nà & reliqui Medici omnes tam antiqui quàm recentes apertè affirmant, atque apertè adeò, vt vlterior à nobis hoc loco huius rei non requiratur demonstratio. Attenuare verò vnà atque abstergere theriacam, est item in cap. primo huius nostri sermonis secundi à nobis ostensum. Quam rem diligenter cùm considerassent, Galenus, Actuarius, Aetius, Myrepsus, Auicenna & Haly, Antidotum nobilissimam tanquam efficax, aduersus contumacem hunc morbum, remedium ipsi quoque commendarunt, quibus adiici etiam potest Cælius Aurelianus, Medicus quidem methodicus, sed doctrina admodùm insignis, qui idem affirmat, cùm de difficult. respirationis loquitur. Quin etiam Galenus lib. 3. de locis affectis cap. 8. hosce pulmonis morbos Mithridatica vocata cōpositione, Athanasia, Ambrosia, & theriaca in potu datis sanare conatus est. Atque hic quidem tātopere in huius medicamēti exsiccante vi cōfisus est, quemadmodum eodem loco testatus est, vt pro exsiccandis pulmonibus Hedychroum pastillum, interdiu naribus ipsius ægrotantis adhiberi iusserit, quo quidem argumento ab his quæ theriacæ compositionem ingrediuntur medicamentis desumpto, longè magis theriacam ipsam commendari quisque intelliget, qui Glycyrrhizam, Marrubium, scillam, Iridem, Agaricum, Myrrhā, Terebinthinā, Gentianam, Aristolochiámque in eius compositione accipi sciuerit, quæ omnia & singula impactos in pulmonibus quoquo modo humores abstergere, attenuare, educere, absumere, & exiccare, propriè admodum apta nata sunt,

Cùm verò id auxilij aduersus hos morbos auferat theriaca, attenuatione, abstersione, exiccationéque media, eam quoque non in suæ ætatis initio, sed prouectioris ætatis necessitati huic satisfacere posse, iri haud potest inficias, quod semel atque iterum de eadem aduersus frigidos & humidos morbos quosque administranda, admonuisse sufficiet. Qua autem ratione morbo huic ab hisce causis excitato occurrit theriaca: eadem nec prorsus dissimili aliis pectoris & pulmonum morbis ab eisdem causis excitatis, cuiusmodi sunt tussis, & pręsertim antiquà, pectoris dolor, & ęmpyema, ea moccurrere existimarunt, libri de vsu theriacæ ad Pamphilianum scriptor, Actuarius, Auicenna & Haly Abbas, quos quidem morbos Andromachum silentio prætériisse dicendũ est, quia vnum tantùm aliorum omnium exemplum, his qui sua hæc legerent, esse voluerit.

VENTOSITATEM ET MALVM HABITVM PELLERE THERIACAM.

Caput Septimum.

QVODNAM morbi genus illud sit, quod subsequentibus hisce carminibus:

Aut intus toto, cũ spiritus vndiq; vẽtre
Fluctuat, & surdis viscera pulsat aquis.

proposuit Andromachus, non satis mea opinione clarũ est. Existimauerit forte fortuna aliquis verbis ipsis prima facie inspectis, morbum propositum esse hydropem: sed obstat imprimis ipse idẽ Andromachus, qui paulò inferius hydropem nominauit.

minauit. Obſtant deinde Latini interpretis verba quædam hydropi minimè conuenientia. Surdas aquas in hydrope, quis dixerit cōtineri? quis eaſdē aquas viſcera pulſare affirmauerit? At eum morbum quem Auerroes & Auicenna de theriacæ viribus locis adductis differentes, ventoſitatem malignam appellarunt, cui deinde ſuccedit malus habitus, qui via eſt ad hydropem ſiue eius initium Andromachum ſubintellexiſſe credimus. Aliquando quidem in toto ventre præſertimque inferiore tantus ventus intus cōtinetur, vt videantur ægrotantes ſuffocari, & eorum venter diſrumpi, qui cùm ab alicuius viſceris frigiditate proueniat, debilitatis coctionibus malum habitum tandem ſuperuenire neceſſe eſt. Ad id affirmandum ea ratione inducor, quod de hac magna ventoſitate & de malo corporis habitu, ne verbum quidem vllum habuit poſtea Andromachus: de quibus tamen morbis Galenum & alios, ex eius ſententia locutos fuiſſe dicendum eſt. Galenus enim lib. de ther. ad Piſon. cap. 15. cōtra malum habitum conſtituit theriacam vt optimum auxilium. Hāc eandem ventoſitati magnæ aduerſari dixerunt Auerroes & Auicenna. Huic noſtræ ſententiæ arrident vel maximè Græca ipſius Andromachi carmina, manifeſta quidem adeò his qui Græcè ſciunt, vt ſuperfluum ſit eā hic adſcribere, & in iis declarādis pluribus vti. Ventum omnem in noſtro corpore à diminuto calore fieri, ſtatuit Galenus 5. aphor. com. 72. quod nihil aliud eſt quàm inducta ex caloris diminutione in corpore frigiditas: quæ eò maior eſt quò maior eſt ventus. Magnum

itaque ventum à magna frigiditate siue à multa caloris diminutione prouenire necesse est, ideóq, & mortuorum corpora calore prorsus destituta in modum tympani intumescere persæpè videre est: atque præsertim si præcesserit causa calori naturali maximè inimica, vt in his qui à veneno occisi sunt. Non mirum est itaque huic caloris diminutioni malum corporis habitum succedere interim, vitiatis nimirum coctionibus ob caloris naturalis diminutionem, quo fit vt solidæ corporis partes, quas Hippocrates continentia appellauit, vitietur cacochymia multa in eis genita. Quoniam verò in aquam conuerti aliquãdo solet hæc cacochymia, constituitur tunc ideò aquea cachexia, de qua locutus est Galenus primo lib. de alim. facult. agens de lente, & de hac est intelligendus Andromachus cùm dixit:

Fluctuat & surdis viscera pulsat aquis.

Nec de ea tantum cachexia quæ vniuersalis est, intelligi debet, sed etiam de particulari, quoniam eadem sit vtriusque causa, idémque generationis modus. Capitis & oculorum cachexiam reliquo corpore incolumi existente cognouit Galenus, & cerebrum quibusdam melancholicis cachecticon esse, & ex longa lippitudine in oculis cachexiam induci dixit, & hanc sæpius à nobis obseruatam fuisse testamur. Quid modò surdarum aquarum nomine intellexerit Latinus interpres, nobis nunc curæ esse non debet, cùm metri causa impropriis sæpissimè vtantur poetæ vocabulis. Hæc itaque cùm sic se habeant, cur his morbis auxilio sit theriaca facillimum est intelligere. Per id enim quod

viscera

viscera roborat, flatuum & aquæ generationi ex diametro aduersatur. Exsiccando verò & excalefaciendo, idem præstat, vltro autem & aquam absumit: dúmque attenuat, aquæ & cacochymiæ euacuationi fauet, lotio nimirum à natura postea prorita to. His eisdem suis viribus ac officiis, flatus iam genitos, euacuare & absumere, eorúmq. generationem impedire theriacam posse, dices. Adde suscipere eam in sua compositione Castoreum & Scillam quæ duo medicamenta, mirificã vim aduersus flatus ipsos habere, Galenus existimauit. De castoreo quidem lib. 11. de simpl. med. facult. cap. proprio ventrem flatu distentum, ita vt termina & singultus fiant, ab eo adiuuari scripsit. De scilla verò, lib. de remed. facilè parab. cap. de aceto scillino, ventris flatus ne fiat, prohibere docuit.

AD COLICOS DOLORES ESSE OPTIMVM REMEDIVM theriacam.

Caput Octauum.

COLI vocati intestini infestissimum dolorem, duobus deinceps subsequẽtibus carminibus nobis exposuisse Andromachum ita clarum est, vt quæuis vlterior confirmatio prorsus superflua dicenda sit. Inquit enim:

Diráq; tùm miserum disrumpunt tormina ventrẽ
Et saliunt longi membra dolore coli.

Idem vt constans acceperunt Galenus & qui librum de vsu ther. ad Pamphil. scripsit Damocrates, Aetius, Auerroes & Haly, omnes ac singuli theriacā in dolore isto, maximè. Cōmendātes cō firmationis ratio est in prōptu manifesta, si istius affectus causas, & theriacæ vires, interse cōparaueris, sibiq. ipsis inuicē eas opposueris. theriacā, si ad adolescentiæ saltē ætatē peruenerit, excalefacere & exiccare: viscera firmare, flatus discutere. excrementáq. absumere: si verò in initio solo suę cōpositionis fuerit, refrigerare, & in sensu stuporem inducere; cùm prioris nostri sermonis parte vltima, tū huius secundi anteriore docuimus: quæ omnia in huius intestini dolore sæpe cū requirantur, non est vlterior aliqua dubitandi occasio. Imo fatendum liberè est, colicum pharmacū esse theriacam hoc est ad sedandum coli dolorem comparatum: siquidem præter sedationem doloris, vix aliud in colico affectu præstare possumus; idque satis esse Galenus in initio lib. 6. de loc. patientibus, scriptum reliquit. Porrò sedātur dolores, cùm abscissa causa, tū lenito quadantenus dolore: ita vt debeant anodynis, mixta esse medicamenta causam abscindentia: quæ duo theriacæ insunt: nam aromata continet pleráq. & multa medicamenta vrinam cientia, & excalefacientia: ita vt verè colicū dicatur pharmacum, Galeno id suadente lib. 9. de comp. med. sec. loc. cap. 4. in initio, dū colica pharmaca quænam sint, nos docet. Quanquā autem, colicū pharmacum vniuersalius sit, quàm vt soli colico dolori conueniat; huic tamen & illud conuenire certum est: quod ad præsens nostrum

ſtrum negotium ſufficit. Conuenit autem eius qualitate efficientiſq. materialis cauſæ conditione conſideratis. Eſt colon inteſtinum craſſum ordine à ventriculo quintum, inter cœcum & rectũ medium, longum illud quidem & multos habens medios globos paruos & veluti cellulas, in quo craſſiores fæces commorantur, donec excernendi tempus appetat. Quatuor autem in genere de cauſis in eo excitari dolores Galenus docuit lib. 12. meth. med. c. 7. & 8. nec nõ & Paulus lib. 3. cap. 43. ab humore craſſo pituitoſóq. intra dicti inteſtini mẽbranulas ſubſidente: à ſpiritu craſſo & flatulento in eodem præter naturam retento: ab eiuſdem inflammatione: & deniq. ab acri mordaciq. ſucco eundẽ infeſtante ac vehementer affligẽte. Inflãmatio, acriſq. humor & mordax, refrigerantia exquirit & humectãtia medicamenta: quas vires ab initio ſuæ ætatis habet theriaca: & hęc eadem vbi in ætate progreſſa ſit, excalefacit, attenuat flatus diſcutit & lotiũ proritat: quibus facultatibus, craſſos pituitoſóſque humores, & flatus magnos euincit. Quinimò quæcúmque fuerit huius doloris cauſa, vbi vehementiùs ille infeſtet virtuti & inde vitæ, magno impendente periculo, refrigerantem theriacam ex vſu, ex eo conſtat, quòd Galenus lib. 12. meth. med. cap. primo, in colico dolore, ex vigiliis & virib. reſolutis ad mortẽ tendente ægro obſtupefacientia iuſſit exhiberi medicamenta. Siquis autem reliqua medicamenta in theriaces cõpoſitione vſurpata cõſiderauerit diligentiùs hoc quoq nomine theriacam vt optimum auxilium colico dolori oppoſitã fuiſſe ab

Andromacho, intelliget. Hæc quanquam ad coli vocati intestini dolores propriè pertineant: cùm tamen & ab eisdem causis in ieiuno quod tenue vocatur intestino, ínque cæco dicto, excitari possint dolores, quos omnes impropriè satis à medicis colicos appellari tunc temporis, Galenus conquestus est lib. 6. de loc. patien. cap. 2. eisdem propterea & theriacam subuenire dicendum est. Ob id, qui lib. de vsu ther. ad Pamphil. scripsit Actuarius & Hali, intestinorum omnium dolores particulariùs enumerarunt, hísque theriacam aduersari, testati sunt.

REGIVM MORBVM QVARE SANET THERIACA.

Caput Nonum.

REGIVM deinde morbum enumerat Andromachus, ad quem expellendum maximè valere theriacam censuit, éstq. eius opinio, his carminibus, omnino manifestè expressa:

Sanat idem croceo suffusos ora colore
Regius is solito nomine morbus erit.

Etenim à bile flaua per vniuersas corporis partes, exceptis intestinis dispersa, quæ croceũ colorem in eis inducit, prouenit, diuersisq. de causis id contingit. Aliquando enim fit ab obstructione vesicæ illius quæ bilem recipit, propter quod non patentibus illis meatibus per quos secerni atque vacuari debet, regurgitat in iecur & venas, sanguinísq.

guinísque permixta effunditur in vniuersum habitum. Alia icteri species est, quam nulla parit obstructio, sed vel calida & sicca totius corporis, maximéque hepatis, intemperies, vel facultatis secretricis imbecillitas: illa quidem, quòd multam bilem gignat toto corpore communicatam: hæc verò, quòd genitam eandem à sanguine secernere nequeat. Et ad hãc morbi istius speciem is dubio procul est referendus icterus, qui à venenatorum morsibus aut potu pharmacorum deleteriorum solet contingere: quíque nascitur ab omni alio iecinoris vitio, quo sanguis deprauatur, & flauus, vel porraceus, vel pallidus, vel plumbeus euadit, siue id inflammatio sit, siue durities, siue compositus ex vtroque morbus. Quòd item ex lienis obstructione redundante per vniuersum corpus nigro humore fiat nigra ictericia, nulli non notum esse certũ est. Alia denique icteri species est, quæ fit per morborum biliosorum crises. Aretæi autem opinionem nunc non examino, qui affectis etiam intestinis morbum hunc excitari posse existimauit. Has omnes affectionis istius species enumerasse nos oportuit, vt quibus esset auxilio theriaca intelligeremus. Ei enim ictero qui postremo loco positus est theriacam conuenire, dici haud potest. Nam si excalefaciens fuerit, febrem è vestigio augebit, & cùm frigefacit stuporem inducens, cùm expulsioni tum euacuationi impedimento erit magno. His eisdem rationibus neque præsente inflammatione, neque calida & sicca existente totius corporis intemperie, hepatísque præcipuè, ex vsu esse poterit. Poterit autem vbi

vel hepatis vel lienis obstructio affectum produxerit: veluti etiam cùm ex venenatorum morsibus aut deleteriorum pharmacorũ potu, aut propter facultatis secreticis imbecillitatem exortus fuerit. Postremo enim hoc in casu ea requiruntur potissimùm auxilia, quæ calorem naturalem cuiuscunque nostri corporis operationis opificem roborare firmaréque apta nata sunt: ad quem vsum vt conuenienti victus rationi primæ dandæ partes sunt: ita theriacam posse eidem necessitati multa ex parte satisfacere iam sæpius diximus. At ex venenatorum animalium morsibus excitatam ictericiam vnam ipsam theriacã, ad venena euincenda præcipuè inuentam, sanare posse ex his quę antea dicta sunt manifestum est satis. Quod idem de medicamentis deleteriis eundem morbũ producentibus asserere par est: venenosa enim cùm sint, proindéq. dicta deleteria, ab eo potissimùm euincuntur medicamento, quod venena euincere est aptum natum. Obstructione verò in causa existente, siue in vesica fuerit fellea, siue in hepate vel liene, aut vbicunque, theriacam tanquã attenuans abstergénsque medicamentum præstò esse, nulla, arbitror, eget demonstratione. Sunt hęc, mea quidem opinione, huiusmodi, vt magni Medici, qualis Andromachus fuit, sententiam è vestigio confirment. Certior autem redditur Galeni, eiúsque qui librum de vsu ther. ad Pamphil. scripsit, Aetij & Haly Abbatis, theriacam vt optimum huius morbi auxilium commendantium, authoritate adiecta. Quòd si calamintha icterum sanare apta est, Galeno magistro lib. 7. de simpl. med. facult. cap.

cap. proprio, quantò magis theriaca, quæ & calamintham & cum ea pleraque alia deobſtruentia medicamenta continet. In eo medicamento maximam repoſuiſſe fiduciam aduerſus hunc morbum Aſclepiadem Galenus retulit, lib. 9. de cōp. med. ſec. loc. cap. 1. quod Amygdalarum mundatarum drachm. iiij. Aniſi, Abſinthij, vtriuſq. drach. j. Nardi Indicæ, Aſari, vtriuſque totidem recipit, in paſtillos deinde ex arte redactum. In theriaca igitur, hæc eadem & alia fortiora continente medicamenta, maior vtique eſt reponenda fiducia. Porrò ex hac contra icterum morbum commendata ab Andromacho theriacæ facultate, aliis quoque morbis eandem cum ictero cauſam habentibus eadémque viſcera lædētibus idem medicamentum aduerſari collegerunt Galenus cæteríque proximè ſcripti Authores, hepatis inquam lieníſque obſtructionibus & ſcirrho, cæteríſque etiam, vt inquit Auicenna, duritiebus extrinſecis. Rectè ſanè hæc omnia. Quid autē his ſubſequentibus carminibus ſibi voluerit Andromachus, quæret dubio procul diligentior aliquis:

His poſitas nolunt miſeri contingere menſas,
Nec ſi quis vita tempora longa daret:
Sed ſibi diſſimiles oculis, animiq́ dolore
Contemnunt Medica, quis putet? artis opem.

Clarū etenim vndique eſt, de eis qui Regio morbo laborant locutū adhuc fuiſſe Andromachum. In eo ipſe totus ſum vt credā his carminibus Regium illum morbum, qui à melancholico ſucco exortus eſt ſubinnuiſſe Andromachum, eius effectibus deſcriptis. Aretæus enim ille Cappadox,

quem vbique Galenus multi fecit, libro primo de sign. & cau. diuturn. morb. cap. 15. planè acerbum esse morbum huiusmodi dixit, cuius color specie horribilis est, & qui eo laborant, inquit, imbecilli sunt, desides, tristes, atque demissi animo. Hoc igitur illud est quod dixit Andromachus, esse eos qui hoc affectu laborāt sibi dissimiles oculis, propter vitiatum colorem oculorum præsertim: redundante verò in corpore succo melancholico, ipsi quoque animo infertur læsio, mœréntque ideò & tristes sunt ac demissi animo, cibúmque renuunt & medica omnia auxilia.

ADVERSVS HYDROPEM VALERE THERIACAM.

Caput Decimum.

SEQVITVR ex ordine Hydrops, malus quidē & pertinax morbus, quem à regia hac Antidoto euinci pellíque omnino posse his carminibus enuntiauit Andromachus:

Inuadet quoties Hydrops mala, corpora liuor
Infitit, hac fies liber ab Antidoto.

Liuescere corpora hydropicorum longè manifestius est, quàm vt pluribus debeat demonstrari. At tantæ facultatis esse theriacam, vt morbum huiusmodi pellat prorsus, aliquam, mea opinione, habet dubitationem. Inde autem dubitationis occasio enascitur, quia & ratione & experientia in consilium adductis vix morbum hunc sanabilem

bilem enũtiare possumus: quia cùm extremã in-sequatur hepatis refrigerationem, vt Galenus do-cuit lib. 2. de nat. facult. cap. 8. ex necessitatéque id fiat, posse iterum ad pristinum caliditatis statum viscus illud reduci neque ratio promittit, neque experientia confirmat. Certius quoque insanabi-litatis huius morbi argumentum est, si à scirrho hepatis morbo nimirum penitus deplorato or-tum ducat Hydrops. Hic quidem si siccus fuerit, vt inquit Hippocrates, & ventrem habuerit ob flatus tympani modo resonantem, Græcorum o-mnium Medicorum consensu (quicquid Auicen-na secus senserit) est magis lethalis. Quanquam itaque viscera imbecilliora firmare roboraréque, eadémque frigida effecta excalefacere, deobstru-ere, excrementosos humores absumere, & flatus discutere apta sit theriaca, hísque qui hoc affectu laborant auxilio esse dicatur: quòd tamen sanet, quæ dicebantur non admittunt. Nolo ipse eorum sequi placitum, qui sanationis nomen largè adeò accipiũt, vt quencumque bonum effectum, quis-quis ille fuerit, cum significare velint: nam certio-rem habeo responsionem. Est Hydrops quidam adhuc non confirmatus, sed incipiens tãtùm, alius omnino factus & confirmatus. Est item qui san-guinis retẽtionem in causa habet, vt in muliebri-bus menstruorum, in viris hæmorrhoidum: alius verò qui alias habet causas. Incipientem quidem non adhuc confirmatum Hydropem, si multam adhibueris diligentiam, est quod plenè sanare te posse speres, theriacæ præsertim auxilio: confir-matum verò, quæuis fuerit qua vtaris diligentia,

non est vt sanationem absolutam tibi promittas. Pariter & ob retentam sanguinis consuetam euacuationem factum Hydropem se probè sanasse Galenus cum Erasistrato disputans affirmat, sanguine præsertim misso: quo in casu & præstò esse potest theriaca, quæ, vt postmodum audiemus, retentos menses mouere, & hæmorrhoidum fluxum prouocare maximè valet. Quæ diximus pro huius difficultatis ablatione, ea à Galeno accepimus, cùm lib.4.de rat.vict.in acut.com.III.tum libro de venæ sect. aduersus Erasistratum cap. 5. & 6. Sanationis porrò causa eam rationem habet, quòd morbo tantummodo incipiente sanguinísque copia calorem obruente ad extremam refrigerationem adhuc non est deductum hepar, eiúsque proinde vitium curationem admittit:& sanationem non admittit, cùm extremè refrigeratum est,túncque aliquid auxilij tantùm,perfectam sanationem nequaquam ab ipso theriacæ vsu suscipere potest. Per hæc igitur quatenus Hydropem sanet theriaca intelligere nobis datur, Andromachúsque à calumnia, & Galenus à contradictione vindicantur. Cæterùm quæ de vsu huius antidoti aduersus Hydropem in medium attulit Andromachus, ea à Galeno & ab eo qui lib.de vsu ther. ad Pamphil. scripsit, ab Aetio, Actuario, & Myrepso locis sæpius in hunc vsque locum scriptis confirmantur.

VISVS DIMINVTIONEM CVR INSTAVRET THERIACA.

Caput Vndecimum.

NVNC ad visus hebetudinem nostra conuertatur oratio, quam theriacę visu instaurari, hunc in modum scripsit Andromachus:

Hinc hebetes oculi sibi pristina lumina sument.

Duobus nominibus exprimitur à Græcis Medicis affectus hic, quem Latinus interpres per oculi hebetudinem significauit, ἀμαυρώσεως καὶ ἀμβλυωπίας, inter quæ illud discriminis constitutum est, vt absolutum visus impedimentum nulla manifesta læsione in oculo apparente, sed pupilla planè pura atque incolumi, significet ἀμαύρωσις: solam autem visus diminutionem, pura pariter atque incolumi existente pupilla, ἀμβλυωπία. De posteriore hac affectione locutum præcipuè fuisse Andromachum, & Græca lectio ostendit, quæ in codice Basiliensi habet, ἀμβλεῖαν ὀπωπήν, & communis populi sententia confirmat, quæ priorem affectum cæcitatem potiùs appellat. Nisi fortasse dixisse præstiterit, eam dictionem vsurpasse Andromachum, quæ metro ipsi magis arrisit, nulla nominis suscepta cura: quando easdem habeat vterque affectus causas, secundùm magis & minus tantùm inter se differentes, requirántque ideò similem curationem. De hac re locuti sunt ex professo Paulus & Aetius: hic tetrab. 2. serm. 3. cap. 48. ille lib. 3. cap. 22. idque satis apertè testati sunt, vt scilicet communes sint vtriusque affectionis

causæ; in eo tãtùm diuersæ, quòd τ̃ ἀμϐλυωπίας causæ sint imbecilliores: causarum autem istarum alias latentes esse dixerunt & internas, alias externas, vt frequentes cruditates, crapulas, insolationem, capitis inustionem, ardorem, refrigerationémve, aut multam lectionem à cibo, aut balnei vsum post cibum, vomitiones, & concubitus immoderatos intempestiuósque, spiritus violentam cohibitionem: à quibus omnibus & singulis caput valdè repletur. Atque ex hac capitis repletione vel alterantur spiritus visiui, vel humores aut tunicæ oculorum vitiantur: id quod pluribus modis fieri potest, crassitie nimirum, penuria & imbecillitate spiritus visiui: corrugatione & densitate tunicæ, obstructione à crasso & viscoso humore alicubi impacto, cuiusmodi sæpe contingunt ex longo morbo, mœrore magno & senectute. Súntque hæc hunc in modum intelligenda, vbi paulatim affectio fiat. Nam si repentè vnóq; impetu incidat, in causa esse volunt nerui visiui optici dicti obstructionẽ à crassis & viscosis humoribus subitò illapsis, aut eiusdem nerui resolutionem. Sunt hæ itaque harum affectionum causę inter se adeò diuersæ & contrariæ, vt non omnes theriacæ vsum admittant. Quæ frigiditatem, humorum crassitiem, imbecillitatémque fecerunt causæ, eæ multæ ætatis theriaces vsum admittunt, ceu optimum. Quæ caliditatem induxerunt, non item. Quanquam enim aliquando refrigeret & quidem strenuè theriaca, eo tamen tempore sua vi obstupefaciente collectos in capite & partibus oculi excalefacientes humores fortasse magis impingeret.

pingeret. Porrò aduersus causas huius affectionis frigidas valere theriacam, vbi vi prędita fuerit excalefaciente, rectè statuisse Andromachũ, & clarissimorum Medicorum idem attestantium testimonio, & ex multis quæ visionem adiuuant in compositionem receptis medicamentis confirmatur. Galenus, Aetius & Haly non inualidam ad visum, hebetem instaurãdum vim habere theriacam apertis verbis testati sunt. Suscipit deinde illa in compositione semina fœniculi, cuius vim miram ad visum acuendum inde colligebat Andromachus, dum viperinos cõponeret pastillos, quòd hæc serpẽtes acriùs cernere faciant: suscipit etiam Scillam, Agaricũ, Crocum, Dictamnum, Stęchadem, Marrubium, Gentianam, Anisum, Apiúmque: quæ omnia & singula peculiari quadam virtute aduersus frigidas oculorum affectiones prædita esse vel ipsius Dioscoridis testimonio constat. Videat qui voluerit plerasque ad visum acuendum recitatas à Galeno compositiones lib. 4. de comp. med. sec. loc. & in his omnibus ac singulis horum medicamentorum aliquod vel plura contineri inueniet. Ex his autem ad omnes oculorum affectus frigidos visum quoquomodo impedientes, commodum auxilium esse theriacam manifestum esse credimus.

PHTHISI INCIPIENTI QVA RATIONE OCCVRRAT THERIACA.

Caput Duodecimum.

HAc *Phthisis incipiens victa recedit ope.* inquit Andromachus. Maxima mehercule antidoti istius laus est, quæ morbũ adeò difficilem vti Phthisis est, vincat & superet. Quatenus verò morbum huiusmodi vincat & superet, eiusdem ostendit natura, & specierum conditio. Si nomen hoc Græcum φθίσις, spectes, extenuationem quamque & corporis quamlibet imminutionem tibi significabit, quemadmodum apud Hippocratem legitur in lib. de Natura humana. Celsus ob id cap. 22. lib. 3. vnam esse phthisis speciem dixit, qua corpus non alitur, & naturaliter semper aliquibus decedentibus, nullis verò in eorum locum subeuntibus, summa macies oritur, nisique occurratur hominem conficit. Dicitur autem à Græcis ἀτροφία, sub qua specie eam collocari tabem dubio procul dicẽdum est, quã capitis destillationem consequi Galenus statuit 3. in 3. Epidem. com. 32. In specierum phthisis pariter numero cachexiam idem Celsus eodem loco reposuit. Tertiam esse dixit quæ Pulmonis vlcus habet, propriè sanè à Græcis φθίσεως nomine appellata, quã Athenienses, vt Galenus admonet 7. aphor. com. 16. φθόην nuncupare consueuerunt. Sed eos quoque qui natura proni sunt ad hunc pulmonis affectum tabidos appellasse Galenum constat, 3. aphor. com. 4. 8. 10. & 13. & primo in primum Epidem. com. 18. qui idem aliquando se vidisse

ſe vidiſſe teſtatus eſt (quod idem alij pleriq; obſeruarunt) ſine pulmonis vlcere, à calida & ſicca eius viſceris intemperie aut febre hectica eiuſdem corpus contabeſcere,& hanc impropriè phthiſim dici nulla, vt ipſe ſentio, eget demonſtratione: queadmodũ & impropriè omnino tribui phthiſis nomen quiſque fatebitur pupillæ oculi anguſtiori,hebetiori, obtuſiori, rugoſioríque effectæ, veluti & Hippocrates 6.aphor. 60. Galeno id referente in introduct.libello cap 13 tabis cuiuſdam coxendicum meminit, ἰσχιαδικὴν vocans, qua in ſuppurationibus circa os ſacrũ accidentibus corpora colliqueſcunt: ſimiliter alterius renum cui νεφριτικὴ nomen dedit. Modò an cuilibet ex recitatis phthiſis ſpeciebus occurrat theriaca, præſentis profectò eſt ſpeculationis. Id autem manifeſtũ fiet,ſi cuiuſq. cauſas inquiſiuerimus, quarum ratione huius antidoti facultates cognoſcetur in eis conuenientes vel inconuenientes. Sed quid in eo ſanando morbo laboramus, qui ſua natura inſanabilis eſt? eiuſmodi eſſe phthiſim quamque & ratio ſuadet,& magni ſcriptores atteſtãtur, & experientia cõfirmat. Verè tabidum,quomodocunque aut quauis ex cauſa tabidus euaſerit, neq. ſanatum ipſe vidi, neq.ſanatum intellexi. Blaterent & obloquantur quicunque voluerint, ſéq.id præſtitiſſe glorientur: iis certè & magni Medici ſua authoritate, & ratio ſua certitudine aduerſantur. Galenus in libello introductorio, loco proximè ſcripto, de tabe ex pulmone ſermone inſtituto: difficilis,dixit,aut nulla eius eſt ſalus. Pulmonis vlcera ad quã ſanationis ſpeciẽ reducantur, à no-

bis ostensum est in cõtrouersiis, & ad optimã sanitatem ea nunquã reduci demõstrauimus. In lib. de Coacis prędict. partic. 3 periculosissimę cõstituuntur tabes, quæ præsertim à ruptione venarum crassarũ & à defluxu à capite causam habẽt, & qui lib. de morbis primũ Hippocrati adscriptum scripsit: tabes, dixit, necessitatem habet vt interimat. Sed Galenus lib. de Marcore cap. 6. verè tabidos minimè sanari posse enũtiauit, Philippũ in eo redarguens, quòd nonnullos ex iis qui verè marcuerunt sanari posse existimaret. Hoc idẽ ratio cõfirmat, quia impossibile sit deperditas in tabidis solidas partes (quæcũq. fuerit morbi causa siue species) deperditámq; caloris natiui substantiam restaurare: quod ita sæpe Galenus affirmat, vt nihil sępius. Huc sanè respiciẽs Andromachus, ne fortè nimis suę cõpositioni assentiri videretur, incipiẽtẽ tãtùm Phthisim, non planè absolutã sanare illã posse affirmauit. Huius eiusdem opinionis fuisse Galenũ legere est lib. de marcore loco proximè scripto, vbi de tabe in vniuersum verba fecit. & de hectica febre serm. instituto lib. 1. de differ. febriũ cap. 9. esse dixit omnium febriũ hecticarum dispositionem difficilẽ, vbi iam principij tempus præterierit: cuius rei eam eodem loco reddidit rationem, quòd cùm naturalis cordis tẽperies primùm euerti cœperit, natiua humiditas neq. protinus abolita est, neq. virtus plurimùm laborat, sed primò fit velut quædã efferuescẽtia humiditatis, quo in tẽpore facillimũ esse existimauit, huiuscemodi febrem sanare, tanquã nihil adhuc virtute perpessa: quẽ in sensum eæ omnes sententiæ accipiendæ

sunt,

ſunt, quibus tabidos ſanari poſſe enuntiauit. Porrò an cuilibet etiam incipienti phthiſi (ſumitur enim hic & à nobis nomen hoc in ſuo vniuerſaliori ſignificatu) conueniat theriaca, cauſarum eius ſpeculatio, vt dicebamus, indicabit. Quoniam autem multiplices admodum ſunt cauſæ eiuſmodi, quas omnes & ſingulas hoc loco enumerare nimis fortaſſe longum eſſet: aliquas propterea tãtùm in exemplum adſcribere ſufficiet: ex quibus, quid de quauis alia dici poſſit, colligat ex ſe quiſque facillimè. Si Atrophiæ, quæ primum phthiſis genus eſſe dicta eſt, cauſa fuerit caloris natiui ex frigida intemperie debilitas, hanc theriacæ vſu ſanari poſſe iri haud poteſt inficias. Catarrhum itẽ à capite deſcendentẽ & Atrophiam facientẽ, ſine craſſus fuerit & frigidus, ſiue ſubtilis & ſalſus, à theriaca euinci poſſe certum eſt: ab ea quidem excalefaciente & exiccante craſſus frigidúſq. attenuabitur catarrhus, & abſumetur, cerebriq. intẽperies corrigetur: ſubtilis autem & ſalſus qui fuerit, ab eadem refrigerante incraſſabitur & corrigetur iuxta Galeni cõſilium, matronæ illi Romanæ non ſemel anteà commemoratæ medicinam facientis. Si pariter menſium ſuppreſſio Atrophiã fecerit: theriaca, attenuando, exiccando, deobſtruendóq. optimum erit auxilium. Si latus vermis eãdem forte fortuna produxerit affectionem illum à theriaca enecari, & corpus deinde renutriri teſtatus eſt Galenus libro de ther. ad Piſon. cap. 15. Intemperies calidas & ſiccas tabem facientes à theriaca corrigi poſſe vix eſt vt tibi perſuadeas, etiam ſi refrigerantem adhuc retinuerit facultatẽ

quę quoniam obstupefaciens est,longus propterea eius vsus, ad longos hosce morbos sine dubio requisitus,tutus non est. Cachexiæ verò (quam secundum phthisis genus à Celso constitui audiuimus) maximo auxilio esse theriacam, proximè præcedenti cap.demonstrauimus. At propriè dictam phthisim,pulmonis vlcus insequentem, siue incœptum iā vlcus sit,siue immineat tātùm,theriacam sanare posse illud ostendit,quòd causæ eius,quæcūq.illa fuerit,occurrat,incœptúmque vlcus exiccare abstergereque apta sit.Galenus in lib. de ther.ad Pison.cap.15. illis qui sanguinem expuunt , quos in phthisis initio esse dixeris valde prodesse theriacam scripsit , siquis solidaginem herbam elixet, & in eius decocto theriacam soluat:quod pariter in lib.de vsu ther.ad Pamphil.legitur,Damocratésq;,Aetius,Actuarius,Auicenna & Haly scripserunt.Idipsum autem ratione minimè carere credendum est,quoniam quæcunq.fuerit sanguineæ expuitionis occasio, theriaca ipsa, potissimùm cùm refrigerare apta est , ei obstare maximè valet , sua scilicet vi obstupefaciente sanguinem erumpentem sistendo. Dum verò simul ac semel exiccat,venam sanguinem emittētem occludit.Tabem quoq.illam , quæ coxendicum dolorem & quæ renum vitium insequitur, posse theriacam sanare inde manifestū est , quòd morbis eisdem eam aduersari in sequentibus demonstrabitur.Qua itaque ratione incipiēti phthisi occurrat theriaca,vt dixit Andromachus,ex his manifestum puto. CON-

CONVVLSIONI QVARE ADVERSETVR THERIACA.

Caput Decimumtertium.

Andromachum porrò his ex ordine subſequentibus carminibus,

Sola poteſt in ſe collectos ſoluere neruos.
Pendula tunc aliquis, tentáue colla gerit.

de conuulſione ſermonem habuiſſe, & Latina & Græca lectio inſinuant: τετάνοιο σπάσματος, ὀπισθοτόνου, habet Græca lectio: ſúntque tres conuulſionis ſpecies. Collectione verò neruorum conuulſionem vniuerſaliter intellexit Latinus interpres: collũ autem tentũ ij habent qui tetano laborãt: pendulũ qui Opiſthotono, vel Emproſthotono. Huius affectus cauſas omnes ad duo tantùm capita reduxiſſe Hippocratem cõſtat: ad inanitionem ſcilicet & repletionem: quam ſententiã Galenus lib. 2. de cau. ſympt. eiuſdem numeri cap. confirmat, & eleganti chordarũ ſimilitudine manifeſtat. Vt enim, inquit, vel nimio humore imbutæ chordæ, vel vehemẽtiùs reſiccatæ tendũtur contrahuntúrq. vt interdum etiam rũpantur: ſic & nerui afficiuntur, atq. ita tenſi muſculos adducũt. Ad inanitionẽ ſpectant, febres ardẽtes, Hellebori potio, immodica ſanguinis profuſio, vigiliæ, inedia, & quæcunq. corpus vehemẽter exiccãt: ad repletionẽ, verò ebrietas, crapula, cõſuetæ ſanguinis euacuatiõis ſuppreſſio, intermiſſa exercitia, phlegmone, & q̃ eã conſequũtur, dolor nẽpe mortúlq. præterea & flatus ſpectãt. Profectò cauſarum iſta-

rum enumeratio, quibus in casibus ex vsu sit theriaca, nobis insinuat, cùm in aliquibus sit illa nocitura potiùs quàm profutura. Ex febre ardenti causatam exiccatione media conuulsionē theriacæ vsu exacerbari omnino necesse est, siue infrigidantis, siue excalefacientis illa fuerit facultatis. Calidissimum enim affectum simulatq. siccum ab excalefaciente insigniter & exiccāte medicamēto lōgè magis augeri, notius esse puto quàm vt pluribus debeat demōstrari. At quoniam febri cuiq. putridę obstructiones adiici certum est: obstupefacientis medicamenti vsu eas & febrem consequenter augeri est pariter manifestum. Hellebori potio conuulsionem cùm fecerit, si medicamentum adhuc euacuare contingat, exhibita theriaca eius vires infringi & euacuationem cohiberi in superioribus docuimus: at repressa iam euacuatione, maximè noceret illa. Idem dicendum nobis videtur de immodica sanguinis profusionę conuulsionem faciente: quæ si adhuc perseueret, ab ipsa theriaca vim refrigerantem adhuc retinente sistetur protinus. Nocebit hæc eadem, quemadmodum etiam si vim excalefacientem iam induerit, sanguine ampliùs non fluente. Vigiliarum pariter perdurantium laudatissimum remedium erit refrigerans theriaca: nocētissimum è contra, vbi desierint. Harum exemplo causarum de quacunq. alia corpus vehementer exiccante non multo negotio disserere quilibet poterit. Crapula & ebrietas conuulsionem faciens non alia ratione à theriaca euincitur, quàm somno inducto, cuius medio soluuntur: ita vt refrigerans sit illa eligēda.

Sup-

Suppressam euacuationem consuetam, si ab obstructione prouenerit, theriacę auxilio auferri, indéque exortam conuulsionem sedari, quæ hucusque de aliis morbis dicta sunt manifestũ faciunt, & quæ de vi theriacæ ad suppressos menses euocãdos dicemus deinde, confirmabũt magis. Quid porrò causæ sit, vt ab vno eodémque medicamento & suppressus sanguis euocetur, & effluens supprimatur, Galenus ipse re huiusmodi in admirationem priùs ducta declarauit lib. de ther. ad Pison. his verbis: Recorderis enim dixisse nos in præcedentibus, antidoti huius virtutem multiplicem ac variam esse: atque ideò quædã egredi facit, cùm ea attenuet atque diffundat: quædam ob imbecillitatẽ virtutis immodicè prodeuntia supprimit, corporum vires instaurans. Adde si lubet, excalefacientém theriacam posse ducere retentũ sanguinem: refrigerantem verò, fluentem sistere. Intermissæ exercitationes crassos & viscidos humores gignunt sæpissimè, qui conuulsionem cùm fecerint, ab excalefaciente & exiccante theriaca possunt absumi. Si phlegmonem dolore & morsu mediis conuulsionem excitare cõtingat, refrigerantem theriacam & dolorem & morsum placare sæpius hucusque ostẽsum est. At flatus ipsos, quomodocunque in neruis concludantur, (possunt enim vel in illis gigni, vel aliunde influere) & eos contrahãt, à theriaca potentissimè discuti & aboleri quæ de eius vi in Hydrope tympanite dicta paulò superiùs sunt confirmant. Cæterùm prætereundum non est malignos sæpe morsus à venenatis animalibus inflictos, veluti & è maligna

humorum quadam qualitate exeuntes vapores, conuulsionem interim excitare, cuius affectus singulare auxilium esse theriacam ex iis quæ de serpentum morsu dicta sunt, manifestè constat. Nolo in iis enumerãdis medicamentis theriacam ingredientibus, quæ neruis afflictis peculiari quadã virtute opitulantur, frustra tempus conterere: sit hoc quandoquidem cuique inuentu facillimum. Dicam tãtummodo Galenum Aetiúmque idem cum Andromacho sensisse, & aduersus conuulsionem cõmendasse theriacam vt optimum auxilium. Hi iidem vnà cum Actuario & Auicenna Paralysin à theriaca sanari vltrò adiecerunt: quod ea, opinor, de causa Andromachus reticuit, quia eadem penè sit ratio neruorum resolutorum sanandorum, quæ & contractorum. Hoc Galeni placitum fuisse scimus lib. de ther. ad Pison. cap. 15. his verbis explicatum: Neruorum autem vel contractiones vel distensiones non aliter multoties curauit theriaca, neruos excalefaciens, & eorum tensiones remittens, quàm membrorum resolutiones sæpenumero sanauit, quoniam naturali excitato calore & spiritus in pristinum statum reduxit, & membris solidas motiones restituit. Causas paralysis contempletur quisque pro arbitrio, rémque sic se habere inueniet. Profectò antiquorum Medicorum doctrinæ dos præcipua & laus incomparabilis est hæc, vt ad plura possint eorum dogmata diduci. Quod inde quoque manifestius euadit, quoniã & ã ad particulares particulariũ membrorũ resolutiones & cõuulsiones doctrina huiusmodi diducatur. Nã cũ ad musculos pro-

propriè pertineat cõuulſio, pro muſculorũ diffe-
rentiis varias facit & differentes cõuulſiones, vni-
uerſales ſcilicet & particulares. De vniuerſalibus
quæ hucuſq. dicta ſunt rem totã, quãtum quidem
ad præſens inſtitutũ pertinet, manifeſtam faciunt.
At particulares ex particularium muſculorum &
neruorũ differẽtiis ſunt, quarũ aliquę propriis etiã
ſunt donatæ nominibus: στραβισμὸς in oculo, τρισ-
μὸς in mãdibula: κυνικὸς σπασμὸς in ore, σατυρία-
σις in pene. Hæ itaq. cùm eaſdem cũ vniuerſalib⁹
habeant cauſas, iiſdem quoq. expugnãtur auxiliis.
De virtute itaq. theriacæ aduerſus conuulſionẽ &
reſolutionem hæc hunc in modum ſe habent.

TVMOR FRIGIDVS MEMBRANÆ PVLMONES AMBIENTIS QVA de cauſa à Theriaca ſanetur.

Caput Decimumquartum.

Nec ſinit vt membrana leues quæ pectore ab imo
Sepſit Pulmones, victa tumore premat.

PVLMONIS affectum his carminibus
explicuiſſe Andromachum, omni ex
parte manifeſtum eſſe ſentio. Quis
autem is affectus ſit, non item. Mem-
branæ quidem Pulmones ſuccingentis tumor e-
nuntiatus eſt: quis tamen morbus ſit tumor huiuſ-
modi, & quo nomine veniat appellandus, non ſa-
tis conſtat, vtque conſtet conuenit, ſi inuenienda
ratio eſt, quãobrẽ ei aduerſetur theriaca. Omnia
ea quę in thorace cõtinẽtur cuiq. illius parti colli-
gari, & omnia mẽbranis vndiq. obductis tegi ſcri
pſit Galen. lib. 6. de vſu part. c. 3. Quæ verò coſtas

succingit mēbrana ipsos pulmones ambiens, hæc eodem authore lib.5.de loc.patien.cap.3.neruosa est & fortis, atque diuidi contumax. Vbi eam tumore aliquo affici contingat, ob maximam cum pulmonibus propinquitatem illos premit. Tumor hic si inflammationem fecerit calidos humores continens, pleuritis dicitur. At si à frigidioribus excitatus fuerit humoribus, frigidus dicetur tumor, peculiari alio carens nomine. Hoc idem de aliis membranis ad pulmones quomodocunque pertinentibus affirmare par est, quas tumore aliquo affici interim posse certum est: quare & pulmones ipsos premi necesse est, vtque dicebat Galenus lib. 4. de locis patientibus cap.8. & grauitatis sensum, & aliquando extensionem quandam, vel ad os pectoris vel ad spinam peruenientem, percipiunt ægrotantes: Ibi enim, inquit, membranæ ipsum ambientes suspenduntur: sæpenumero etiam, subdit, angustia molestantur laborantes, atque ob hoc crebrò celeritérque spirant, ac thoracem vehementer attollunt, sed non ita multum aërem attrahunt. Hæc si citra febrem acciderint, aut crudum tuberculum, aut lētorum crassorúmve aut quorundam aliorum humorum plenitudinem declarāt. Tumor igitur à frigida materia excitatus, in earum membranarum aliqua quæ pulmonibus adhærent, consistens & premens, is est morbus quem recitatis carminibus nobis explicuit Andromachus, eo scilicet nomine appellandus, quo & tumor ipse. Excepti summa ratione sunt calidi tumores: quippe qui theriacam neque refrigerantem, neque excalefacientem admittūt.

Refrige-

Refrigerando nanque insigniter, vt facit in suæ ętatis primordiis, obstupefacit simul: ideóque spirandi difficultatem maximè augeret, & ægrotantem suffocaret. At cùm excalefaciens est, febrem pariter augeret. Frigido è contra existente tumore, ad eã ætatem si peruenerit theriaca, in qua excalefaciẽtem est adepta vim attenuat, digerit, abstergit, deobstruit, absumit & exiccat strenuè: quę omnia in huiusmodi huius partis tumore ex necessitate requiruntur. Confirmant Andromachi sententiam quæ de respirationis difficultate theriacæ vsu sananda proximè dicebantur. Atque fortasse his acquiescentes Galenus & alij antiqui Medici, qui de theriacæ viribus disseruerunt, nihil prorsus de tumore isto locuti sunt, quia in his quæ de Asthmate dixerunt proculdubio cõtineretur.

VESICÆ EXVLCERATÆ QVA RATIONE SVCCVRRAT THERIACA.

Caput Decimumquintum.

QVÆ subsequẽter scripta sunt ab Andromacho carmina hæc:

Hac etiam magno vesica dolore leuari
Horrifici stimulis vlceris icta solet.

de vesicæ dolore sermonem cum habuisse manifestè ostendunt. An modò vesicæ quoque vlcus sanare theriacam posse ille voluerit, aliqua, opinor, eget declaratione. Profectò si solus dicendi modus inspiciatur, sola doloris mitigatio videtur ab Andromacho cõmemorata. At Galenus libro

de ther.ad Pison. cap.15. vesicæ vlcera sæpe à theriaca fuisse sanata affirmauit.Idem senserunt Damocrates, Aetius, Actuarius, Myrepsúsque. Sed Auicenna & Haly relicto vlcere solos vesicæ dolores commemorarunt. Visus est pariter ipse Galenus 4.aphor.com.76. medicamentorũ tenuantium vsum in vesicæ vlcere non approbasse: imò videtur Aetius inter morbos insanabiles potiùs quàm sanabiles hunc enumerasse, tetrab.3.serm. 3.cap.29.hoc idem experientia ipsa confirmante. Cæterùm si paulò diligentiùs res hæc consideretur, vesicæ vlcus à theriaca sanari posse nõ est impossibile. Exiccãtia abstergentiáque medicamenta vlcus omne requirit, quæ duo præstare optimè theriacam posse non semel antè docuimus. Hæc si excalefacientis fuerit facultatis, partis sua natura frigidæ vlcus sanabit promptiùs: si refrigeret adhuc, dolores in hoc affectu assiduos & molestissimos obstupefaciendo mitigabit, quemadmodũ & mordaces humores refrigerando attemperare, excalefaciendo absumere valens est. Suscipit adhęc in compositione medicamenta pleraque, quę adstringendo exiccandóque peculiari quadam facultate aduersus hunc affectum prædita sunt: Rosas dico, thus, Rhaponticum, Gramen, Phu, terram Lemniam, Chalcitin, Gummi, succum Hypocisthidis & Bitumen. Quoniam verò cùm ob partis longinquitatem, ad quam supernè sumpta medicamenta vix pertingunt: tum ob naturalem quandam eiusdem imbecillitatem, assiduúmque ferè motum in lotio emittendo, non ita sæpe euenit, vt hic morbus sanetur: sitq̃ue admodum difficile,

cile cùm in excalefactione, tum in refrigeratione medium quoddam, quod non offendat, inuenire: non semper propterea vesicæ vlcus à theriaca sanari dixerunt recitati scriptores, sed aliquando tantùm. Hoc ego de eo vesicæ vlcere interpretor, quod leue est & recens, nõ magnum & antiquum. Quod verò ad Andromachum attinet, eum solius doloris mitigationem commemorasse dixerim, quia vlcere consolidato dolorem leuari necesse sit: quod idem de Auicenna & Haly affirmo. Neque Galenus 4. aphor. 76. in omni vlcere vesicæ tenuantia damnauit medicamenta, sed in eo tantùm, quod eius magnitudinis est, vt vesicæ dissoluatur substantia: quod quidem insanabile prorsus esse verè dixeris. Neque Aetius vesicæ vlcera omnia sempérq. insanabilia dixit, sed vt plurimùm tantùm. Cæterùm non ea vna ratione quòd vlcus sanet interim theriaca, vesicæ dolores leuare eam posse dixerim: sed quoniam etiam in vlceribus illis quæ sanitatem non admittunt dolores mitigare perpetuò valeat. Quales sint ex vesicæ vlcere dolores, pluribus explicarũt Paulus & Aetius: hic loco proximè scripto, ille lib. 3. cap. 45. acuti scilicet, omni tempore, maximè verò in emissione lotij & puris exitu affligentes. Ab his sanè tantopere vexari miseros ægrotantes videre est, vt mortem quauis hora appetant: tantique atque admodum assidui tormenti causa flaccescũt eorum vires vel maximè: ita vt ad anodyna medicaméta necessariò deueniendum sit, inter quæ recentem theriacam non infimum retinere locum iam sæpius audiuimus.

VENERIS IMPOTENTIAM EX PENIS FLACCIDITATE ENATAM quare ſoluat theriaca.

Caput Decimumſextum.

INTER cauſas veneris impotentiam facientes penis flacciditatem ſiue ipſius ineptiam ad erectionem enumerarũt, Aetius tetrab.3 ſerm.3.cap. 35. & Paulus lib.3. cap. 58. eiuſdem partis reſolutionem tanquam potiſſimam huius affectus cauſam ſtatuentes. De hoc u affect Andromachum his carminibus locutum fuiſſe conſtat:

Sola poteſt clauſos penis reſerare meatus,
Irrita quos vrit ſollicitátque venus.

Porrò à frigida intemperie reſolutionem dictæ partis prouenire ſatis clarum eſt. Hæc vel partem ipſám adeò refrigerauit, vt influentes ab arteriis vaporoſos ſpiritus erectionem, vt Galenus docuit lib.6. de loc. patien. cap. 5. facientes recipere nequeat: vel genitis craſſioribus & frigidioribus humoribus meatus per quos tranſeunt recitati ſpiritus obturantur, eorúmque tranſitus impeditur, & propterea erectio fieri nequit. Sanè verò peſſimũ malum hoc eſt, generationi quoque ipſi inimicũ: pro cuius curatione cõmuniter, dicebat loco proximè ſcripto Paulus, Acopis ad reſolutionem commodis vtendum eſt: calidis ſiccíſque quibus priuatim vtamur præpoſitis multis medicamentis, quod & ſenſit Aetius. Theriacam igitur excalefacere & exiccare aptam huic morbo aduerſari non ea tantùm ratione conſtat, quia cuiuſque

partis

partis resolutioni opituletur, quemadmodũ paucis ab hinc docuimus: sed quoniam etiam quædam continet medicamenta, quæ venerem excitare posse dicuntur. Piper, Petroselinum, Mel, Euphorbium, Costum, Anisum, radicem Panacis, Cardamoni semina, Iunci flores, styracem, Nardum, Myrrham, Hypericonis semina, Thus, Crocum, Galbanum, Daucum venerem vel maxime excitare scripserunt Paulus & Aetius locis recitatis. Hæc autem omnia & singula theriacæ compositionem ingrediuntur. Iam & Galenus, loco quem sæpius hucusq. adduximus, genitale membrum flaccescens atque vietum à theriaca attolli scripsit. Rectè igitur Andromachus theriacam morbo huic opposuit.

RENVM DOLORES CVR AVFERAT THERIACA.

Caput Decimumseptimum.

Cinxerunt lumbos Renum quandoq; dolores:
Hauriat hæc aliquis pocula, sanus erit.

QVis morbus is sit, quẽ carminibus istis explicauit Andromachus, nulla prorsus, vt ipse sentio, eget declaratione. Explicandum potiùs est an cuilibet renum dolores facienti causæ (plures enim sunt) conueniat theriaca. Dolent renes interim inflammati: dolent item exulcerati. Ob concretum in eorum substãtia vel cauitatibus lapidem dolor in eisdem persæpe excitatur, veluti & cùm à crassis viscidis-

que humoribus facta est in illis obstructio. Quin & flatus insignes nonnunquam doloris eorum causa sunt. Primò itaque si dolores istos acutissimos & infestissimos esse contigerit(contingit autem sæpissimè)virtutíque ipsi,indéque & vitæ periculũ immineat euidens, obstupefacientibus vtendum esse medicamentis nullus nescit. Huius autem facultatis esse recentem theriacã iam plures audiuimus. Atque huiusmodi vrgente necessitate,nulla causę habita ratione,administrari poterit recens theriaca. Hæc sua refrigerante facultate præsentem eorum calidam intemperiem & inflammationem sedare poterit. Frigida cùm fuerit dolorum causa,híque sua vehementia vitæ periculum non attulerint euidens, excalefacientem theriacam ex vsu esse dicendum est, cuius medio causæ ipsius ablatio,quæ vera est doloris curatio, fieri poterit. Fac insuper Renes esse exulceratos: fac in eisdem concretum esse lapillum, vel etiam obstructionem illos habere,aut multo flatu repletos esse: certè maxima cum ægrotantis vtilitate excalefaciente theriaca semper vteris. Qua enim ratione vesicæ vlcera sanare theriacã posse didicimus: eadem profectò nec prorsus dissimili exulceratos renes ab eadem sanari posse persuademur. Concretos lapides in renibus sua vi attenuante posse theriacam comminuere, & abstergendo eosdem ab omnibus reliquiis expurgare, obstructionésque reserare, & flatus in eis contentos discutere & absumere, iam sæpius assignatæ theriacæ facultates docent. Galenus propterea & cum eo qui lib. de vsu theriac. ad Pamphil. scripsit

Aetius,

Aetius, Actuarius, Auicenna & Haly, facultatem huiusmodi aduersus hunc morbum theriacæ tribuerunt. Sciò theriacam particularia multa continere medicaméta, quæ peculiari quadam facultate hæc omnia, quæ diximus pro huius morbi curatione necessaria, præstare valét: quæ cùm cuique cognitu facilia sint, breuitatis causa hic non enumerantur. Cæterùm vt renum lapillos extrudere apta est theriaca: ita & quos vesica continet eiiciet, quãdoquidem sint lapillorum ab vtraque hac parte eiiciendorum indicationes eædem. Damocrates propterea in prima theriaces descriptione, vesicæ lapidem contercre theriacam posse scripsit.

EMPYEMATI QVA DE CAVSA OCCVRRAT THERIACA.

Caput Decimum octauum.

QVEM morbum Latini suppurationem vocant, illum eundem Græci ἐμπύημα appellarunt: qui quoniam in quacunque corporis parte factam puris collectionem, siue illud in inflammata parte adhuc contineatur, siue abscessus ruptus sit, significare potest: vniuersalem ideò hanc significationem vt euitaret Andromachus, particulari locutione vsus est hunc in modum:

Sola potest eadem multis accepta diebus
Tollere de læso pectore puris onus.

Imò propriè hoc nomine appellatur inter thorá-

cem & pulmonem collectũ pus, quemadmodum docuit Galenus 6.aphor.com.45. & 2. Prognost. com.60. Porrò morbus hic siue ex se genitus sit, siue alteri morbo Pleuritidi, putà Peripneumonię aut Anginæ successerit, eandem requirit curationem, calidis, siccis, abstergentibúsque factam medicamentis, quemadmodum Paulus & Aetius testantur. Exiccandũ enim & cõsumendum vbique pus est, quámq. celerrimè fieri poterit è corpore extrudendum. Hæc omnia pręstabit theriaca satis inueterata, atq; eò faciliùs, quia radicem dulcem, Hyssopum, Iridem, Mel, Thymum, Pulegium, Marrubium, Terebinthinã, Scillam Abrotonúmque recipit: quæ quòniam pectus ipsum expurgare, & in eo collectum pus abstergere, exiccare, & euacuare vel maximè apta sunt, ideò à recitatis Medicis in huius morbi curatione pręcipuè commendantur. Ea tamen conditione, hac inquam lege hæc quæ diximus medicamenta & theriacam ipsam cõmendare par est, vt ad eam corporis con sumptionem & siccitatem ægrotãtis corpus nondum peruenerit, quæ exiccantia excalefacientiáque medicamenta renuat, & lactis vsum potissimùm postulet. Hanc theriacæ facultatem Galenum cognouisse constat: qui si his qui difficilem habent respirationem, theriacam subuenire dixit, lib. de ther. ad Pison. cap. 15. quando pituita quædam crassa meatibus pulmonis insidens hominem inspirare prohibet, eò quòd ipsam & desiccat & ad expulsionem præparat, cùm & compacta attenuet & tenacia diuidat: profectò hęc eadẽ in pure collecto in thorace nõ admodũ crasso

&

& compacto præstare eam posse concederet. Sed qua ratione libri de vsu ther. ad Pamphil. author tussim nouam & antiquam sedare theriacã posse dixit, eadem & Empyema ab eodem medicamẽto sanari posse diceret, quãdo & in eo tussis adsit, pectorisque expurgatio requiratur. Damocrates idem cum Andromacho sentiens in prima theriaces descriptione hæc scripsit:

Et qui è pectoris sanguinem recessibus,
Aut faculentis viris excreant sputi,
Feratur vndecunq. sit Pulmò licèt.

Idem mea opinione sensit Haly, quando viscerum apostemata à theriaca sanari dixit. Vtcunque autem sit, rationem habemus manifestam, qua collectum pus in pectore illúdq. onerans auferre possit theriaca.

VIGILIIS OCCVRRERE THERIACAM QVOMODO verum sit.

Caput Decimumnonum.

QVI sequuntur ex ordine versus Andromachi, nescio quomodo transpositi ad venena pertinent, & à nobis antea fuere declarata: quare ad ea carmina transeundum est, quæ morbos veneno carentes explicant, súntq. hæc:

Insomnes demum quibus est mos ducere noctes,
Conciliat somnum, peruigiléfq. leuat.

Vigilias præternaturaliter hominem affligentes,

hoc loco Andromachum intellexisse certum est. Dicuntur autem præter naturaliter affligere, & in morbi locum constituuntur vigiliæ, quæ eo tempore perdurent obstinatè, quod ad somnum capessendum & quietē corpori tribuendam à natura constitutū est. Tempus autem hoc ipsa nox est, vt ex Galeno colligitur, lib. 6 de tuen. valet. cap. 5. qua præsente vigilias tantopere perdurare vt tota ducatur insomnis, res est ex necessitate præternaturalis, & morbosam causam vt habeat oportet. De somni & vigiliarum causis tanta est inter antiquos scriptores controuersia, vt integri à recentioribus ad rem hanc determinandam cōscripti sint libri: quæ res ad præsens nostrum minimè attinet institutum. Pro eo quod præsenti quærimus loco ea nobis satis sint, quæ de somni & vigiliarū causis naturalibus & præternaturalibus Galenus scripsit lib. primo de cau. symp. cap. vltimo: ex quibus qua de causa vigilias pellere & somnū conciliare possit theriaca, notū fiet. Cerebro exiccato vel etiā calefacto vigilias fieri docet ibi Galenus: quare per humectantia & refrigerantia somnū cōciliari collegit. Ab humore quidē humido somnū cōciliari dicit naturalē, vt à quiete, à cibo, à vini potu & aliis huiusmodi per quæ cerebrum humiditate repletur, qua vtiq; indiget, vbi in multo negotio fatigatum est & siccatū. Non naturalis verò somnus inducitur, inquit, à multo frigido, vt in comatosis & lethargicis videtur, quorum causę capitis humiditas ac frigiditas sunt, vel alterutra per se sola in eo cōsistens, vel ambæ simul iunctæ. Talia igitur, subdit, cùm medicameta omnia quę

verè

verè somnifera sunt,tum quæ sic quidem vocantur,inferunt non somnum , sed Coma & Caron, & totius corporis torporem.Ac quæ quidem dun taxat humectant omnia meritò somnifera vocantur:quę verò perfrigerant,nec somnum nec indolentiam afferre rectè dicuntur , sed pro somno, Coma & Caron:pro indolentia ob perfrigerationis excessum,vel prorsus insensibilitatem,vel certè sensum diminutum. Theriaca igitur vim refrigerantem adhuc retinens posterioris generis somnum conciliare apta est, vigente adhuc in ea opij hăc facultatĕ in summo possidentis virtute. Quòd si quis dixerit refrigerare quidem recentĕ theriacam,sed simul & semel exiccare, vigiliásq ideò potiùs augere debere:Respondebimus,exiccare quoq.& Opiū,nec quidĕ segniter,somnū tamĕ petenter inducere.sua frigiditate quę in sūmo est siccitatĕ euincente:de qua re satis à nobis cùm dictū sit priore nostro sermone,nō estvt in iis hoc loco repetendis frustra tĕpus cōteramus.Sæpe inquit Galenus lib.de ther.ad Pison. cap.15. furentiū deliria generosè sedauit cōciliato somno theriaca,perquem & animi turbulĕtiam perplexásq. cogitationes sedauit.Hic idem Matronæ illi Romanæ sanguinĕ expuĕti,cùm dormitura esset, theriacam circiter quatuor mĕses ante confectā exhibuit:exhibitionis ratione hunc in modūadiecta: Habet enim id ætatis adhuc præualentem Papaueris succū,qui in antiquatis ignauior redditur,ideóque & sōnifera est, & fluxiones tū siccat, tum leniter incrassat.Qua ex Galeni oratione illud constat vel manifestè , exiccantem theriacæ facul-

tatem minimè obesse quominus somnum inducat. Sed non placet in re adeò manifesta plus temporis insumere. Consideremus igitur an quæ ad id temporis peruenit theriaca vt excalefaciat, vigilias pariter auferre valeat. Primò quidem ac per se eam tunc id posse, minimè affirmauerim. Vigiliarum tamen causam auferre cùm possit, secundariò & per accidens somnum, mea opinione, inducet. Fac humorem aliquem melancholicum vigilias fouere: hunc à theriaca absumi posse in sequentibus docebimus. Hoc absumpto humore, cessabunt vigiliæ, somnúsque inducetur protinus. Hæc eadem excalefaciendo & exiccando somnum nimium & morbosum auferet sine dubio: quod ex iis quæ de non naturalibus somni causis ex Galeno adducta sunt liquidò constat. Comatis, Cataphoræ, & lethargi curationem totam in exiccatione consistere Galenus vbiq. prædicat. Neque theriacæ facultas huiusmodi adeò manifesta in dubium reuocari vllo modo potest, sed eam fortassis ea de causa reticuit Andromachus, quia contrario his quæ de vigiliis dixerat sensu cuique manifestum id futurum existimauit.

CON-

CONTRA MELANCHOLIAM CVR OPTIMVM AVXILIVM SIT Theriaca.

Caput Vigesimum.

VLTIMVS ſine veneno affligens morbus ab Andromacho enumeratus eſt Melancholia ipſa, his carminibus explicata:

Morbi certa dabit crudi ſolatia mane
Sumpta, quibus triſtis lux ſolet eſſe magis.
Veſpere, cui magnos nox aduehit atra labores
Languenti cuſtos atque leuamen erit.

Eo ſanè melancholiæ effectu, qui inter eiuſdem alios pleroſq. miſerrimus eſt & deterrimus, morbum ipſum ſubfigurauit Andromachus. Triſtes adeò ſunt nonnunquam qui melancholia affecti ſunt, vt lucem quoque ipſam odio habeant: læduntur è contra interim vel maximè à noctis obſcuritate & tenebris. Melancholia, dicebat Galenus in Introductorio libello cap. 13. naſcitur ex atra bile, humore frigido & tenebroſo, vnde Melancholici tenebriones ac lucifugæ triſtéſque apparent: de omnibus ſuſpicioſi, hominum conſuetudinem oderũt, ſolitudinibus gaudent, quemadmodum Bellerophon à Poeta deſcribitur,

Qui miſer in campis mœrens errabat Aleis,
Ipſe ſuum cor edens, hominũ veſtigia vitans.

Per hoc diſtinguitur hic affectus à mania, quæ & ipſa ſub generali melancholiæ titulo enumerari ſolet, quoniam hæc furibundos, audaces, & manu

promptos homines facit, à calidiore humore adusto ortum habens. Melancholia verò hęc, de qua sermonem habuit Andromachus, à frigido fit humore melancholico, qui μέλαινα χολὴ dicitur: ideóque morbum frigidum & siccum eam appellauit Galenus, lib. 1. de temper. c. 3. Excitatur morb⁹ hic, Paulo teste lib. 3. c. 14. interdum cerebro ipso primariò affecto: quandoq. vnà cum toto corpore permutato: quandóque in hypochondriis tantùm humore collecto. Vbicunque collectus fuerit humor eiusmodi, posse illum à theriaca absumi Galenus censuit lib. de ther. ad Pison. cap. 15. Excitatas, inquit ille, à melancholia graues curas, multoties sumpta ex animo pellit, perinde ac si è splene ac reliquis membris atram bilem exugeret. Tristes curas ab hac eadem Antidoto pelli existimauit Damocrates. Aetius assiduè exhibitum hoc pharmacũ ex venis & vicinis partibus atram bilem velut exhaurire & consumere, quemadmodum etiam ex ferarum ictu illatum venenũ. Idem ad verbũ scripsit Actuarius. Paulus inter optima aduersus melancholiam remedia illud esse existimauit, loco proximè scripto, si aceti acerrimi parum sorbeat dormitum iturus ægrotans, pleraque etiam obsonia in hoc intincta edenda illi esse cõsulit: præstare autem aceto admixtam esse scillam & Polium & tenuem Aristolochiam, peculiarem quandam facultatem aduersus melancholiam his medicamentis inesse ratus. Sed hæc omnia & singula medicamenta continet theriaca, quo nomine hoc in affectu non potest non valdè laudari. Atque hi sunt morbi venenum non habentes,

quibus

quibus theriacam aduersari existimauit Andromachus.

COMITIALI MORBO QVA DE CAVSA OCCVRRAT THERIACA.

Caput Vigesimumprimum.

NON est tamen quòd credamus hos tantùm ab Andromacho enumeratos morbos à theriaca euinci, quoniam & alios multos pariter graues illa euincit. Quosdam tãtùm Cæsari enumerauit Andromachus in exemplum, vt exinde quibus aliis aduersaretur theriaca manifestum esset. Quare Galenus, Aetius, Paulus, Actuarius, Nicolaus Myrepsus, Auicenna, Haly Abbas & Auerroes longè plures enumerarunt, desumpto nimirum ab his quos enumerauit Andromachus exemplo. Comitialem morbũ proponamus imprimis, aduersus quem miro quodam modo pugnare theriacã isti omnes ac singuli pleno ore affirmarunt: nec id quidem ab re. Est comitialis morbus (Epilepsiam Græci dicunt) totius corporis conuulsio non perpetua, cum mentis & sensuum oblæsione. Facit eam ventriculorum cerebri non omnimoda obstructio à crasso lentóque humore: pituitoso putà solo, vel humori melãcholico admixto, vel à maligno crasso & vaporoso spiritu venenosam qualitatem habente. Quancunque igitur ex his causis à theriaca euinci posse, non multum difficile est demonstrare. Si venenatæ qualitatis vapor morbum hunc effecerit, siue à verò prodeat vene-

no, siue à re quapiam eidem simili: hunc ab eo medicamento euinci fatendum est, quod primò ac præcipuè ad venena euincenda inuentum est. Si verò humor pituitosus eiusdem causa fuerit, siue solus sit, siue humori melancholico mixtus, ab exiccante excalefaciente̍que medicamento posse illum attenuari, ad euacuationem præparari, & multa ex parte absumi, ex his quæ de aliis pituitosis morbis anteà dicta sunt notum est. Potest adhæc idem hoc medicamentum frigidam cerebri ventriculíque intemperiem corrigere, cerebrúmque ipsum haud segniter confirmare: quæ omnia ad huius morbi curationem requiri medicũ quẽque scire suppono. Medicamenta qui sciuerit aduersus epilepsiam facientia, ea, si non omnia, saltem quam plurima, & illa quidem valentiora in theriaca contineri animaduertet. Meritò ob id Galenus comitialibus inuasionibus acriter resistere theriacam scripsit, ea adiecta ratione, quòd & nimiam capitis humiditatem absorbeat, & aduenienti vento vias obstruat: quibus ex Galeni verbis illud colligimus (quod etiam ad maiorem huius Antidoti aduersus hunc morbum commẽdationem facit) vt naribus epileptici admota theriaca optimũ sit auxilium: quippe quod suo graui odore ægrotãtem ab accessione reuocare possit, eundémque ab eodem arcere, vapores discutiendo, exiccando, excalefaciendo, cerebrúmque firmando. At si tantam vim aduersus epilepsiam habet theriaca, cur eandem cõtra Apoplexiam, vertiginem, diuturnum capitis dolorem nõ habebit? Non est certè vt quis hoc in dubiũ vertat, qui maximam

mã inter hos morbos existentem cognouerit affinitatem. Vertigo sanè, Apoplexia & Epilepsia sola inter se maioris & minoris differentia distinguũtur. Diuturnus verò capitis dolor, atque auditus tarditas easdem habent cum his morbis efficientes & materiales causas, in omnibúsque cerebrum eadem intemperie affectum est. Videas Galenum propterea & alios de theriacæ viribus disserentes illam pro his morbis profligandis commendasse. Quæ res tanquam ex se euidens & manifesta maiore, mea quidem opinione, non eget confirmatione.

AD MORBOS ARTICVLARES VALERE THERIACAM.

Caput Vigesimumsecundum.

QVARE ad morbos articulares nostra traducatur oratio, & ad eos profligandos potentissimum auxilium esse theriacam demonstremus. Est articularis morbus Grecis ἀρθρῖτις dictus, vel omnes vel saltem plures occupans articulos, vel vnum tantùm, manus scilicet aut pedis, dicitúrque hæc podagra, illa chiragra. Ab omnibus humoribus simul mixtis, quomodocunque inter se misceri possint, & ab eorum singulo seorsum horũ affectuum quisque prouenire potest, ídque tãquam Medico cuique notissimum suppono. Porrò ad hunc extirpandum morbum, quæcunque fuerit pars affecta, quatuor potissimùm requiri omnibus quoque

compertum est: humoris superflui in corpore existentis consumptionem, eius qui fluxit euacuationem, illius qui fluit retractionẽ, & doloris lenitionẽ. Hæc autem omnia auxilia afferre theriacã author est Galenus lib. de ther. ad Pison. cap. 15. Pedum insuper, inquit ille idem, & aliorum omnium articulorum doloribus ab influxióne excitatis tunc præcipuè confert, quando tempus incremẽti discesserit, & status viget: oportet autem priùs dolores mitigare, foris imponẽdo quidpiam quod ipsos lenire queat, inde theriacam bibere, quò fluxionem cohibeat: nam & quæ iam illata fuerint absumit, & quæ mox inferrentur auertit. Maximè verò prodest, quando quis ipsam sanus adhuc frequenter accipit: idcircò quia superfluitates humorum consumit, & totius corporis temperamentum immutat. Nam alia medicamenta quę podagrici bibunt in remedium dolorum, fluxionem quidem ad pedes ferri prohibent, sed cùm superfluum humorem non consumant, aliquam aliam maiorem ægritudinem excitant. Vagatur enim toto corpore fluxio illa, & pulmo qui propter respirationis officium cõtinuè mouetur, rarus cùm sit, facilè vltrò citróque vagantem humorem ad se trahit, atque sic hominem suffocat, quemadmodum ego in multis vera experientia cognoui. Quocirca ne prorsus tales medicinas ebibant ægri dehortor: suadeóque summopere vt theriaca velint in talibus morbis vti: quoniam & superfluum humorẽ exiccat, & alium colligi non permittit: vnde plurimi in principio ex hac bibentes prorsus à podagra liberati sunt. Hactenus Galenus,

lenus: cuius totam hanc dictionem ex industria hic adscripsimus, vt quantum in theriaca ad podagram & alios articulares morbos profligandos ille confideret, cuique notum faceremus. Nolim tamen vitio verti Galeno ipsi, qui doloris lenitionem hoc in morbo theriacę tribuisse minimè visus est, quando in extremis tantùm cruciatibus pro obstupefaciente medicamento ex vsu illa sit, quisquis fuerit morbum faciens humor. Longè profectò conuenientior illa est, si calidos humores dolores excitare contingat. De solis externis medicamentis dolorem lenientibus loco dicto est locutus Galenus. A ratione tamen alienum minimè est, recentem theriacam dolentibus articulis appositam sensu obstupefacto dolorem lenire. Cæterùm vbi ab humoribus frigidis productus hic morbus fuerit, ebibitam, vt ille dixit, theriacam omnibus aliis indicationibus satisfacere posse iam didicimus. De hac eadem huius Antidoti contra morbos articulares facultate hunc in modum locutus est Aetius: Podagra etiam affectis & articulorum omnium fluxione infestatis opitulatur: maximè cùm augmenti tempus præteriit, & status acuminis institerit: doloribus enim sedatis per ea quæ eos mitigare possunt, antidotum in potu præbere oportet: illatos enim fluores consumit, & alios inferri impedit: maximè autem profuerit, si sani adhuc ipsam accipiant: superfluos enim humores expandit, & totam corporis miscellam permutat. Multi igitur in principio podagrę per assiduum eius potum perfectè ab affectione sunt liberati. Idem cum Aetio senserunt A-

ctuarius, Myrepsus & Haly.

MENSTRVVM HÆMORRHOIDALEMQVE SANGVINEM DVCERE restringeréque quare possit theriaca.

Caput vigesimumtertium.

QVis quæso Antidoti huius præclarissimæ vires non admiretur? Quis eandem summis non extollet laudibus? Hanc contrarios propemodum effectus moliri, sanguinis fluentis sistendi, restrictíque ducendi Galenus prædicat, ídque vt verissimum ratio suadet, & experientia confirmat. Educit, inquit Galenus, eadem in mulieribus menstruùm sanguinem, & suppressas vteri sedísve sanguinis excretiones frequenter aperit; ac, quod admirabilius est, immoderatas eiusdẽ sanguinis eiectiones detinet. Recorderis, subdit rationem reddens, dixisse nos in præcedentibus antidoti huius virtutem multiplicem ac variam esse: atq; ideò quædam egredi facit, cùm ea attenuet atque diffundat: quædam ob imbecillitatem virtutis immodicè prodeuntia supprimit, vires instaurans. Ex his patet itaque obstructionem, quæ retentionis harum euacuationum causa persæpe est, theriacam sua vi attenuante & abstergente aperire: calorem verò natiuum instaurando fluxiones reprimere. Poterat sanè etiam theriacam in hisce sanguineis fluxionibus Galenus commendare, quia obstupefaciendo refrigerandóque sanguinem minùs aptum ad fluendum efficit, somnóque inducto flu-

xiones omnes ſudore excepto retinentur. Hoc tamen ſola recens theriaca facere apta eſt: inueterata verò attenuat, & vires inſtaurat. Credita eſt, inquit Aetius, purgationes menſtruas fœminis ciere, & fœtus mortuos eiicere, quos natura propter debilitatem expellere non poteſt. Etenim qua ratione menſtrua ducit, eadem & fœtus mortuos pellere apta eſt: quæ eadem authoris libri de vſu ther. ad Pamphil. fuit opinio, ſicuti & Actuarij. Sanguinem hæmorrhoidum à theriaca ſtringi ſcripſit Haly Abbas. Ex his igitur non in omni harum euacuationum retentione theriacam conuenire conſtat: ſed in his tantùm, quarum cauſa eſt obſtructio.

QVARTANÆ FEBRI QVA DE CAVSA OCCVRRAT THERIACA.

Caput Vigeſimum quartum.

NON minoris quoque admirationis eſſe ſentio, vt ſua caliditate ſiccitatéque quartanæ febri, quæ paſſio calida eſt & ſicca, ab humore ſicco putreſcente accenſa occurrat theriaca. Et tamen Galenus in eius curatione non vno in loco eam maximopere commendauit. In lib. de ther. ad Piſonem cap. 15. hæc habuit, quæ in huius antidoti cõmendationem in medium afferret: Qua de cauſa quartanis etiam febribus optimè conuenit: cùm enim ea febris ab atra bili conſurgat, facilè ſumpta theriaca diſcedit, modò quis ipſa ſeruatis me-

medicæ artis præceptis vtatur. Ego nanque multos quartana laborantes hac vſus artis ſemita à morbo liberaui. In eo libro quem Glauconi idem Galenus ſcripſit, in cap. de curatione quartanæ febris, theriacam tanquam optimum auxilium laudauit. Eadem vſus ille eſt, vt apud eundem legitur in lib. de præcognit. ad Poſthum. cap. 3. Eudemo philoſopho tribus quartanis laboranti, Romæ cùm faceret medicinam. Rigores quartanæ febris auferre theriacam ſcripſit libri de vſu theriac. ad Pamphil. author. Aetius de theriacæ facultatibus particularibus verba faciens, Galeni authoritate priùs adducta, maximè quartanis conducere theriacam ſcripſit, ſi quis ea ingenioſè vtatur. Quin & Paulus Ægin. lib. 2. cap. 23. quod eſt de quartanarum curatione medicamentum ex viperis omni quartanæ cõuenire determinauit. Sic & Actuarius lib. 6. ſuæ meth. med. eiuſdem nu. cap. exiſtimauit. Et Auicenna in curatione quartanæ febris, prima 4. tract. 2. cap. 64. deſcripta, in melancholica & phlegmatica quartana theriacam & Mithridatum danda ſuaſit. Quapropter ſi authoritatem & conſilium magnorum Medicorũ inſequi conuenit, quartanæ febri theriacam optimè auxiliari credendum eſt. Porrò ea cõſilij eorum fuit ratio, quia ſuccum melancholicum à theriaca abſumi poſſe cognouerunt. Excitatas à melancholia graues curas ab animo pellere theriacam Galenus ſcripſit Piſoni, perinde ac ſi ex ſplene & reliquis membris atram bilem exugeret: & hac de cauſa quartanis quoque febribus optimè conuenire, quod idem Actuarius & Aetius ſcripſerunt. Hoc

profectò

profectò si paulò attentiùs consideraſſet Alexander Trallianus, vir ſane in his quæ ad medicinam pertinent illuſtris & peritus, Galenum minimè damnaſſet, quia Diatrion pipereon, Dioſpoliticon, theriacam & liquorem Cyrenaicum, quæ ſunt medicamenta exiccantia, quartanariis ſicco ſine dubio morbo affectis exhibuerit. Hic quidem omnem ſuę dubitationis & reprehenſionis rationem in eo repoſuit, quoniam etſi humor melancholicus calefacientia deſideret medicamenta, nō tamen neceſſariò etiam ſiccātibus indiget: ſi quidem frigidus & ſiccus, & propterea calefacientibus & humectantibus egens. At non videtur, inquit ille, etiam humectantium aliquod pręſcribere velle prorſus, ſed è contrario omnia quæ ſiccāt aſſántq; nimiùm, & humorem craſſiorem potiùs reddunt. Nā quæ videntur magis extenuare, cùm ſint etiam paulò calidiora, quàm vt mediocriter extenuēt poſtea terreſtres magis humores & multò quàm priùs craſſiores efficiunt, dum humiditatem quæ in eis ſubſiſtit exugunt abſumúntque, vt natura ideò excrementa lentiùs excoquat. Didicimus, ſubdit, concoctiones omnémque vitæ originem à calido fieri & humido, id quod etiam in externis videre licet: nam fructus & ſingulæ ſtirpes à pluuiis & Solis calore producuntur. Et propterea omnia quæ præter naturam exiſtunt, contraria ad curationem requirunt: quæ ſecundum naturam ſunt, ſimilia potiùs. Colligebat tandem præſtantiſſimi Medici eſſe officium, vt calidum quidem refrigeret, ſiccum autem humectet, frigidum excalefaciat, & humidum ſiccet: in

summa vt ea quæ sunt vitia & affectus contrariorum vsu euincat. Hæc aduersus Galenum pronũtiauit Alexander, secus dubio procul facturus, si rem totam paulò intimiùs inspexisset. Sanè verò & nutritionem & melãcholici humoris vocatam à Medicis præparationem humectantibus simúlque excalefacientibus cibis ac medicamentis faciendam esse negandum non est: humoris autem præparati euacuationem excalefaciente & exiccante medicamento fieri debere vt non est incon ueniens, ita & necessarium. Euacuationem ipsam medicamento purgante fieri necesse est. At purgantia omnia medicamenta calida & sicca esse Galenus affirmauit, primo aphor.com.22. Videas propterea eundem Trallianum in quartana, quæ, vt ille inquit, à bile excitatur, Scammonio, Agaricóque: in ea quæ à succo melancholico succensa est, castoreo & liquore Cyrenaico ad humoris purgationem vti. His profectò excalefacientibus & exiccantibus medicamentis in febre, quæ calidus & siccus affectus est, vtendum esse necessitas cogit, quia alio auxilio mali humores probè perfectéque expurgari minimè possint. Neque est vt quis dubitet theriaca vti solitum fuisse Galenum ad ipsum humorem facientem quartanam absumendum: quoniam non nisi post perfectam humoris concoctionem ea vtendum voluit, iis quoque vehementer damnatis, qui ante tempus huiusmodi ea vtentes simplicem quartanam, duplicem triplicémque effecerunt: quæ res postea in illa huius nostri sermonis parte, quæ de tempore exhibendæ theriacæ pertractabit, planiùs à nobis ostende-

ostendetur. Miror deinde, neque satis mirari desino, in id incidisse Alexandrum, vt dixerit, victum exiccantem vbique in quartana Galenum commendasse: quandoquidem secus res se habeat, victúmque humidum ille laudauerit. Arcendi sunt, inquit Galenus, à carnibus porcorum, atque ab omnibus eduliis, quæ tenacia sunt & tardum habent exitum, ac quę refrigerant exiccántque corpus. Vino verò vtēdum est albo, tenui, ac mediocriter calido, & volatilibus quæ boni succi sunt & non in paludibus degũt. Pisces autem adhibendi concoqui faciles, mollibus carnibus nihil tenax habentibus præditi. Quis, quæso, est etiã mediocriter tantùm in rebus medicis versatus, qui neget victũ huiusmodi esse humidũ? At videre videor insurgentem aliquem, qui in Alexandri defensionem dicat, Galeni codices Græcos impressos & manuscriptos, Oribasium pariter, Aetium & Paulum aliter de hoc victu enuntiare, legeréque hunc in modum: Arcendi sunt à victu humectante: meritóque ob id reprehensum fuisse Galenum. Addent quoque fortasse salsamenta & sinapi, Diatrion pipereon & Diospoliticum medicamentum quartana laborantibus concessisse eundem Galenum in victu, quæ omnia & singula exiccare manifestum est prorsus. Possem cum Stephano Atheniensi Græco illius Galeni libri interprete, & quidem grauissimo, dicere: cõiunctim esse legendam eam dictionem hoc modo: Et ab vniuersis eduliis quæ refrigerant & humectant: non disiunctim: túncque verum esse, cibos qui refrigerant simúlque humectant, non esse conuenientes: tam-

etsi conueniant qui sine refrigeratione humectāt. Malim potiùs cum doctissimo Leoniceno (quicquid de codicibus Græcis emendandis dici posse videatur) legere hunc in modum: Et ab vniuersis eduliis quæ refrigerant & siccant: sic enim lis tota dirimitur, nulláque in Galeni verbis remanet difficultas. Vt verò qui hæc nostra legent, faciliùs nobiscum in hoc cōueniant, rationem viri de rebus medicis optimè meriti sententiam confirmātem hic adscribemus validissimam, nullo vt credimus argumento reprehendendam. Pisces concoqui faciles, mollibus carnibus nihil tenax habentibus præditos, quos in huius febris victum Galenus commendat, quis inter exiccantia enumerabit? nónne humidum illi præbent nobis alimentum? quis vinum album tenue mediocriter calidum, quod ille idem laudat, potiùs humectare quàm exiccare nō fatebitur? Suum carnes succum siccum, hoc est, melancholicum gignere centies Galenus enuntiauit, quartanarióśque ab eis abstinere debere iussit. Frictiones molles, leues ambulationes & balnea concedit his qui hac febre laborant. Hæc autem omnia & singula si quis exiccare voluerit, cùm verè humectent, contentiosi hominis nomine appellandus erit. Quapropter luce clarius esse existimo longè probabilius esse, quòd siccum victū quartanariis Galenus interdixerit. Nulla verò ratio persuadere nobis poterit, virum in rebus medicis scribendis accuratissimū, ipsiúsque Tralliani iudicio hac in parte diuinissimum, victum humidum damnasse priùs, & statim nullis interiectis lineis, cibos humectantes laudas-

se

ſe propoſuiſſéque. Quòd autem ad ſalſamenta attinet, & ad confectum ex tribus Piperis generibus medicamentum,aliáque huiuſmodi exiccantia medicaméta,non aliter difficultati ſatisfaciendum puto,quàm Stephani Athenienſis ſolutione in medium adducta,quæ in loci illius expoſitione his verbis continetur: Et dicimus eum nunc, non vt nutrimentum, ſed vt medicamentum hæc exhibere:idcirco etiam ſinapi eorum eſcę admiſcet: oportet autem ipſis vti per dierum interualla, vt tenuitate quidem attenuent, ſubſtantia verò nullam notatu dignam additionem faciant. Patet itaque, & mea quidem opinione manifeſtè, ſumma ratione Galenum in quartanæ febris curatione theriaca vti potuiſſe: qui ſi ob id damnandus eſt,quòd exiccantibus in ſicco affectu vſus ſit medicamentis, profectò & Alexander ſuamet lege conſtituta improbandus erit, qui plura Antidota ſine dubio exiccãtia ad quartanarios, eodem cap. 8.libri 12.in quo Galenum reprehẽdit, commendauit. Neque ſanè per eam diſtinctionem, quòd aliqua quartana calidum habeat à quo ſuccenſa eſt humorem, bilem ſcilicet, alia ſuccum melancholicũ qui frigidus eſt, in adminiſtratione exiccantium medicamentorum ſeſe defendere poterit: qui aduerſus Galenũ diſputans in quouis ſicco humore exiccantibus non eſſe vtendum medicamentis conſtituit.Siue itaque frigidus,ſiue calidus quartanam ſuccendens humor fuerit, is eius quoque teſtimonio ſiccus eſt. Theriacam igitur quartanariis prodeſſe rectè omnino à Galeno conſtitutum eſſe exiſtimo. Qua itaque ratione

quartanæ febri occurrit theriaca: eadem quoque & diuturnos rigores, famémque caninam dictam à succo melancholico in ventriculo collecto prouenientem auferre poterit. Hoc Galenus & alij antiqui Medici affirmant: idémque ratio suadet. Crassos enim & terrestres humores, eiusmodi morbos facientes, attenuat, digerit, & absumit.

LVMBRICOS QVA DE CAVSA ENECET THERIACA.

Caput Vigesimumquintum.

SED posteaquam in immoderatæ famis sermonem incidimus, latũ illum & maximum vermem omne susceptum nutrimentum deuorantem, atque ideò totum corpus extenuantem, consequentérque lũbricos quosque in intestinis degentes & multã famẽ faciẽtes qua ratione occidere sit apta theriaca, nunc quoque demonstremus. Speculationis huius occasionem nobis dederunt Galenus & Aetius, hanc facultatem theriacæ ipsi tribuentes, eo præsertim commemorato verme, qui & latus admodum est & maximus, totius corporis nutrimentum absumens. ἑλμινθες à Græcis vocantur lumbrici, trésque habent species Galeno magistro .3. aphor. com. 26. alij enim rotundi sunt, teretes dicti: alij lati: pusilli alij, Ascarides nuncupati, omnes ex crassa lentáque pituita frequentibus cruditatibus collecta, geniti quidem: sed à valido natiuo calore animati. Ex his qui latus est,

rariorem

tariorem quidem habet generationem, quemadmodum loco citato Galenus scripsit, & in libro introduct.cap.13. confirmauit: sed interdũ longus adeò est, vt per omnia extendatur intestina. Hoc idem in ea epistola scripsit Trallianus, quã Theodoro cuidam amico suo de Lumbricis scripsit. Inter ea animalia, quæ ex putri gignuntur materia, lumbricos recensuit Aristoteles, lib.5. de generat. animal.cap.19. Quapropter si horum animalium materiam spectes, eã ab antidoto illa, cuius facultas maximè attenuans est & abstergens, attenuatur valenter & abstergitur. Si verò putredinem in eiusmodi materia concitatam attendas, huic sua vi exiccante aduersatur illa eadem: ita vt iam genitos lumbricos ab ea occidi, & quò minùs alij generentur impediri necesse sit. Lumbricum latum à filice, quoniam amara est, enecari scripsit Galenus lib.8. de simpl. med. facult.cap. proprio: sed in theriaca multa amara medicamenta contineri notum est. Medicamentis pariter acrioribus occidi lumbricos docuit idem author in introduct.libello, cap. paucis ab hinc assignato: in quorum numero reponendam esse theriacam quæ suscipit in compositione medicamenta manifestum faciunt. Abrotonum adhæc, Absinthium, Calaminthham, Cardamomum, Costum, Hyssopum, Myrrham, Nepitam eadem animalia præcipuè enecare apud Galenum legimus, de horum medicamentorum facultatibus differentem in libris de simpl.med. facult. Quæ omnia & singula cum recipiat in sua compositione theriaca, nõ est propterea vt eius vis aduersus animalia ista in du-

bium vocetur. Hanc curandi rationem confirmat Trallianus loco ſcripto, adhibita tamen febris animaduerſione: quæ ſi ipſis lumbricis iuncta fuerit, in medicamentorum excalefactione cautè nobis incedendum eſſe admonet: de qua re pleniùs poſtea diſſeremus.

INTESTINORVM EXVLCERATIONES, DIFFICVLTATES, LVBRICITATÉSQVE cur ſanare apta ſit theriaca.

Caput Vigeſimumſextum.

INTESTINORVM quoque vlcera ſanare theriacam ſcripſerunt Galenus & Auicenna: quorum ſententiam de iis vlceribus intelligere par eſt, quæ ſaniem habent, & perfecta ſunt ac abſoluta, quæcunque fuerit exulcerationis cauſa. Quæ enim in dyſenteriis dicuntur adeſſe vlcera, ea quouſque ſaniem non emiſerint, abraſionem potiùs præ ſe ferunt quandam, & à cauſa calida, acri, & mordaci cùm proueniant, theriacę vſum non admittunt. Vbi ſaniem illa emiſerint, conueniet medicamentum, Galeno magiſtro lib. 12. meth. med. cap. 1. At in aliis omnibus vlceribus, quomodocunque excitata fuerint, eadem prorſus ratione cõuenit theriaca, qua & veſicæ exulcerationem eam ſanare poſſe nuper didicimus, & de eis eſt Galenus intelligendus, cùm inteſtinorum exulcerationem primo

mo loco ennumerauit. Qui deinde eorũdem difficultates adiiciens de dysenteriis venit interpretãdus, vt ex eodem didicimus, cùm 3.aphor.com. 16.tum 6.eiusdem operis com. 3. quo in casu, vt dicebamus, sanie non eueniente est dimittenda theriaca, quia excalefaciat nimis: est tamen illa recens interim ex vsu, fluente scilicet sanguinis copia, doloribúsque maximè vrgentibus, ad refrigerandum & obstupefaciendum. Nunc de lubricitatibus intestinorum dicamus. Rectiùs equidem, mea opinione, vertisset Latinus interpres, læuitatibus, eóque proprio vsus fuisset vocabulo, quod Latinorum esse proprium Galenus dixit.4.aphor. com.12. Eum affectum à Græcis leienteriam appellari ibidem admonet, éstque cùm cibaria talia deiiciũtur celeriter, qualia sunt deuorata: qui quidem affectus cùm à cruditate ciborũ proueniat, breuiùs propterea definiri idem Galenus censuit 6.eiusdem operis com. primo, vt sit scilicet coctionis priuatio, nulla neque secũdùm consistentiam, neque secundùm colorem, aut odorem, aut aliam omninò qualitatem in ventriculo ciborum mutatione facta. Huius causam esse retentricis facultatis infirmitatem, atque omnium ad ventrem pertinentium instrumẽtorum, hoc est, ipsius ventriculi in quem vorando cibos ingerimus, & intestinorum cibos ab hoc acceptos transmittentium dyscrasias & intemperies, vt eodem 12.com.4.aphor. scriptum est. Has autem vel à frigida intemperie sola, vel ab hac cum multa pituita, retentricem & concoctricem facultatem imbecillã reddente, aliàs deniq; ab vlcerosa quapiam affectio-

ne prouenire, cùm iisdem proximè scriptis locis, tum 3.aphor.com.30.Galenus quoque constituit. Et ab his causis theriacæ vtilitas demonstratur. Excalefacit hæc & simul exiccat, frigidámque ideò intéperiem corrigere apta est: attenuat & abstergit, ita vt collectam in ventriculo & intestinis pituitam concoquat, ad euacuationem disponat, & magna ex parte absumat. Vlcera item exiccando & abstergendo sanat: ad hæc per ea quæ continet aromata virtutem concoctricem retentricémque ventriculi & intestinorum mirificè confirmat. Quæ omnia & singula in lienteriæ curatione requiruntur præcipuè. Porrò leienteriam sanare si potest theriaca, consequenter etiam cœliacam (quam dicunt) affectionem, vt sensit Actuarius. Fit hæc affectio, cùm excrementa læuia, humentia & semicocta in aluo contenta continenter fluida redduntur aliquanto postquam assumpta fuerint tempore, propter ventriculi & intestinorum facultatem imbecillem, perfectè concoquere & digerere alimentum nequeuntem, ab iisdem causis cum leienteria productam, vt à Galeno scriptũ est, lib.6. de locis patien.cap.2.ita vt media quædam leienteria verè dici possit cœliaca affectio.

VOLVVLO QVA DE CAVSA OCCVRRAT THERIACA.

Caput Vigesimumseptimum.

Est pariter intestinorum affectio quædã vehemens & ferè lethalis prorsus, ipse voluulus, cui theriacam occurrere Galenus

lenus & Aetius asseruerunt. Fieri hunc affectum, vel ab inflãmatione, vel ab obstructione tenuium intestinorum ab arido stercore facta, quandoque etiam propter eorundem tumorem, apud Galenum legimus, lib. 6. de loc. patien. cap. 2. Neque tamen adeò proprius est hic morbus tenuium intestinorum, quin aliquando eodem teste Galeno 2. in 3. Epid. com. 6. crassiora occupet intestina, prælertímque cæcum Ileo proximum. Præsente inflammatione fidei parum in auxilio theriacæ Galenus reposuit in lib. de ther. ad Pison. cap. 15. ea absente multum ab ea iuuamentum sperauit: quoniam, vt ille idem ibidem inquit, humores in intestinis existentes theriaca absumit, & eorum flatus in vapores resoluit. Tumorẽ pariter, quem crassos humores ac frigidos excitasse necesse est, materiali causa discussa dissipat, & ad nihilum reducit theriaca: roborat insuper & confirmat partis imbecillitatem, & frigidam intemperiem corrigit.

CHOLERAM MORBVM ET CARDIALGIAM CVR SANET Theriaca.

Caput Vigesimum octauum.

KAPΔIAΛΓΙ'A & καρδιωγμὸς duo sunt à Gręcis vsurpata vocabula, morsum quendam in pręcordiis molestissimum significãtia. Num verò vnum idemque sint, an potiùs in hoc differãt, quòd cor-

dis affectum significet καρδιωγμὸς, ventriculi verò καρδιαλγία, parum ad præsentem facit speculationem: in eo ambo cùm conueniant, quòd ab humore acri irritante & mordicante vtrunque proueniat. Irritari autem vẽtriculi os potissimùm; Galenus author est lib.2. de decret. Hipp.& Platon.cap.8. & 5.de vsu part.cap.4. ex qua irritatione cor ipsum suæ propinquitatis occasione in consensum trahi Aetius admonebat, tetrab.3. serm.& cap.1. Irritationis seu mordicationis causam humori admodum acri, qualis est biliosus; aut cuique altero venenosa qualitate prædito, siue etiam veneno cuipiam iidẽ authores assignauerũt. Choleram verò morbum (nomen quidem Græcis Latinísque Medicis commune) non vnam tantùm ventriculi partem occupare Galenus existimauit, lib.3.de cau.sympt.cap.2. sed totum illum, non à bile tantùm cum molestante, vt Alexander Trallianus lib.7.cap.16. docuit, sed etiam ob copiosorem cibum assumptũ corruptúmque: item ob prauorum humorum ac ciborum seu potionum malam qualitatem. His itaque morbis theriacam conuenire Galenus, iisque qui librum de vsu ther. ad Pam. scripsit, Aetius & Actuarius asseruerunt: huic quidem qui cholera dicitur, humores partim sistendo partim densando: alteri verò, sudorem comprimendo & concidentem ægri virtutem retinendo firmandóque. Addamus nos vincere theriacam humorum malignam qualitatem & venenositatem: quæ si horum morborum causa fuerint, nullo præstantiori conuenientiorique cunci possunt auxilio. Est illud autem præ-

stantius

ſtantius multò, quoniam recens eſſe debet theriaca, cùm de venenis agitur: quo tempore ſuæ frigiditatis medio & fluxiones ſiſtit, & humores cōdenſat, & ſudores cohibet, humorúmque acrem qualitatem attemperat. Per hęc itaque dubium illud aufertur totum, quod ex humorum caliditate & febre his morbis interdum iuncta aduerſus theriacæ vſum enaſci poterat. Cæterùm qua ratione theriacā his morbis aduerſari ſuademur, eadem in ea adminiſtrāda prudentes eſſe nos debere admonemur, ſoláque neceſſitate maximè vrgente ad eam confugiendam nobis eſſe docemur, ne fortè impactis ab eius frigiditate in ventriculi tunicis prauis humoribus morbū ipſum è veſtigio augeamus. Fuit hoc authoris libri de vſu ther. ad Pamphil. prudens conſilium, vt cardiacis præ doloribus ventriculi deficientibus conferat theriaca. His itaque conditionibus obſeruatis theriacā antedictis morbis conuenire dicimus: eam dubio procul dimittendam eſſe aſſerentes, vbi nec ſua natura difficiles fuerint morbi illi, nec grauiùs afflixerint.

PESTEM QVATENVS EVINCAT THERIACA.

Caput Vigeſimumnonum.

DEsti ipſi è diametro aduerſari theriacam, vt ab antiquis pleriſque Medicis ſcriptoribus affirmatum legimus: ita apud omnes in hanc vſque

diem receptum fuisse scimus, & qui de peste ex professo scripserunt recentiores quamplurimi, id nulla adiecta demonstratione asseueranter affirmarunt. Hos nos quoque insequentes sola Galeni & aliorum antiquorum Medicorum idem affirmantium authoritate contenti essemus, nisi doctissimus ille scriptis & inuentis clarissimus Iulius Alexandrinus Medicus Cæsareus nos ad se suámque aduersus hanc theriacæ facultatem perpendendam sententiam inuitaret. Cùm enim is ferè solus theriacam contra pestem nullam vim habere, neque conuenire scriptis mādauerit, communique hucusque receptæ sententiæ aduersatus sit, cùm rei nouitas, tum viri haud paruipendenda authoritas, imò & disputationis illius series satis ingeniosa ad id considerandum attentiùs paulóque diligentiùs discutiendum nos propterea coegit. Totius autem huius disputationis ordo hic erit. Quæ theriacæ facultatem aduersus pestem inesse demonstrant in medium priùs afferentur. Adducentur deinde quæ aduersus hæc scripsit vir doctissimus. Hæc ex ordine maturiùs ponderabuntur, negotiúmque totū determinabitur. Galenus in lib. de ther. ad Pison. in cap. 16. pestem non modò à theriaca euinci scripsit, sed vt hoc ipsum efficaciùs persuaderet, rationem experientia confirmatam adiecit. Se enim deprehendisse affirmat, vel solam theriacam in pestilenti constitutione languentibus posse succurrere, neque aliud præsidium tam magno malo posse resistere. Rationem esse dixit, quoniam pestis ceu fera quædā venenata, nō tātùm paucos aliquot miserè perdit, verùm

totas

totas ciuitates depaſcitur, malè ſcilicet immutato & inquinato aere, quem omnes per inſpirationem attrahunt ex neceſſitate. Quapropter qua ratione ſuccenſus per vicos & plateas ignis ex bene olentib. coronis & florib. ſic iubente Hippocrate, ad arcendam ex Æthiopia peſtem ad Græcos venientem aërem expurgauit, adeóque contulit: ſic & theriacam, tanquam ignis quidam purificans & ipſa ſit, ſanos immunes à peſte conſeruare, ægrotantéſque ſanare poſſe, aërem malignum immutãdo, corporáque ad euincendum apta reddendo, arbitratus eſt. Idem ad verbum ferè teſtatus eſt Aetius tetrab. 4. ſerm. primo cap. 96. Paulus pariter lib. 2. cap. 36. idem ſenſit, & ad id confirmandum Galeni authoritate vſus eſt. Idem & Nicolaus Myrepſus ſect. 22. cap. 5. Et qui librum de vſu ther. ad Pamphil. ſcripſit ab Æliano Meccio, viro & medicæ facultatis experientia præſtantiſſimo, & ſingulari quadam humanitate inſigni, ſe audiuiſſe admonuit, Italiam olim peſtẽ inuaſiſſe, qua celeriter multi intercipiebantur, timentibúſque omnibus, vt fit, & Medicis & Principibus authorẽ ſe fuiſſe vt ſola theriaca vterentur (nam cętera nihil contulerant) pluréſque tunc affectos ſumpta theriaca conualuiſſe. Idipſum autem, dicebat ille, mirum alicui videri nõ debet, quando ſi hauſtum venenum ſuperat theriaca, peſtilentiam quoque vincere poteſt. At ſi ex aeris vitio exortę peſti validè adeò occurrit theriaca, certè & illi quę ex cõtagio aut ex prauis cibis enata eſt occurret validiùs, quòd hęc mitior ſit quodammodo. Arabum Medicorum antiquorum loca in quibus hãc the-

riacæ vim contra peſtem magnificiunt, cùm omnibus in propatulo ſint, hic adſcribere ſuperfluũ eſſe exiſtimamus. Agamus potiùs ratione. Quæcunque præſeruant auxilia, eadem ſanare, & è cõtra, apud omnes Medicos ſic receptum eſt, vt ſæpiſſime idem auxilium eodem tempore ſanet & præſeruet: Theriacam à peſte præſeruare his carminibus Cæſarem docuit Andromachus:

Ne te dira lues, non lædat noxius aer:

Hanc cape, cùm prima eſt Sole reuecta dies.

Nimius dubio procul eſſem, tædioſáque ſimul ob longitudinem euaderet oratio, ſi omnia Galeni loca in quibus vim præſeruandi à peſte theriacæ tribuit, hic adſcriberem. Itaque ſi præſeruat à peſte theriaca, vtiq; & curat. Calori naturali quãtopere inimicum ſit peſtis virus, inde manifeſtũ eſt, quòd tam celeriter occidit. At à theriaca ſic eum firmari & muniri, vt potentiſſimis quoque venenis reſiſtat, in huius ſermonis initio abũdè demõſtratum eſt. Excellentem putredinem à peſte excitatam inſigni egere exiccatione, cùm primo de diff. feb. cap. 4. tum alibi ſæpe Galenus affirmat: theriacã autem vel inſigniter exiccare ſæpius hoc noſtro ſermone docuimus. Humanã vrinam abſtergere, exiccare, proindéque vlcerum ſordes & putredinem abſumere Galenus conſtituit lib. 10. de ſimpl. med. facult. cap. proprio: quò factum eſt, vt graſſante in Syria peſte multi vrinam puerorũ ſimul & virorũ cùm hauſiſſent, ſeruati ſint. Hoc exemplo exiccãtem & abſtergentẽ theriacæ vim peſti aduerſari colligimus. Obſtructionũ in peſte aperiendarũ neceſſitas quanta ſit, Galenus lib. 1. de differ.

differ. febrium cap. assignato ostendit. Quantū itē valeat in hoc theriaca, multi morbi ab obstructio ne facti, quos ab ea sanari didicimus, manifestum faciunt. Sed ad ipsam pestis putredinem iterū sermonem cōuertamus, & theriacam eam euincere vltro demonstremus. Hęc profectò vel ea est, quā in aer produxit coinquinatus & putridus, vel cōtagium, cibósve prauos semiputridósq. habuit pro causa: & hæc vel in humoribus cordis, vel in eiusdem substantia est excitata. Spiritus dimisimus ex industria, quia pestilentē diariam minimè dari existimamus. Quæcunq. itaq; fuerit putredinis causa hæc, vbi cordis substātiam attigerit, res est deplorata penitus, Galenique opinione lib. 3. de præsag. ex Puls. cap. 4. nullā habet medicinā, vt propterea neq. theriaca, neque quoduis aliud auxiliū, tunc fit ex vsu. Si humores tātùm putrescere cōtingat, tāta est eorū putredinis vis & efficacia, vt fortiora cōmunibus & vsitatis expostulet auxilia. Hoc inde certum fit, quòd maiorē ægrotantium partem pestis occidit: id minimè factura, si cōmunibus ac vsitatis cederet auxiliis. Putredini quidem exiccantia resistere, affirmauit & Aristoteles. Valenter igitur exiccātia pestifera putredo postulat: quo nomine theriacā ei conuenire negari minimè posse existimamus. Calefacit quidē nec segniter theriaca, quā febris huiusmodi putredinis socia renuere videtur: sed tanta est prauissimæ & exitiosissimæ putredinis feritas, vt febrē quadātenus auxisse p̄stet, dūmodò eā euincamus, vnde maius iuuamentū speratur. Etenim sępe nocere Medicum vt magis iuuet, res est cuique satis manifesta. Et Gale-

nus primo aphor. 24. com. de purgante medicamento in acutis morbis,in quibus turget materia, exhibendo verba faciens: Neque enim, inquit, parum impendet periculi, si quis in morbo acuto malè medicetur, quòd purgantia medicamenta omnia facultate sint calida, & febris quatenus febris est sui ratione non quæ calefaciunt & siccāt, sed iis maximè contraria,quæ humectant & refrigerāt,postulet. Non igitur propter calorem illum febrilem purgatio nobis instituitur (hanc enim scimus quantum in se est nocituram) sed humorum qui febris causa sunt nomine. Maiorem igitur ex infestorum humorum vacuatione vtilitatem consequi oportet,quàm sit detrimentū,quod ex medicamentis purgantib. corpus necessariò accipit:sed tutior quoque aut saltē minùs periculosa erit theriacæ administratio in peste, cùm pusilla admodū eius fuerit febris,quod sępe euenire Galenus affirmat lib.9. de simpl. med. facult.cap.de terra Samia. Neque tūc in eius vsu dubitatio esse poterit aliqua, cùm febre caret pestis, quod posse cōtingere pleriq.ex Hippocrate & Galeno cōtendunt. Neq.est vt in affectu calido theriacæ caliditatē tātopere vereamur,quādo alia ingruit necessitas,periclitātis scilicet vitæ seruandæ,morbíque causæ vehementissimæ euincędę.Id vltro Galenū obseruasse certū est,qui in affectu ex sumpto scāmonio enato ad calidissimi medicamenti vim refrænandā theriaca vsus est, lib.12. meth.med.c.7. Vim ipsi theriacæ inesse ad purgantium medicamentorū vires eneruādas destruendásq.in prioris libri calce docuim⁹, omniáq.medicamēta purgā-

tia

ria excalefacere, proximè ex Galeno didicimus. Cæterùm excalefacientibus auxiliis nonnunquã in peste vtendum esse Aetius affirmat, tetrab. 2. serm. primo cap. 94. quod idem iussit Paulus lib. 2. cap. 35. & Oribasius lib. 6. synop. cap. 24. in lib. de remouen. nocum. quæ ex aere fiunt, tract. 2. ca. 10. Nescio pariter qua ratione freti, aut quo argumẽto persuasi negabimus posse theriacam euincere excellentem illam pestis putredinem, si & purgantium medicamentorum venenosam qualitatem, & venena omnia euincit ac superat. Non autem ob id affirmo pestis putredinem esse propriè venenum: malæ tamen adeò qualitatis eius putredinem esse certus sum, vt breui tempore occidat quemadmodum venena: (quod & Aretæus scripsit lib. primo de cau. & signis acut. morb. cap. 7.) cui theriacam sua vi specifica, multorúmq. in eius compositione ingredientium medicamentorum occasione, aduersari scio. Aliqua in exemplum adduxisse sufficiat, per quę possit qui voluerit reliqua omnia ad libitum colligere: Bolum Armenã, vnà atque Lemniam dictã terram. In magna enim illa sui tẽporis Peste, cuius eadem facies fuit cum ea quæ Thucydidis memoria grassabatur, quotquot id medicamen biberunt celeriter curatos fuisse Galenus affirmauit lib. 9. de simpl. med. facul. cap. de terra Samia. Putredini verò excellenti quòd resistat terra eadem, ibi & alibi sæpius enuntiauit. Scillã incidere, abstergeréque author est Gal. lib. 8. operis proximè scripti, cap. proprio, per quæ illam putredini resistere certum est. Scordium ipsum Pesti aduertissimũ esse vno om

nium medicorum consensu licet affirmare. Quæ autem eius aduersus putredinem vis sit, in lib. de de Antid. cap. 12. scriptum est: Literarum scilicet monumentis à quibusdam celebribus viris traditum esse, quòd cùm in prælio interemptorum cadauera multos dies insepulta iacuissent, quæcunq. suprà Scordion fortè fortuna ceciderant, multò minùs aliis cōputruisse, ea pręsertim parte qua herbā attigerant. Putredines sanare Aristolochiā scripsit Galenus lib. 6. de simpl. med. facult. id ab ipso Dioscor. mutuatus lib. 3. cap. 4. Refrigerare & exiccare Aspalathum, proindéq. ad putredines vtilem esse Galenus author est, eodem proximè scripto loco. At hæc omnia medicamenta recipit in compositione theriaca. Quàm multa sint in compositione theriacæ deobstruentia, attenuantia, abstergentiáque medicamenta, quæ putredini propterea aduersantur vel maximè, pudet pigétq. hoc loco iterum enumerare. Ne verò ob vnam theriacæ facultatem excalefacientem & exiccantem peste affectis cùm febricitant eam nō cōuenire suspicemur, pleraque alia excalefacientia & exiccantia medicamenta ad pestem fuisse commendata demonstremus. Admonendum tamen priùs est, sæpe euenire in his qui peste laborant, vt detrusos ad externas corporis partes prauos humores & malignos euocare necesse sit, & ad easdem promptiùs trahere: quo in opere tantopere valere theriacam Galenus existimauit, vt eam foris admotam in cucurbitæ modum exugere affirmauerit, lib. de ther. ad Pison. cap. 16. internè verò sumptam humores ad partes externas per-

sæpe

ſæpe detrudere: ex quo & quibuſdam morbis cutaneis auxilio illam eſſe poſtea intelligemus. Antidotus illa Aegyptia quæ à Nicolao Myrepſo in prima de Antid. ſect. deſcripta eſt in ordine quarta, ſi quæ ſuſcipit in compoſitione medicamenta conſiderentur diligenter, excalefacit validè, & quamplurima ex illis medicamentis continet, quæ in theriacæ compoſitione recipiuntur. Idem de Antidoto Achariſtos vocata ab eodem in cap. 272. eiuſdem ſect. deſcripta dicendum eſt, quam peſtilentia correptis prodeſſe ſcribit. Mithridaticam confectionem, quę citra omnem cõtrouerſiam excalefacit & exiccat, Peſti aduerſari, non ſolùm author libri de vſu ther. ad Pamphil. ſed & Galenus & poſt eum omnes ac ſinguli ad hanc vſq. ætatem affirmarunt. Itaq. non inconuenire calidum medicamentum in Peſte quæ calida eſt affectio, administrari hęc nobis ſuadent. Quod tamen ea cõditione dictũ volumus, vt nihil adſit, quod præcipuè nulláq. ex parte excalefaciẽtia admittat medicamenta. Eſſe enim poteſt, vt eos qui peſte laborant vehementer quoq. refrigerare expediat, quemadmodum Paulus, Aetius, & Oribaſius locis proximè ſcriptis ex Ruffi ſententia docuerunt. Theriacam igitur peſte laborantib. conuenire, noſtra eſt ſententia, licèt nõ omnibus. Porrò id nullo pacto admitti debere cẽſuit Iulius Alexãdrinus, ſuſcepta ex profeſſo aduerſus id ſentiẽtes diſputatione. Huius initiũ inde ſumpſit, quòd cùm peſtis omnium confeſſione febrẽ habeat putridam: ſit autem febris paſſio calida ſimúlq. ſicca, frigidis atq. humidis egens medicamentis: putre-

do verò ab extraneo cùm fiat calore & supra modum exuperante humiditate, frigida ideò & sicca expostulat auxilia. Hanc pestis putredinem in corpore quidem interdũ ex aliqua in eodem existẽte morbosa causa fieri posse concedit: vt plurimũ tamen ab aeris constitutionibus putredinosis excitari constituit. In ea autem gradus quosdam esse admonet, vt si eos insignes esse contingat, cordis substantiam caliditate afficiat ac siccitate, non tantùm superficiaria, sed altiùs sese induat, vehementiaque sua atq. acrimonia profundiùs putridos vapores suos deferat primò, quasíque putrefacere aggrediatur: tum deinde summũ putredinis gradũ adepta putrefaciat prorsus, & absumpto tãdem cordis humore omni hecticam sæpe inuehat. Quin etiam cùm soli cordis humores à labe correpti sunt, periculum esse inquit, ne ob putredinis insignem malitiam quàm celerrimè illa cordis substantiæ communicetur, & fiat hectica, nisi primo quoque tempore occurratur. Si igitur, inquit, à morbi ipsius essentia curatiuæ semper indicationes sumuntur: semper ideò in pestis curatione habenda erit ratio caloris febrilis aliqua: putredinis autem maior, (quæcunque fuerit illius causa) quoniam maius ex ea periculum imminet. Ac perpetuò febrem vnà & putredinem præ oculis habendam censuit, in quas intentionum aciem intendamus: alteram tanquam morbum, alteram tanquam causam proximam facientem morbum : quæ nisi remoueatur quamprimùm, aucto nimis morbo internecionem repentinam minatur, destructa cordis substantia. Quòd ad

obstru-

obſtructiones,quæ putredinis cauſa ſunt, attinet, eas adeſſe inquit,cùm ex prauo victu exorta peſtis eſt: non adeſſe, vbi ex aeris corruptione facta eſt. Porrò hãc putredinem, quanquam ingentis adeò efficaciæ eſſe poſſit vt vna die occidat, venenum tamẽ ob id eam dici minimè poſſe exiſtimat. Superfluum enim eſſe ſtatuit venenum ex putrediné cõſtituere,quoties putredo idem præſtare poteſt, ea in exemplũ adducta peſte,quam Babyloniç olim cõtigiſſe ſcriptum eſt, cùm in Apollinis templo aperta vetuſtiſſima arca exhalans inde perniciosiſſimus ſpiritus peſtem ad Parthos vſque propagauit: Marcóque imperante ab Auidij Caſſij militibus reſerato,quod longiſſimo tempore occluſum fuiſſet,anguſto quodam foramine,peſtem deinde ſecutam ingentem: quæ omnia putredinis ſobolem fuiſſe aſſerit, concluſi diu putrefactíque ob id aeris. Aerem quidem putrefieri ipſe quoq; concedit, & eum in modũ, vt celerrimè occidat: ob id tamen venenum illud continere negat. Malè præterea pleroſque ſtatuiſſe ſubdit ex putrido aere in nobis gigni venenũ, cùm vero ſimile magis ſit ex putredine putredinem excitari, introducta ſcilicet in patiente eiuſdem generis forma, cũ agente nõn diuerſa. Túncque etiam cùm per cæcas quaſdam cauſas aerem contaminari affirmatur,ſiue à tota ſubſtantia, ſiue occultæ proprietates dicantur cauſæ iſtæ: putredinis effectus nihilominus conſpici animaduertit, facileq́ue eſſe vt peſſimi iſti euentus à putredine ipſa citra venenũ proficiſcantur, longa argumentorum ſerie docet. Ad hæc Galeno quidem concedit, ex calore ve-

hementes non esse febres pestilentes, si externus tantùm consideretur calor: at hûc intrinsecus necessariò vigere existimat, proindéque esse febres huiusmodi omnium maximè lethales. Pestem itē sine febre interdum esse quod asserit Hippocrates, de his intelligendum in quorum corporis superficie tantùm putredo ipsa continetur. Hoc enim cùm ad cor & præcordia non perueniat, neque febrem facit, neque interimit vt plurimùm, videtúrque pestis nomine indigna. Quin & pesti putredinem tātùm, non venenum inesse eo argumento persuadere conatur, quòd eius præcautio ex omnium antiquorum Medicorum sententia in exiccatione, deobstructione corporísq. meatuum omnium reseratione consistat: quæ quidem putredinis non veneni sunt auxilia. Ad id tandem suæ disputationis terminū deducit, vt veneni naturam à pestis putredine abesse prorsus demonstret, sumpto nimirum ab ipsius veneni essentia argumento: Propriè, inquit, absolutéq. venenum illud est, quod δηλητήριον est, quod proprietate quadam totáque, vt aiunt, substantia & natura totóque genere inimicum interimit. Improprium illud est, quod manifestis qualitatibus in summo existentibus interficit. Atque sicuti huic per manifestas qualitates occurritur: ita illi per occultas & per formam aliquam specificam. At in horum neutro contineri pestis putredinem affirmat. Non in primo, quoniam putredinis causæ & natura in aperto satis sint, illius autem veneni lateant, & cognitioni nostræ subtractæ occultentur. Minùs in effectibus conueniunt: quando contagiosa pestis

sit,

ſit, venena nequaquam. Hæc carent vt plurimùm febre: peſtis habet febrem ferè perpetuò. Non etiam in ſecundo: nequeuntibus frigidis ad ſummum aut ſiccis, aut frigidis ſimul & ſiccis, itémq. frigidis & humidis ſimul putredinis naturam ingredi, tantiſper dum talia ipſa ſunt. Eſt putredo euaporatio humidi innati vna cum calore ſuo à peregrino aduentitióque humore facta, ac præternaturali ſimul calore introducto. Calore igitur atque humore ſuperfluo redundet oportet putredinoſa materia. Verùm quidem eſt, ait, in corpore noſtro putredinem peſtiferam ab initio & per ſe exoriri poſſe: nullus tamen Mily aut Sory, aut Chalcitin, aut calcem aut Arſenicum, aut Canharidas, aut Aconitum, aut horum quidpiam quod horum ipſorum vires referat, atque opera etiam edat in corporibus noſtris exoriri dicet. Hęc quoque venena per manifeſtas qualitates occidentia, neque contagioſa ſunt, neque febrem ex neceſſitate faciunt, quorum vtrunque peſtilens habet putredo. Rurſum neque iiſdem euincuntur auxiliis: lacte enim, oleo, butyro, vino & ſimilibus aduerſus dicta venena pugnamus: diuerſis omnino contra peſtem vtimur. Quòd autem horum venenorum quædam putrefacientia quandoque Galenus appellauerit, impropriè id dictũ exiſtimat, meliúſque & veriùs adurentia ſiue erodentia eſſe dicenda, cùm ſit hæc putrefactio ignea: ſi tamen igni putrefactio tribui aliquo modo poteſt. Vtcunque ſit, nihil in noſtro corpore gigni poſſe Hippocratem in libro de Nat. humana ſcripſiſſe ſubiungit, quod qualitates in ſummo habeat, cu-

iuſmodi dictis venenis inſunt. His expeditis: vt theriacam peſti minimè aduerſari demonſtret, temperamētum eius, dotes ac facultates poſtmodùm inquirit, longáque oratione valdè illam excalefacere & exiccare inſinuat. His itaque hūc in modū conſtitutis, theriacā in peſtis curatione minimè cōuenire huiuſmodi argumētorū ſerie propoſita colligit. Vel enim ratione febris, vel ratione hāc facientis cauſę ac putredinis, vel viriū cauſa theriacam cōuenire dicendum eſt. Horum autem nullius ratione conuenit. Aſſumptum ex Galeno probat. lib. 11. meth. med. cap. 9. has febrium putridarum indicationes curatiuas enumerante, admonentéque vltro, conferendas eſſe illas inter ſe, quò an ex æquo omnium habenda ſit cura, an vni potiùs quàm alij attendendum ſit, ſciamus. Exempli gratia deobſtruentibus eget obſtructio, quæ bona ex parte calida ſunt & ſicca: putredo quā putredo, frigidis & ſiccis, febris qua febris frigidis & humidis. Si tanta fuerit putredo quāta febris & cauſa, ex æquo omnibus aduerſandū erit: vincente aliqua, ei magis inſiſtendum. Minorem deinde propoſitionem demonſtrare aggreditur hunc in modum: Si putredinem quæ in peſte eſt ſpectes: hæc vel cordis corpus occupauit, vel humores. Primo in caſu auxilio vtendū non eſt nobiliſſimo, cùm nulla ſanationis ſpes ſit. Altero verò vrgente, licet ingēs ſit putredo immēſa & ſumma, valdè exiccantibus propterea egens, idque ocyſſimè facientibus, ne cordis corpori communicata putredine irremediabilis morbus euadat: locus tamen non ſinit totius corporis partium nobiliſſimus,

bilissimus, vitæ fons præcipuus, qui ferre tam acrem & vehementem remediorum vim non posset: ac tanto quidem minùs, cùm febre, quæ ex Hippocrate ignis est, laboret, vt si paulò accendatur magis, periculũ sit ne exuratur statim totum, eóque plus quòd & à putredine exilientes acres & mordaces vapores vertere tãdem tanquam in cinerem (quod putredo efficere solita est) exarefactum cor valebunt. Quapropter aduersus putredinem iustò plus siccantibus si vtamur, siccitatem siccitate adaugentes in hecticam pestilentem citò nos deducturos ægrum veretur. Theriacam itaque, cùm propter caliditatem, tum propter siccitatem suam multam pestiferæ putredini non conuenire concludit: non etiam ratione febris eam conuenire, vt certum manifestúmque supponit: veluti nec virium ratione, quæ medicamẽta non indicant: longéque minùs pesti conuenire theriacam veneni causa concedit, qui nullum pesti venenum inesse demonstrauit. Quas verò suæ sententiæ obstare animaduertit Galeni, Pauli, Aetij, & Arabum Medicorum, theriacæ vsum in peste laudantium, authoritates, eas libris quibusdam imprimis damnatis, deinde inconuenientibus quibusdam adductis è medio auferre conatus est. Librum de theriaca ad Pisonem & de vsu ther. ad Pamphil. ab officina Galeni expũgendos quibusdã argumentis statuit, amplioribus ab eodem delatis in eo libro quem Enantiomaton inscripsit. Ex hoc errore in eis libris contento incõueniens illud euenisse admonet. Propter enim temporum vicinitatem & similitudinem rerum

aliquam, quæ fallere multos solet, inanimaduersa est, inquit, & decepta insecutarum ætatum ad hāc vsque diem Græcorum Medicorum schola, inter quos Paulus quoque & Aetius fuere, quos quidē in faciunda medicina experientissimos prædicat; sed in rebus medicis dubiis determinandis non admodum satagentes, vt qui etiam recitatos Galeni libros acceperint, & retinuerint vt genuinos: quos Gentilem Fulginatem, Petrum Aponensem Hugonémque Senensem in his quæ Galeni sunt inquirendis debuisse imitari dixit, ne deciperentur, quanquam Græcæ locutionis periti. In hunc eundem errorem tractos esse postea Arabes Medicos, qui libros illos esse Galeni genuinos credentes theriacam in peste laudarunt. Hęc ad summum habuit vir doctissimus, quæ aduersus theriacæ in peste vsum in medium afferret, seria illa quidem & rationibus firmata speciosissimis: quæ tamen paulò diligentiùs considerata manifeste eluduntur, & claram habent responsionem. Quòd imprimis ad duos recitatos Galeni libros attinet, in quibus celebri admodum medicamento pestis euincendæ digna laus tribuitur: illud primum affirmamus, eum qui Pisoni scriptus est esse Galeni legitimum & genuinum, & quæ illi obiiciuntur omnia & singula futilia esse, quemadmodum in multis toto hoc nostro sermone ostēdimus, idem in reliquis nunc pariter ostensuri, si illud nostri esset instituti. Sed demus illi nunc etiam libros illos non esse Galeni legitimos: Galenissare tamen quandoque Scriptorem illum ipse concedit, quod persuasisse existimat genuinos fuisse Galeni

leni libros. Quæ duo, mea opinione, multùm authoritatis libris illis, & ei præsertim qui Glauconi scriptus est, tribuunt, & contentas in eo sententias haud liberè contemnendas esse admonent. Eum librum, haud ita multò post Galeni tempora Romæ cõpositum fuisse, ille idem eo argumento persuasus fatetur, quòd Marci Imperatoris aliquãto ante tempore mortui simul & Imperatorum maximorum duorum sui temporis liber meminerit: quæ res maiorem adhuc authoritatem libro tribuit, quando si non ex officina, saltem ex doctrina Galeni prodiisse illum insinuet: ab eo nimirum qui Galeni dogmata colligere potuit. Anne vni Galeno ita addictos nos esse conuenit, vt nihil nisi ab eo immediatè scriptum accipiamus? Satis nobis nunc est magnum in re medica virum eius authorem fuisse, cuius authoritas non sit omnino spernenda: cui, vt dicebamus, & maior adhibenda fides est, si Galenum aliquãdo audiuit, proximéque ad eius tempora vixit. Id faciliùs credimus, quoniam Galenum alicubi de peste & de theriaca ex professo differentem non habemus: ex quo an idem cum scriptore dicti libri sentiat, certò scire possemus. Idem de libro ad Pamphilianum scripto dicimus, qui quamuis Galeni minimè genuinus sit; cuiusdam tamen antiqui magníque Medici & à Galeni temporibus nõ longè distantis opus est, id quidem apertè testantis, sua ætate theriacam pesti aduersari fuisse creditam. Libros eos qui Hippocratis aut Galeni legitimi non sunt in eo esse vtiles semper existimauimus, quòd antiqui temporis Medicorum con-

suetudines & placita qualia fuerint pertæpe osten dunt, hócque solo nunc sumus contenti, quòd ex his libris nonnullos antiquos Medicos vim theriacæ aduersus pestem cognouisse validam approbasséque vt conuenientem constat. Hos secuti deinde alij omnes Medici rem sic se habere experientiæ medio cognouerant: quæ res multi omnino facienda est, atque eò pluris, quòd sæpissimè hac ætate multis in Regionibus pestis exarserit, vtilitérque in vsum theriaca venerit. Aetium & Paulũ ea quæ in libro de theriaca ad Pisonem continentur suis scriptis inseruisse approbasséque argumento certo est, eos librum illum tanquam Galeni genuinum accepisse: quod quanti faciendum sit, id vnum suadet, quòd pleraque ex genuinis Galeni libris ad verbum se se exscribere professi sunt: quemadmodum & ex Antyllo, Herodoto, Ruffo, & aliis nonnullis antiquioribus Medicis. Qui si in his quæ ad Græcam locutionem pertinent fuerunt, vt idem Alexandrinus fatetur, peritissimi & experientissimi, Galenique temporibus aut proximi, aut non multùm sanè longinqui, omnis profectò ratio nobis suadet librũ illũ potuisse illos recte perpendere, difficultatibúsque omnibus perpensis, an à Galeno ipso scriptus fuerit verè cognouisse: at cùm sine dubitatione aliqua quæ in eo continebantur approbauerint, nullum dubiũ genuinús ne esset nécne illos habuisse argumento est manifesto. Vtcunque autem res hæc statuatur, theriacam pesti aduersari illi iidem ex sua sententia cùm affirmauerint, de hoc saltem & de authoris illius opinione eos non dubitasse

certum

certum est. Idem omnino de Arabibus Latinísque Medicis eandem opinionem approbantibus esto iudicium, quos sua doctrina non vulgari & acri iudicio pestis theriacæque naturam ac conditiones omnes probè examinasse certum est: id nullo pacto affirmaturos, si quę obiecta sunt tanti vt prædicantur essent momenti. Nequeo sanè satis admirari tantum virum & tantopere eruditum, vt Alexandrinus fuit, Aetium & Paulum in his quę apud Galenum dubia sunt determinandis Gentili Fulginati, Hugoni Senensi, & Petro Aponensi postposuisse; quasi de his omnibus aperti iudicij occasio non sit manifesta, & quid distent, vt est in adagio, æra lupinis non cõstet. Siue igitur à vera Galeni officina libri illi prodierint, siue nõ, quę de vi theriacæ aduersus pestẽ in eis continentur sententiæ veritatem habent, atq. eo maiorem, quia ratione, vt audiuimus, confirmatæ sunt euidenti. Quæ verò in contrariũ adduxit Alexandrinus, speciosa quidẽ satis sunt, primáq. fronte vrgere valde videntur: introspecta tamen diligentiùs euanescũt protinus, opinionémq. cõmunem magis cõfirmãt. Sumere ab eo initiũ placet, quod de veneno in peste non existente ille adstruxit, quod quidẽ accipimus vt verissimũ, verúmq. ac propriè venenũ pesti, quæuis illa fuerit, minimè inesse firmiter credimus: quia tamen celerrimè occidit eius putredo, nullíq. parcere videtur, venenorũ in morẽ tantæ ob id efficaciæ ac facultatis esse dicimus, vt cõmunia putredinẽ euincentia auxilia superet & irrita faciat, & propterea fortiori egere remedio, quod tãtæ illius virulẽtiæ aduersari pos-

sit. Qua itaq. ratione theriaca venenis pestē in efficacia superātibus aduersatur: eadē & excellenti pestis putredini aduersabitur. Sanè verò febris ipsius à putredine in peste excitatę rationē habendā esse rectè cū Galeno statutū fuisse dicimus: ita vt medicamentis putredini aduersantibus nō augeatur illa. Duo tamen hac in re animaduertere conuenit ex eodē Galeno desumpta: pusillā imprimis esse quandoq. cū putredine febre, quę ferè paruipendatur: quandoq. deinde præstare febrem quadantenus auxilisse, causámque mortē celerrimè adducentē eiecisse. Aliquando quidē ardentis febris vestigia in febre conspici Aetius, Paulus & Oribasius affirmarunt, nōn autē semper. Si æstuosius fuerit æger, inquiūt illi, & flāma vsq. ad pectus ascenderit, nō fuerit alienū frigefacientia pectori adhibere & frigidæ potum dare: quo in casu nos quoq. theriacæ vsum dicimus non esse admittendū: nā & Galenus de peste affectis æstuantibus interneque magno incēdio flagrātibus verba faciēs, primo in 6. Epidem. com. 29. idem scripsit. Persępe etiam pusillam esse febrem hāc aut etiam eiusmodi, quæ si paulò augeatur, æger propterea in maius vitæ discrimen non deducitur, certum est. Habuit tamen quod obiiceret Alexandrinus, non esse quidem ex calore vehemētes febres pestilentes externè: vigere autē internè. At vigere internè perpetuò putredinis vim verissimū est, imò & necessarium id esse dicimus: calorem autē insignem, non item. In humoribus crassioribus succensam putredinem, quāquā excellentem, multū calorem non excitare, rerum externarum exemplo dignoscere

ſcere potuit vir eruditiſſimus. Peſtem ſine febre dari, nos quoq. liberè affirmare nõ audemus: eos verò quos peſte affectos in corporis ſuperficie tãtùm putredinis inſignia habere dixit Hippocrates, nõ eſſe verè peſte affectos, vt ille affirmat, certè non auſim dicere. Dicendũ potiùs eſt putredinis veſtigia interne eſſe interdũ pauca, quæ à forti virtute quàm celerrimè ad partes externas detruduntur, & febrem faciant puſillam: quibus theriacæ vſum interdici affirmare ille cùm non auderet, ad id potiùs confugit, vt eos minimè peſte affici dixerit, ſecus ac ipſe enũtiauerit Hippocrates: quaſi quidem, quemadmodum gradus multi putredinis ſunt, ita & in quantitate eiuſdem iidem eſſe non poſſint. Nunc ad putredinem veniamus, quæ ſi iam cordis corpus occupauerit, neque theriacam, neque aliud medicamentum ex vſu eſſe rectè ab eo cum Galeno ſtatutum fuiſſe intelligo. Vbi verò cordis humores tantùm illa occupauerit, licèt valdè exiccantia & quàm ocyſſimè id facientia requirantur: locum tamen vbi illa eſt, cor ſcilicet, tam vehementem & acrem remediorum vim ferre nõ poſſe aſſerit, quin auctis ab ipſa theriaca calore & ſiccitate exuratur ferè totum, & mors cita eueniat. Ego imprimis aduerſus hæc illud adduxerim, cùm tantæ efficaciæ fuerit putredo quæ valentioribus, vt diximus, egeat auxiliis: contemnat autem minùs valentia, his non adhibitis quæ quàm celerrimè eis aduerſentur, certam mortem expectandam eſſe. Concedo itaque cor ipſum in peſte affectis exiccatione non egere vehementi, minúſq. etiam excalefactione: ſi tamen

eius humores excellenti adeò putredine affecti ab his quæ etiam valentiùs exiccant quàm celerrimè corrigantur, illius è vestigio impeditur exiccatio. Neque est vt medicamenti breui tempore administrati (celerrimè enim quod hoc in casu desideramus præstat theriaca) in morbo præsertim breuissimo exiccationem hanc tantopere vereamur. Hæc licèt cordis corpus paulò plus exiccare apta sit: putredine tamen ocyssimè euicta vita seruatur, & iuuamentum nocumento maius est. Periclitandum esse nobis in hisce extremis morbis Galenus & alij omnes vbique suadent: præcipitantérque quodammodo in peste affectis esse administranda remedia Celsus consulebat. Non in réferendis ex arte exemplis frustra tempus conterere opus est, quibus aliquid interdum nocumenti inferendum esse docemur, vt multò plus iuuemus, cùm sit res cuique manifesta. Dicendum potiùs non ob id tantùm quia exiccet theriacam huic pestiferæ putredini resistere: sed etiam per occultam quandã suam facultatem, causas omnes nostro corpori inimicas euincentem, ex eius cõpositione resultantẽ, quę in aliis exiccãtib. medicamentis minimè reperitur. Quòd verò ad cordis calorẽ attinet, quis negat eum minimè esse augendum? Est tamẽ pusillus interim, putrescẽtibus videlicet frigidioribus humoribus, vt vix ab excalefaciẽte medicamẽto augeatur: & vbi illum quadãtenus augere necessitas cogat, pfectò euicta putredine, mortéq. impendente, pcul repulsa, magno cũ fœnore damnũ illud resarcitur. Porrò eiusmodi frigidiores humores, cordis etiã calorẽ attemperantes

perantes, in peste affectis nonnunquam reperiri, qui pulsum sanis ferè similem efficiant, Galenus ipse author est in lib. 3. de præsag. ex Pulsib. cap. 4. Sed ad quid hecticam pestilentem tantopere vereri par est, quando putrescentis tantùm aeris soboles quædam esse illa videatur, aut saltem peste ab aliis causis exorta tantus huius hecticæ timor non adsit? Sanè verò certum hoc est, cùm in his tantæ efficaciæ putredo non sit. Quinimò in ea quæ ob malos cibos succenditur peste, prauis humoribus referto corpore, quemadmodum Galenus docet in lib. de cibis boni & mali succi cap. primo, solam in cordis humoribus putredinem adesse non dixeris, neq. ideò huius hecticæ periculum euidens adeò esse: quapropter & tutior omnino tunc erit vsus theriacæ. Nolo tamen pertinax esse adeò, vt minùs exiccanti simúlque refrigeranti medicamento pestis putredinem ex æquo euincere valenti, theriacam velim anteponendam. In eo laboro vt ostendam, posse quoque conuenire theriacam. Et quidem consideranti mihi medicamenta omnia pestis virulentiæ aduersantia, nullum theriacæ anteire posse, pauca illi æquiparari debere inuenio. Sed nec illud reticendum est, refrigerantibus quibusdam medicamentis theriacæ mixtis posse nos eius excalefactioni occurrere: quod quidem Galenum & alios antiquos medicos nos docuisse postmodū ostendemus. Quòd dixerit autem vir iste laudatissimus, in ea peste quæ aeris putredinem non habet causam efficientem nullas adesse obstructiones, id quidē apud nos valdè dubium est. Vtcunque autem res

verè se habeat, & quæ sine obstructione excitata putredo est, euinci postulat & corrigi: neq. obstructionum absentia theriacæ vsum ostendit superfluum. At quoties aliæ causæ pestis obstructiones fecerint, has à theriaca referari posse dicimus. Quã uis verò alio minùs valido auxilio possent aperiri: valentiora tamen expostulat excellens adeò pũtredo auxilia. Quapropter quocunq. rem istam vertere libuerit, theriacam aduersus pestem omnem optimum esse auxilium, res est, vt ego sentio, certa prorsus & euidens.

PESTILENTES FEBRES THERIACAE VSVM QVATENUS admittant.

Caput Trigesimum.

EX hac porrò mira atq. efficaci aduersus pestẽ theriacæ facultate maximã video inter recentiores medicos exortam controuersiã, de eiusdem contra pestilentes dictas febres virtute: asserentibus multis posse illam harum febriũ malignitatem infringere: aliis hoc ipsum absolutè negantibus. Cõtrouersiæ occasionẽ inde enatam esse censeo, quia multa inter has febres & pestẽ ipsam esse videatur conuenientia. Plura sunt à plerisq. hinc inde pro sua opinione sustinenda in mediũ adducta: vt viri doctissimi & nominis qdẽ magni, Vincẽtius Calrauella, Iosephus Valdanius, Alexander Massaria, & Hercules Saxonia de re huiusmodi inter se decertan-

certantes integra ediderint volumina, re ipſa, vt ego ſentio, ad plenū omnino pertractata: ita vt ſuperfluū prorſus eſſe videatur rem actā agere velle. Pro eo tamen quod præſenti loco à nobis exquiritur rem eandē breuiſſimè perſtringemus, his imprimis ſine mora aſſentiētes, qui theriacę vſum in his febribus recuſant. Hoc nos non ea ratione aſſerimus, quòd inconueniens ſit medicamētum, nullâſq. aduerſus febres huiuſmodi vires habeat: (habere enim eas validas certū eſt) ſed propterea quòd tuti vſus minimè ſit. Febrium autē peſtilentiū nomine aut eas intelligimus quæ verè & propriè ſunt peſtilētes: aut eas quæ impropriè, ſiue, vt dicūt, abuſiuè tales dicūtur. Proprias peſtilētes febres eas eſſe dico, quæ peſtē ipſā inſequūtur, peſtis potiùs nomine appellandas: improprias illas, quæ citra peſtem ſuccēduntur, à quodā putredinis excellentiore gradu excitatæ, cuius occaſione ad ipſius peſtis naturā accedere quadantenus videtur, dicuntúrq. propterea peſtilentes. Huius harū febriū diſtinctionis author eſt Galenus, primo in 6. Epidem, com. 29. his verbis: In ſermone cū huic voci, penphingodes, hęc, terribiles, adiecta ſit, ſola peſtilens febris denotatur, cuius ab aliis calor per putredinis excellentiā differt: ſicuti in hac noſtræ tempeſtatis longiſſima peſtilentia viſum eſt. Atq. idcirco neque calidi & perurentes qui peſte laborabant, tangentibus videbantur, quemadmodū & Thucydides aiebat: quibus verbis febrē peſtilentē appellaſſe Galenū eam conſtat, quæ peſti ipſi adiicitur, éſtq. peſtis ipſamet: qua eadem ſignificatione vſum cum fuiſſe certum eſt, cùm libr. 5.

de præſag.ex pulſib.cap.4.tum lib. primo de dif-
fer.feb.cap.4.& lib.de the.ad Piſon.cap.16.Cùm
verò 3.in 3.Epidem.com.57.hæc habuit: Et peſtis
quoque illa longiſſima,quæ noſtra ætate vulgata
eſt,ex iis quæ per aluum vacuantur omnes propè
peremit. Quæ euacuabantur, erat colliquatio:
quòd quidem eſſe ſymptoma videtur in perpe-
tuum febris quam peſtilentem priuatim vocitāt,
cùm mortales vel citra peſtem corripiat: febrem
aliquam peſtilentem, quæ peſtis non eſt, inueniri
docemur.Hanc eam febrem eſſe puto,quam ma-
li moris appellauit Galenus idem : quæ non niſi
ad peſtilentes reduci poſſe videatur,ſi præſertim i-
pſius vocabuli vim ponderemus. Quia itaque
ſymptomata quædam habent hæ febres cum pe-
ſte communia,occidúntq.pariter,licèt non vſque
adeò,dicuntur propterea peſtilentes. Febres ea
propter illas,quæ exanthematum in cute extube-
rantiam habent , ob id à recentioribus vocatas
fuiſſe peſtilentes exiſtimo , quia in eis ad partes
externas detruduntur humores, vt in peſte: colli-
quationes ſæpe habent , & multoties occidunt.
Itaque ſi quæ propriè & verè peſtilentes ſunt per
putredinis excellentiam quandam ab aliis diffe-
rāt, vt proximo præcedēti capite ex Galeno didi-
cimus: profectò & has,licèt impropriè ſint peſti-
lētes,quia cū peſte quidpiam cōmune habent, ab
aliis per quendā putredinis gradum maiorem dif-
ferre dicendum eſt.Qua igitur ratione peſtis pu-
tredinem euincere apta eſt theriaca,eadem & ha-
rum febrium putredinem euincet,& faciliùs.Sunt
enim eædem vtriuſque putredinis euincendæ in-
dica-

dicationes sola maioris minorisque differentia diuersæ: vt vel ex hoc vno argumento impropriè dictis febribus pestilentibus theriacam cõuenire, dici debere videatur. Profectò eiusmodi argumenti genus magni omnino momenti est, rei ipsius natura illud idem confirmante. Ob id autem quia minimè tutus eius sit vsus, illam propterea haud conuenire affirmamus. Sæpe ac sæpius in medicina faciunda videre est, quod morbi natura & causa indicant auxilium, hoc idem minimè tutum esse. Rei huius ratio ex his quæ de peste diximus petenda est. Quanquam enim pesti febrem adiici cõtingat, ipsaque insignis exiccatio parum tuta esse videatur: quia tamen deleteriam prorsus vim habet eius putredo, potentissima ideò requirit auxilia, & præsentaneum postulat subsidiũ: theriacámque ideò in ea conuenire ostendimus. In istis verò febribus, licèt magnarum virium sit earum putredo, & illa quidem excellens, cùm tamen mitior multò sit: medicamentis propterea leuioribus & consequenter etiam tutioribus potest euinci. Non est in corde excitata harum febrium putredo, sed in maioribus dictis vasis illi propinquis, & propterea maiores dat inducias. Multa sunt refrigerantia exiccantiáq. mediocriter medicamenta, quæ putredinem istam posse euincere & ratio docuit & experientia confirmauit: vt propterea temerarium esset fortiori non requisito minúsque necessario, vti auxilio quadãtenus vltro lædente. Lædet porrò theriaca plus quàm par sit exiccando, earúmque febrium quæ vt plurimùm calidissimæ sunt calorem augendo.

Sed quid pluribus vtor in ea re, quæ ab aliis plenè perfectéque est determinata?

ELEPHANTIASIN QVOMODO SANET THERIACA.

Caput Trigesimum primum.

MORBVM, quem Græci pariter ac Latini Græcos imitati Elephātiasin nominant, ab ipsa theriaca sanari posse, eius productrix causa notum facit. Totius corporis cancrum esse hunc morbum docet Actuarius lib. 2. suæ meth. med. cap. 11. à nigra bile suum ducentē cōstitutionis initium, Galeno idem asserente lib. 3. de cau. sympt. cap. 2. & lib. 2. de crisib. cap. 12. Et is quidem succus totum corpus occupare ab iisdem dicitur, quando & in vniuerso corpore cancrosos tumores in hoc morbo extuberare contingat, ita vt figuram naturalem eum immutare dixerit Galenus lib. de cau. morb. cap. 7. Quo itaq. nomine hoc morbo affectis prosit theriaca, ex his quæ de eius vi ad melancholicum humorem absumendum antea dicta sunt liquidò cōstat. Verùm eo quoque nomine his prodest, quia, vt inquit Aetius, corruptionem corporis fieri prohibet: confirmatis scilicet viscerum internorum viribus, caloréque natiuo firmato. Quotiescunque enim cōfirmatus fuerit morbus, omnem medicamentorum vim tanquam nihil conferentem respuere, séque prorsus insanabilem præstare, viri iidem proximè adducti animaduerterunt.

terunt. Galenus proinde in lib.de sub fig.empirica cap.3.multis priùs experimentis cōmotus, Deique tandem monitu confirmatus, certam se concepisse spem testatus est sanandi elephantiasim, medicina è viperis confecta quam theriacam vocāt, saléque theriaco dicto:quinque historiis ibidem priùs enumeratis, quibus viperas elephantiasi oppressis succurrere deprehenderat. Scripsit & alias hoc idem confirmantes historias lib. II. de simpl.med.facult.cap.de carne viperæ. Atque his quidem historiis eò maiorem fidem nos adhibere conuenit, quando alias prorsus verisimiles Galeni placita confirmantes Aretæus Cappadox lib. 2.de cau. & signis diuturn. morb. cap.vltimo descripserit. Viperas esse eas quæ malignissimū hunc morbum euincunt, historiæ illæ omnes docent, quemadmodum cuique eas legenti notum fiet. Id facere viperas loco scripto Galenus asseruit, quia per halitum ægritudo ab eis discutiatur. Viperinorum itaque pastillorū multam portionem theriacæ inesse, eius à nobis declarata in priori libro compositio manifestum facit. Quò verò magis medicamenti huius aduersus calamitosum hunc morbum elucescat efficacia, quæ de iisdem morbo & medicamento, lib.2.ad Glauc.cap.10. Galenus scripsit placet hic adscribere: Sed, inquit, iis qui elephantiasim patiuntur in viperarum esu est mirabile auxilium: Paucísque interpositis lineis hæc subdit: Ipsum etiam medicamentum confectum ex viperis, quod theriacam appellant, optimum est ad potandum iis qui huiusmodi morbo laborant, vel etiam sicui libuerit ad cutem obli-

mendam: ex quo maior quoque hoc in opere ostenditur theriacæ efficacia. Laudarũt viperarum esum, salem theriacum & theriacam ipsam in cura Elephantiasis Aetius, tetrab. 4. serm. 1. cap. 123. Aretæus lib. 2. de curat. diut. morb. cap. 13. Oribasius lib. 6. Synop. cap. 51. & lib. 3. de morb. curat. cap. 62. Auicenna lib. 5. sum. & tract. primo cap. 3. & Haly Abbas libr. 10. pract. cap. 5. Ex hoc verò quòd Elephantiasi ipsi miro quodam modo aduersetur theriaca, lepræ quoque, Morphææ, cæterísque affectibus cutaneis ex succo melancholico productis eandem aduersari collegerũt Auicenna & Haly locis proximè scriptis, Auerroésque lib. de ther. cap. 1. Atque hi sunt illi morbi, quos ad theriacæ vim vltro patefaciendam in exemplum adduxerunt antiqui Medici: non quidem quia his solis eam aduersari existimauerint: sed vt his tanquam norma quadam vtentes, quibus aliis occurrat illa, facillimè intelligere possemus. Eorũ nanque memores quæ in lib. de vsu ther. ad Pamphil. scripta sunt, ad longè plures morbos euincendos valere theriacam fatebimur protinus: Vt paucis, inquit ille, multa colligam, in quibus alia remedia vi morbi superata nihil contulerint, in his theriaca exhibita præter omnem expectationem egregiè operatur. Quamobrem & cholericis quibus iam vox intercepta erat, & Cardiacis præ dolore ventriculi deficientibus exhibita, tanquam ad vitam eos reuocauit. Cæterùm omnia verbis consequi non possum, nec si possem deceret, cùm ex his quæ hactenus recensita sunt deducta vsus ratione fœliciter vti theriaca quisque possit in aliis

etiam

etiam morbis qui ſuperſunt. Quantum item à recta via ij recedant, qui ſuperfluum hoc tempore vſum theriacæ conſtituunt, ex his conſtat manifeſtè.

QVIBVS HOMINIBVS DANDA SIT THERIACA.

Caput Trigeſimumſecundum.

QVANQVAM tot morbis occurrat theriaca, & in iis profligandis miræ cuiuſdam ſit efficaciæ, propter tamẽ hanc eandem eius inſignem vim neque omnibus hominibus, neque omni tempore, modo & quantitate eam conuenire admonemur. De illius ideò recto vſu differentibus hæc quoque omnia & ſingula probè determinare expedit. Quòd enim omnibus hominibus non conueniat theriaca, eius temperamentum in cauſa eſſe videtur, quod multæ caliditatis cùm ſit & vehementis ſiccitatis, iis qui temperamento ſunt calido & ſicco videtur nocua futura theriaca, febríſque, inflammationis, alicuiúſve calidioris ſicciorísque morbi periculum ex eius adminiſtratione impendet ferè certum. Certius id quidem, quò calidius ſicciúſque eſſe contigerit theriacam aſſumentis hominis temperamentũ, & longior medicamenti vſus. Quin etiam in his qui calidas inhabitant regiones, ſiue quia temperamento calido eos eſſe ferè neceſſe ſit, ſiue etiam ex Regionis caliditate id corporibus eueniat, quod ex calido tempera-

mento :inconueniens propterea esse videtur eiusdem medicamenti vsus. Sanè verò ratio quoque ipsa hoc ipsum suadere videtur vel maximè, quãdo distemperantias omnes à similibus lædi à Galeno tanquam axioma quoddam constitutum sit in Arte medicinali. Quapropter hac ille vsus regula, in lib. de ther. ad Pison. cap. 17. calido & sicco temperamento præditis calidásque regiones habitantibus theriacæ vsum interdixit. Hunc secuti sunt Aetius tetrab. 4. serm. primo cap. 96. Actuarius lib. 5. suæ meth. med. cap. 6. Auerroes in lib. de ther. cap. primo, & Auicenna lib. de viribus cordis tract. 2. cap. 4. Quapropter cùm mediæ ætatis homines iuuenésque pariter, si ad alias ætates conferantur, calidiores vsquequaque esse dicantur ; iis propterea etiam theriacæ vsus ab iisdem interdictus fuisse videtur. At pueris pariter interdictam ab eisdem fuisse theriacam constat: non quidem propter in eis abundantem natiuum calorem, acri eo caliditatis gradu qui in iuuenibus viget non refertum, & cum multo humido iunctum : sed quoniam, vt proximè scripto loco Galenus docet, ipsius medicamenti magnitudo puerorum vires plurimùm excedit. Nam & puerile corpus facilè dissoluit, & complantatum spiritum celeriter extinguit, non aliter atque lucernę flammã plus quàm conueniat infusum oleum. Et quò magis ad id obseruandum quisque suaderetur, pueri ab intempestiuo theriacæ vsu soluti & mortui historiam ibidem adiecit. E cõtra quibus ætas in senium iam vergit cessante calore, tutum vndique esse existimarunt viri recitati medicamen-

camentum. Equidem ſunt hæc huiuſmodi, vt debeant à quoque accipi & obſeruari. Habemus tamen quæ aliter ſuadere videantur,& horum medicorum ſententiam nolint à nobis abſolutè eſſe amplectendam. Pueris, iuuenibus, hiſque qui in vigore ætatis ſunt theriacam ſi interdixeris, ſolis ſenibus eam prodeſſe dices. Hoc imprimis non aſſeruerũnt Andromachus & Damocrates. Sunt deinde biliosi ſenes aliqui, iuuenibus pituitoſis longè calidiores. Neque Hippocratem dicentem cuilibet quemlibet morbum accidere poſſe, & quoſlibet in quibuſcunque temporibus morbos fieri, in alium ſenſum accipi poſſe ſentio, quàm quòd cuicunque ætati temperamentum quoduis euenire poteſt,ad quoſcunque morbos ineundos aptum. Quare etſi in iuuenibus ipſis, reſpectu ad alias ætates habito,dicatur quidem plus ineſſe caliditatis & ſiccitatis: aliquis tamen ſua natura frigidus & humidus minus caliditatis habebit ſene ſua natura calido & ſicco. Adde aliquem iuuenẽ morbi cauſa frigefieri potuiſſe adeò,vt ſene validiore minùs caliditatis habeat. Propterea quoſdã reperiri iuuenes & ætate vigentes homines hæc ſuadent,in quibus tanta nõ adſit caliditas ſiccitati iuncta,quæ theriacæ vſum renuat. Sed fac ſenem ætate vigentem, iuuenem: fac ſi lubet & puerum venenum ſumpſiſſe, aut ſic ferente caſu ab aliquo venenato animali ictum fuiſſe: ánne horum alicui propter caliditatem & ſiccitatem theriacã interdicemus? Memineris eorum,quæſo,quæ de vſu theriacæ in peſte determinata ſunt, quæ eadẽ in hunc locum ſi retuleris, tanta vrgente vitæ fu-

gientis retinendæ necessitate cuique ætati, temperamento, & Regioni theriacam conuenire dixeris, & iuuamentum lõgè maius nocumento futurum. Dabo theriacam calidos homines sic affectos nimio plus excalefacere posse: dabo item eandem eisdem quomodocunque aliter obesse posse. Dicam solùm eos cito morituros, nisi potentissimo Alexipharmaco, quale est theriaca, fugiens eorum vita retineatur. Magno profectò cũ fœnore sustinebitur læsio huiusmodi, cui deinde nõ multo negotio occurrere poterit diligens prudénsque Medicus. A vipera horum aliquem commorsum fuisse effingas. Huic morsui vnã occurrere theriacam sæpius hucusque audiuimus: ánne fortè in hoc casu ætatis aut temperamenti ratio erit habenda? Sed & eo argumento id persuademur magis, quòd recentiori theriaca aduersus venena & venenatorum animalium morsus vtendũ nobis est, in qua quidem minus caliditatis inesse didicimus. Morbos frigidos humidósque, quibus theriacam occurrere proximè docebamur, iuuenes & ætate vigentes corripere posse vsque adeò constat, vt pluribus non debeat demonstrari. Horum igitur naturalis caliditas si morbi euentum prohibere non potuit, neque etiam à medicamẽti caliditate augebitur nimis. Si verò vnius caliditatis occasione ætates quasdam suspectas habet theriaca: cùm hæc perpetuò non excalefaciat, perpetuam quoque in his ætatibus & temperamentis non habebit interdictionem. Recentem theriacam frigefacere, adeò vt obstupefaciat, iam ostensum est. Tantùm igitur abest vt calidis naturis & æta-

& ætatibus ſit hæc nocitura theriaca,vt potiùs ſuperfluam caliditatem ſit attemperatura. Quin etiam obſtupefacientium medicamentorum vſus id poſtulat, vt maxima vbique præcedat eorum neceſſitas, qua præſente, ſi Galeno de eorum vſu diſſerenti credimus, nocumenti quidpiam paruipendit Medicus, dummodò iuuamenti multum ſibi promittat. Neque etiam abſolutè adeò ſenibus videtur cōuenire theriaca, qui in vltimo tandem ſenio conſtituti minimum caloris habent: quippe quem longè faciliùs diſſolui & extingui à calore theriacæ perſuademur, quàm in pueris calore natiuo abundantibus. Refrigerantem verò theriacam eos minùs ferre poſſe nobis videtur,ne fortè calor eorum puſillus è veſtigio extinguatur. Nullū ſenem vires habere integras Galenus libr. 11.meth.med.cap.8. & ob id ad frigidæ potum ſenes omnes ineptos aſſerebat. At eadē ratione ad medicamētum hoc,ſiue excalefaciens, ſiue refrigerās fuerit, inepti dicētur. Per hęc itaq; admonemur, moderatione aliqua egere quæ ab initio de his quibus non conuenit theriaca propoſita fuere, & hominibus calido temperamento præditis in ætatéque puerili, iuuenili & vigente conſtitutis theriacam quandoque maxima cum vtilitate offerri poſſe. Hoc ſine dubio conſiderantes recitati Magiſtri noſtri, iiſmet locis ab initio adductis, ſi quæ ſcripſerunt diligentiùs attendantur, idem omnino ſtatuerunt. Galeni verba hæc ſunt:qui media ſunt ætate,& qui naturalem temperaturā calidam admodum habent, neque multoties, neque multum theriacæ accipient: cùm verò de inter-

dicenda pueris theriaca locutus eſt, idem quoque ſenſit, & de hac re longiorem in controuerſiis habuimus orationem. Aetij verba eadem ſunt prorſus cum his quæ ſcripſit Galenus, & propterea eodem modo intelligenda. Actuarij autem ſermo fuit huiuſmodi: In ætatis vigore aut nimio calore, haudquaquam niſi periculum euidens metuatur, danda eſt theriaca. Sic & Auicenna calidis & ſiccis regionibus ac temperamentis theriacam abſolutè non interdixit, quia neceſſitate vrgente illã concedit. Eadem eſto de ſenibus determinatio, vt imprimis non de vltimo ſenio ſint antiquorum ſcripta interpretanda. Et in hoc quoque ſi neceſſitas vrgeat maxima, qua conuenit animaduerſione vti poterimus. Hæc itaque rectè omnia. Ad maiorem tamen præſentis rei declarationem, vtque quibus conueniat theriaca planiùs determinemus: grauidíſne mulieribus tutò exhiberi poſſit hæc Antidotus, conſideratione digna res nobis viſa eſt. Amariſſima enim pleraque medicamenta cùm contineat theriaca, minimè tutò grauidis offerri poſſe videtur. Enecant enim quæ amara ſunt fœtum, Galeno monitore libro 8. de ſimplic. med. facult. cap. de cucumere agreſti. In eadem Antidoto quædam ſunt quæ peculiari vi ſua fœtum perdunt, eundem mortuum detrudunt, & abortum perpetuò faciunt: caſtoreum ſcilicet, Euphorbiũ, Myrrha, Ariſtolochia, Thlaſpi & Dictamnũ. Iam & eandem retentos menſes mouere proximè didicimus. Fœtũ euellere vehementer calefacientia medicamenta thymi exẽplo Galenus admonuit lib. 6. de ſimpl. med. facul. cap.

de

de thymo: theriacam verò magis excalefacere ac faciat thymus certum eſt. Theriacam tandem ipſam fœtum eiicere eius qui librum de vſu ther. ad Pamphil. ſcripſit fuit opinio. Quibus nominibus grauidis mulieribus minimè tutò exhiberi poſſe theriacam conſtat. Sanè verò hæc vera eſſe exiſtimo omnia, atq; adeò firma, vt nullo queant infringi argumento. Sunt quidem qui exiſtiment non ita verendum eſſe vſum theriacæ in grauidis, quoniam etſi Caſtoreum habeat & alia multa amara, nõ officiet tamen multùm, quoniam à contrariis retunduntur eorum vires: imò ex ea miſtione ſymmetrum quid tale producitur, quod aptum eſt calorem noſtrum fouere & augere: neq. amaritudo tanta eſt, vt fœtum perdere poſſit: melle enim & vino dulci temperatur, paruáque illius quantitas datur, cuius amaritudo antequam ad fœtum perueniat omnino erit diſſipata. Horũ tamen tuta parũ nobis videtur opinio. Nã licèt retundãtur inter ſe medicamentorũ theriacã ingredientium vires, reſultat tamen ex hac cõpoſitione medicametum, vt audiuimus, valdè attenuans, cuius vſus in grauidis eſt omni ex parte periculoſus: neque tamen hac ratione nocere nequit, quãuis calorem noſtrum foueat, quia ſic in omnibus abſolutè conueniret. Amaritudo verò medicamẽtorum, licèt à melle & vino dulci temperetur, indéque compoſitio guſtui minùs ingrata euadit: remanet tamẽ amaritudo in medicamẽtis tanquã in propria ſubſtãtia, neque verè minuitur: neque in parua quantitate fidendũ, cùm præſertim longus eius vſus futurus eſt. Vtcũque autem ſit, quæ à

nobis adducta sunt, tutius esse ab ea in grauidis abstinere nobis insinuant. Imò vrgent ea tantopere, vt veneni quoque causa non sine maxima animaduersione possit theriaca rectum in vsum in grauidis venire. Quibus itaque hominibus conueniat theriaca, ex his satis manifestum esse puto.

QVO TEMPORE EXHIBENDA SIT THERIACA.

Caput Trigesimumtertium.

EIVSDEM quoque medicamenti vis insignis & admiranda impedit quo minus anni, diei, morbi, eiúsve accessionum quouis tempore tutò exhiberi possit. Quo enim anni tempore aeris constitutio calida est, vt in æstate, calefieri adhuc magis corpus à theriaca periculosum esse Galenus censuit in lib. de theriac. ad Pison. cap. 17. ea adductâ Hippocratis sentẽtia, qua Sub Cane & ante Canẽ difficiles esse purgationes admonuit 4. aphoris. sect. aphor. 5. nimirum quia anni pars ea febrem vt plurimùm hominibus afferat. Si tamen quæ de calidis hominibus & de calida regione, quæ item de vsu theriacæ in peste, & de eius temperamento dicta sunt, memoria repetantur, æstatis tempore theriacæ vsum non omnino nobis interdici intelligemus. Recens nanque theriaca cùm refrigeret, æstatis calorem insignem corporibus cõmunicatum non augebit modò, sed retundet potiùs. Hæc veneni causa in vsum venire magis debet: necessi-

necessitatéque vrgente cuiuscunq. ætatis theriaca erit administranda, cœlíque temperies non adeò timenda. In aliis morbis veneno carentibus vtilitatem & noxam dimetiri expediet, & quod magis proficuum futurum esse ratio suadebit amplectendum erit. Quod idem de theriaca præseruationis causa in vsum deducta dicendum nobis videtur. Nec Galeni adducta authoritas, quæ & ipsa etiam de præseruatione est intelligenda, strictè adeò accipienda est, quin aliquam habeat in extremis necessitatibus limitationem. Quis est deinde qui dicat totius æstatis caliditatem eam esse, quæ calidorum medicamentorũ vsum prorsus prohibeat Etenim in recitato aphorismo ipse Hippocrates eam tantùm æstatis partem excepit, quæ sub Caniculæ exortu & paulò antè cõtingit, quasi aliarum eius partium caliditatem tantopere non vrgere existimauerit. Nec eo ipso Caniculæ tempore purgationes prorsus interdixit Hippocrates, quanquam eas difficiles esse nos admonuerit. Sunt difficiles, inquit in com. Galenus, quia complures purgati hoc tempore in febres incidunt: Igitur non omnes. Cæterùm nec æstas vt æstas, nec Canis ortus vt hic vel ille, purgationes faciunt difficiles: sed quia his temporibus caliditas aeris corpora deflagrat, humorésque foras trahit, secus ac faciat purgans medicamentum. Neque tamen perpetuum est, in nostra præsertim regione, vt Canis tẽpore exurant Sirij calores, cùm interdum hæc æstatis pars aliis sit mitior. Adde & ipsam theriacam humores ad partes externas detrudere & aeris caliditatem in hoc imitari. Hæc

considerans, opinor, Aetius minimè absolutè locutus est: sed restrictiùs: In æstate, dixit, in totum non danda theriaca: Locus in quo hæc leguntur est cap. 96. serm. primi tetrab. 4. In hyeme nullam constituerunt antiqui medici in vsu theriacæ difficultatem: quasi eo tempore tutum vnde quaq. esse eius vsum cognouerint: quibus quidem non repugno. Illud tamen animaduersione dignum esse censeo, sicuti excalefaciens theriaca frigidis hisce temporibus tutioris omnino vsus esse videtur ita quoque cùm refrigerantem adhuc habet facultatem, minùs tuta: necessitate tamen vrgente maxima à prudenti medico ac perito posse & illam administrari. Porrò de aliis anni temporibus minimè locutos fuisse antiquos medicos arbitror, quia nullam habeant in huius medicamenti administratione difficultatem. De morbi autem tempore, in quo theriacam exhibere conueniat, ego sic distinguendum censeo: vt scilicet in his morbis quorum materialis causa coctione eget, vt in febribus putridis, aliisque omnibus morbis in quibus quomodocunque humorum coctio requiritur, non debeat illa exhiberi prius quàm probè concocta fuerit materia: at in morbis humorum tantummodò attenuationē absterfionémq. & incisionē postulantibus, post vniuersalem corporis expurgationem. Ante statum non esse exhibendam theriacam in quartana febre statuit Galenus lib. primo ad Glauc. cap. 11. Qui quidem ab intempestiuo illius vsu Eudemi quartanam conduplicari debere præcognouit, vt in lib. de Præcognit. ad Posthum.

Posthum.cap.2.idem scripsit. Aetius & ipse loco proximè citato tunc theriaca vtendum esse in quartana febre existimauit, cùm perfecta coctio apparet in vrinis. Actuarius ad id se restrinxit, vt post declinationem eam exhiberi voluerit. Sed ne aliter quidem faciendum nobis esse ratio ipsa suadet, cùm euacuet humores theriaca vel per vrinam, vel iis ad cutem detrusis, vel etiam eisdem insensibiliter absumptis: quas euacuationes non concocta priùs materia moliri res est apud medicum vnumquenque omni ex parte periculosa. Hac vna eadémque ratione in aliis morbis, coctionem huiusmodi non requirentibus, vniuerso corpori consulendum priùs est antequam exhibeatur theriaca, illúdque à communibus excrementis aut quacunque alia humorum superfluitate & multitudine ante expurgare, ne fortè theriaca exhibita hinc inde excrementa superfluique humores in diuersas corporis partes magno ægrotantis incommodo diducantur. Galenus ob id lib.5. de tuend.valetu.cap.6. de exhibenda senibus theriaca sermone instituto, dandam eam esse iussit, vbi post obstruentes cibos ea quæ obstructiones liberant ante hanc exhibueris: quod si, inquit, istiusmodi subducta aluus sit, postridie vtilissimè theriacen dederis. Particulariùs verò quando danda sit theriaca, & quo die, morbi accessiones, si quę sunt, ostendēt: earũ enim principium, augmentum & statũ euitare cõuenit, & declinatio eligẽda: quin & hęc quoq. omni studio euitanda est, si accessionum intermissiones

morbum habere contingit. Hæc illum approbaturum arbitror, qui vel mediocriter in his quæ ad medicinam rectè faciendam pertinent versatus fuerit, apúdq. Galenum legerit lib. de tot. morb. temporib cap. 4. cùm primùm sensui manifesta declinatio fiat, tunc conuenientibus vtendum esse præsidiis; quæ eiusdem fuit sententia in Introd. lib. cap. 14. In aliis morbis, quemadmodum & in sanis theriacam ad præseruationem sumentibus, matutinum tempus eligendum erit, ieiuno scilicet adhuc existente homine. Profectò singula hęc omnia à quocunque approbatum iri intelligo, quia ab ipso Galeno & aliis antiquis medicis de recto theriaces vsu differentibus fuerint priùs determinata. Ante accessionem dandam esse theriacam Paulus statuit, lib. 7 cap. 11. Duabus horis ante inuasionem in febre quartana theriacam se solitum exhibere Galenus affirmauit, in lib. de ther. ad Pison. cap. 15. quem est secutus Aetius, tetrab. 4. serm. primo, cap. 96. hicque idem theriacæ exhibendæ tempus commodum esse constituit, cùm probè concoxerit ipsam accepturus, ciborũ copia non oneratus ieiunúsque, quo sufficiens tẽporis interuallum superfit ad ipsius pharmaci cõcoctionẽ: idémque sensit Actuarius lib. suæ meth. med. cap. 6. sed & Auicenna lib. 5. sum. prima tract. primo cap 3. sumpto ab Hydrope exemplo, ante cibum iussit offerri theriacam. Qui lib. de vsu ther. ad Pamphil. scripsit, Principes viros Romæ, theriacam vt præseruarentur ebibentes; curato priùs leniter ventre circiter horam diei tertiam eam ebibere consueuisse scripsit. Eos aliàs primo

Lunæ

Lunæ die, aliàs quarto medicamentum ſumere ſolitos fuiſſe, eodem quidem loco ſcriptum eſt. Hoc ego ſuperſtitioni potiùs cuipiam tribuendum duco, quàm quòd rationem in ſe habeat, ac ne apparentem quidem. Andromachus & ipſe hæc huncin modum ſcripſit:

Sic commixta tibi vel claro mane bibatur,

Vel cum nox primam protulit orta facem.

Hęc ſanè omnia cum rectè obſeruare expedit, qui tempore conuenienti ſanis ægrotíſve theriacam eſt oblaturus. Hi tamen excipiendi ſunt, quos venenum ſumpſiſſe aut ab animali quopiam venenoſo ictos fuiſſe caſus tulerit: atque vnà cum his, qui peſte laborant, & qui obſtupefaciente egent auxilio: quibus ſtatim & quàm celerrimè auxiliũ afferri debere ratio imprimis ſuadet, deindę & Galenus ſuis conſiliis admonet. Si quis venenum ſumpſerit, aut à venenoſa fera ictus fuerit, non ob id tantùm Alexipharmaco ſtatim eget, vt quàm celerrimè veneni vis infringatur: ſed etiam vt ad ei reſiſtendum principes partes ocyſſimè muniantur: tantúmque periculi in ipſa mora conſtitutum video, vt vel horulæ momento ſæpiſſime deperdatur occaſio, in his venenis præcipuè quæ breuiſſimè occidunt. Eſto mihi eadem peſtis ratio, quæ veneni vires cùm æquet, celerrimum & ipſa aduerſus ſuum virus expoſtulat auxilium. Neque etiam qui ſenſuum obſtupefactione egent inducias dant longas, ne fortè viribus ſemel deperditis omnia poſtmodùm irrita euadant, ſed auxilium haud cunctanter poſtulant. Galenum eapropter matronæ illi Romanæ ſanguinem expuenti

cùm dormitura esset theriacam, opij viribus præpotentem ad somnum inducendum & incrassandum, exhibuisse constat lib. 5. meth. med. cap. 13. Scripsit ille idem in libr. primo de semine in cap. 16. minimam particulam humoris lethalium venenorum, quę deleteria appellantur, animalis corpus ingressam, totum id momento temporis immutare, sibique simili affectione alterare: nec secus fieri curationem, quæ per venenorum remedia & antidota exhibetur, Alexipharmaca dicta: quæ cõtraria lethalibus alteratione totum etiam ipsa corpus immutãt. Propter hæc itaque nullum vnquam occubuisse ille idem admonuit in lib. de ther. ad Pis. cap. 2. qui commorsus à feris quæ cõsueuerũt necare theriacam subitò sumpsisset. Ac si quis priùs ipsam bibat, indéque paulò pòst ab aliquo serpente feriatur, irritum esse venenum illud compertum fuisse eodem loco scripsit. Confirmat hoc idem factum in capitis damnatis periculum theriacæ aduersus venena, aut etiam in brutis: quibus si longo post assumptum venenum tempore exhiberetur Alexipharmacum, omnia dubio procul morerentur. Per hæc itaque necessitate tanta vrgente, mortéque imminente citissima, quàm celerrimè statim & sine mora, quocunque diei, anni morbi, aut accessionis tempore theriacam offerri debere admonemur.

QVAN-

QVANTVM THERIACÆ SIT OFFERENDVM.

Caput Trigesimumquartum.

MAGNI mehercule momenti rem aggredimur, quantitatis exhibendę theriacæ determinationem inquirentes. Nulla enim hac in re est determinata scientia, sed coniectura tantùm ad eam stabilendã est vtendum artificiosa: in qua ob id aliquando Medicos aberrare censuit Galenus 4. aphor. com. 12. quoniam conijcere artificiosè eius esse illemet dixit 2. de rat. vict. in acut. com. 37. qui vires omnium quæ in arte sunt didicerit, meminerit, seque in artis operibus diligenter exercuerit, paucósque tales existere. Nihil propterea artem medicam æquè in agendo coniecturalem efficere statuit lib. de cur. rat. per sang. mission. cap. 12. vti facit cuiúsque remedij quantitas: cibi, inquit, exhibendi qualitatem & horam frequenter scimus: quantum tamen dandum sit, certò haud nouimus. Laboranti pariter præbendum esse medicamentum hunc vel illum purgans humorem exactè nouimus: cæterùm quantum præberi debeat, nescimus. Súntque qui hac in re committantur errores inemendabiles, vt ibidem Galenus sensit, quia quod semel in ventre deuoratum est medicamentum quominus omne deuoratum sit fieri non potest, neque possibile est, vbi plus quàm cõueniat iam purgetur homo, partem oblati auferre. Quamuis autem theriaca inter purgantia medicamenta verè enumerãda non sit: propter tamen

eius insignes qualitates & in agendo efficaciam sub eorundem proximè recitata norma reponenda est. Excalefacit illa insigniter,& longè magis exiccat: vel etiam interdum refrigerantis adeò est facultatis, vt inter obstupefacientia enumeretur, quorum vtrunque modum si excesserit, noxas interdum facit immedicabiles. Sed& eò magis periculosa res hæc est, quòd sæpe in calidis morbis ea vtimur excalefaciente, difficiléque omnino est medium quidpiam quod omni ex parte tutum sit inuenire. Sæpéque etiam longioris cuiusdam vsus esse debet medicamentum huiusmodi, & crebra requiritur eiusdem reiteratio, vt si fortè fortuna in quantitate modum excesseris, grauiùs multò lædas. Est adhæc ex Alexipharmorũ genere theriaca, in qua quædam venenosa esse contingit, dicitúrque propterea esse media inter corpora perpetientia & medicamenta ipsa lædentia. Eapropter propemodum hæc omnia Alexeteria si largiùs sumpta fuerint, grauiter animãtis corpus oblædere,& ideò ea moderatione quantitatis omnes id genus facultates exhibendas esse Galenus censuit, lib.5.de simpl.med.facul.cap.18.vt neque copia nimia corpus offendant, neque exiguitate sua à deleteriis vincantur. Scio antiquos Medicos sua vbique vsos diligentia ad quandã theriacæ quantitatem sese restrinxisse, quæ, vt in pluribus conueniens ac tuta esse illis visa est, non est tamen lex hæc perpetua adeo, quin sæpe aucta aut diminuta ea quantitas non debeat euariari, ab eo scilicet Medico, qui coniectura vti sciuerit artificiosa. Etenim temperamentorum, ætatum, regionum, ægritudi-

ægritudinum, vitæ instituti & aliorum multorum diuersitatem artis opera omnia multipliciter euariare, res est Medico cuique cõperta satis. Quicquid autem fuerit quod quantitatem huiusmodi suadeat euariandam, tutius vbique fuerit, paulò infrà potiùs subsistere, & in quantitate ipsa ad id quod minus est, potiùs procedere, quàm ad id quod exuperat deuenire. Nempe quod plus est, inquit Galenus, noxas interdum facit inemendabiles: quod verò minus est, facilè emẽdatur. Quod iam oblatum est & deuoratum, id si nimio plus fuerit, quin deuoratum sit fieri haud põtest: sed in minore quantitate commissa errata eius auctione facillimè emendatur. Hæc exactiùs paulò persequi placuit eorũm occasione Medicorum, qui in administrãda theriaca faciles adeò sunt, vt ipsis quoque mulierculis illius quantitatem committant determinandam. Si tamen interdum audaces nos esse conuenit in quantitate theriacæ exhibenda: certè in venenis id faciendum nobis erit, quorum vis deleteria insignisque est quàm citissimè delenda. Nunc ea adducamus, quæ de huius medicamenti quantitate offerenda particulariùs ab antiquis Medicis constituta fuisse legimus. Neque omnibus hominibus, neque omnibus morbis eandem theriacæ mensuram conuenire existimarunt Aetius & Actuarius: hic lib. 5. suæ meth. med. cap. 6: ille tetrab. 4. serm. primo cap. 96. Morborum enim aliis alij calidiores frigidioresve, breuiores vel longiores, periculosiores & minùs periculosi sunt: exque hominibus ætatis, temperamenti, regionisque diuersitas quantitatem quoq.

theriacæ indicant diuersam. Maiorem quidem quantitatem ei homini conuenire certum est, qui morbo frigidiore, longo & periculosiore detinetur, quíque temperamento est frigido, in ætate iam prouecta, & in regione frigida: minorem è contra illi qui calidiore affectu, breuiore & magis tutò laborat, & qui temperamentum habuerit calidum, regionémque incoluerit calidam, & in iuuenili aut cõsistenti ætate fuerit cõstitutus. Quòd si veneni causa offerenda est theriaca maximi periculi vrgentis causa, in maiori quantitate ea requiritur. His itaque vti quisque poterit ad rectiùs determinandam in singulis offerendæ theriacæ quantitatem: vniuersaliter autem tantùm locutos fuisse antiquos Medicos dicendũ est, quia id particulariùs ab aliis determinãdum putauerint. Neque tamen vniuersalibus tantùm contentos illos fuisse inuenio, quin etiam ad aliqua non deuenerint particularia, ex quibus deinde de singulis quibusque determinare ad libitum quilibet posset. Andromachus quantitatem istam his carminibus determinauit;

Pondus erit quantum creuit faba quã Pater atro
Atque restagnanti flumine Nilus alit.

Est Nilus Ægypti fluuius ab Æthiopia fluens, & ad pondus ibi enascentis fabæ deuenit Andromachus; quod verò sit pondus istud, paulò infrà declarabimus. Damocrates ipse de hac quantitate sic statuit:

Huius Antidoti plus vna drachma dato
Quantum nux magna, sed parumper amplius.

Senibus plurimum theriacæ sæpiúsque dandum esse,

esse, illi iidem antiqui Medici eisdem locis constituerunt: vnius autem drachmæ pondus singula quaque vice offerẽdum determinauit Actuarius. His qui melancholia laborant, quia morbus eorum frigidus est, theriacam assiduè exhibendam esse iidem censuerũt, vt per hanc assiduitatem ex venis & vicinis partibus atram bilem velut exhauriat & cõsumat. Sanguinem verò expuentibus, tanquam satis periculoso morbo correptis, manè vesperique reiterandam esse medicamenti exhibitionem dixerunt, adusque fabę Ægyptiæ quantitatem, quam eandem quantitatem Galenus in vsum duxit, libr. 5. meth. med. cap. 13. in matrona illa Romana. Huius Ægyptiæ fabæ magnitudinẽ & quantitatem obolum & semissem pendere is censuit, qui librum de ponderibus & mensuris Galeno adscriptum composuit. Hoc eodem fabę Ægyptiæ pondere, plerisque aliis in morbis vtendum esse, apud Galenum, Paulum, & libri de vsu ther. ad Pamphil. authorem legere est: putà in tussi, thoracis doloribus, inflatis, torminosis, cœliacis, splenicis, hepaticis, nephriticis, dysentericis, & menstruorum retentione. In ventriculi autem inflatione, debilitate, vetusto intestinorum dolore, & in voluulo, tanquam hi sint morbi contumaces & rebelles & diuturni, quantitatem auxit Actuarius, nucísque Ponticę pondus eam ęquare debere constituit. Est autem quantitas hæc, Græcorum drachma. Hac eadem quãtitate in venenis infringendis, & venenorum animalium morsibus euincendis, vtendum nobis esse omnes ad vnum iusserũt. Quia tamen res maximè tũc vrget, quò ma-

ior Antidoti quantitas assumatur, bis in die propinandam esse theriacam Paulus statuit, veluti & in peste. Sic & Damocrates his carminibus rem determinauit:

Malè commorsis non sufficiet semel
Haurire: metu si quis absolui velit,
Necesse est Antidotum ingerat frequentius.

Et hæc eadem Auicennę fuit sententia, cùm in his affectibus à medio aureo ad vnum vsque procedendum esse statuit lib. 5. sum. & tract. primo cap. 3. Cæterùm & in aquæ pauore, tanquam in morbo maximè periculoso & contumaci, iugiter exhibendam esse theriacam suasit Actuarius. Sic & Galenus lib. de ther. ad Pison. cap. 14. podagricis eam frequenter iussit offerri. Quæ de quantitate theriacæ in singulis ferè morbis propinanda scripserunt Auicenna loco nunc scripto & Haly Abbas lib. 16. Pract. cap. 5. si quis attentiùs considerauerit, in idem cum Græcis Medicis eos conuenisse intelliget. Si quis autem præseruationis causa ipsa vtatur theriaca, quãtum temporis illi tribuatur ad Antidoti cõcoctionem iussit Galenus considerandum, lib. de ther. ad Pison. cap. 17. & quando modicum interuallum ad Antidoti cõcoctionem superfuerit, fabæ Ægyptiæ quantitatem non esse superandam voluit. Ad nucis verò auellanæ quantitatem accedendum suadet, cùm plus temporis conceditur, quò possit in corpus theriaca digeri. Hæc itaque tanquam in exemplum ad theriacæ quantitatem in quibuscunque morbis rectè determinandam sufficiant.

QVO-

QVOMODO IN VSVM VENIRE DEBEAT THERIACA.

Caput Trigesimumquintum.

NVNC tandem modum vsus ipsius theriacæ determinemus, qui quidem & ipse ad rectum eius vtendi modum pertinet. Id quidem multis argumentis liquet, sed eo potissimùm, quòd de modo ipsius theriacæ propinandæ longa oratione disseruerunt Galenus & alij antiqui Medici. Itaque si theriacę consistentiam spectes, paulò crassior illa est, quàm vt à se ipsa possit ebibi: est item eius tenuitatis aut etiam eum in modum liquida, vt nec per se possit deuorari. Si liquorē ei adieceris aliquem, potabilis euadet protinus: aliquid solidioris si eidem misceatur, deuorationi apta fiet. Quem igitur in modum propinanda sit, determinandum nobis est. Et quocūque ex his duobus modis illam parari posse determinauerimus, quónam medicamento siue arido siue liquido in aliquam ex recitatis formis reducēda sit, est vltrò vt aperiamus. Andromachus vnum tantùm theriacæ propinandæ modum determinasse visus est, hisce carminibus:

Ipse tribus cyathis, præscriptum dilue pondus
Antidoti, cyathis igne calentis aquæ.

Et Damocrates eandem semitam insecutus hæc scripsit:

Huius Antidoti plus vna drachma dato
Quantum nux magna, sed parumper amplius.
Admistis vini puri cyathis decem.

Et Galenus, Aetius, Paulus, & Actuarius de exhibendæ theriacæ modo verba facientes solius potionis meminerunt. At libri de vsu ther. ad Pamphil. author, Haly & Auicenna eiusdem in forma solidiore propinandæ modum commemorarunt. In aqua intercutem, inquit qui librum illum scripsit ad Pamphil. vel vni cyatho aquæ miscetur & bibitur, vel deglutitur. Ille verò, inquit Auicenna, qui patitur abscissionem vocis sumat in potu de ea fabam vnam in aqua mellis aut Rob vuæ, aut teneat eam sub lingua. Haly verò dicebat: Et cui antiqua instat cephalæa, lupini offeretur quantitate cum senna, neque aqua. Illud animaduersione dignum esse existimo, quòd sicuti potione ferè semper vtebantur antiqui Medici theriacā propinantes, ita recentiores solidiorem formam perpetuò ferè eligunt. Huius rei in causa esse existimo, delicatius hominum huius æui palatum, amaritudinem medicamētorum nullo modo admittens. Sanè amara est theriaca, ad quam contemperandam Falerno vino dulci in eius cōpositione vti voluisse Galenum priore libro docuimus: sed tanta non est eius amaritudo, quæ non possit etiam à palato sine molestia tolerari. Sed eo processit hoc tempore mollities, vt nihil nisi gratum à quamplurimis admittatur. Profectò delicati adeò & molles antiquitus non erant homines, qui & hieram ipsam, quæ amarissima est, in potu ebibebant, quemadmodū centies Galenus scripsit. Quòd autem antiquitus molestiorem modū theriacæ propinandæ insequerentur Medici, maioris vtilitatis ægrotantium causa id factum fuisse existimo.

existimo. Etenim liquorem aliquem morbo illi, cuius occasione offertur theriaca, aduersantem, facilius fortè est inuenire, quàm puluisculum aut quidpiam aliud solidius eadem virtute præditum theriacæ miscendum, quod solidiorem formam quò deuoretur illi tribuat. Facilius insuper est (& est hoc maioris momenti) sumptam in forma liquidiore theriacam concoqui, & ad partem affectam, si vltra ventriculum fuerit, peruenire, quàm si solidior fuerit deuorata. Ego verò de re huiusmodi sic statuendum censeo: illius cui dandum est medicamentũ naturam & mores cognoscendos esse: morbi item & affectionis à quibus ille opprimitur essentiam perpendendam: locúmque corporis qui patitur attendendum. Sunt aliqui quos deuorare medicamenta in bolis parata omnino impossibile est, quia strangulari videantur. Alij è contra potiones euomunt omnes, & bolos quàm facillimè deglutiunt; complures ad vtrunque maximè apti & faciles sunt. Exiccatiuum si necessitas morbi postulet, solidior forma conuenientior esse videtur: liquidior è contra magis vtilis, si humectatio requiratur. Ventriculi laborantis causa sumpta medicamenta solidiorem formã postulant, quò diutius in eo permaneant: liquidiorem autem, si hepatis aut renũ occasione assumãtur, quia sic faciliùs ad eas partes perueniunt. Vbi itaque ad vtrunque modum aptus fuerit ægrotans, indicationi à morbo & à parte affecta desumptæ ad plenum satisfaciendum erit. In aliis cuipiam ex his modis minùs aptis nihil cui maximè repugnet natura tentandum est, & modò

solidior, modò liquidior forma erit eligenda, prout ipsius ægri natura particularis consuetudóue huic vel illi formæ est magis apta. Quomodocunq. autem theriacam offerre contingat, eo semper erit illa paranda medicamento, quòd morbo ipsi vnà aduersetur: & aliquam, si fieri poterit, habeat cum particula laborante sympathiam siue conuenientiam. Huc eos respexisse qui medicamentorum compositioni, cuiuscunq. generis ea fuerint, inuigilarunt, satis cuique constat. Hoc idem Galenum, Aetium, Paulum, Actuarium, Auicennam, & Haly Abbatem obseruasse facile potest demonstrari. His qui sanguinem expuunt in decocto solidaginis herbæ dissoluendam iussit theriacam Galenus lib. de ther. ad Pison. cap. 14: venenatis, aut ab animalibus venenum iaculantibus demorsis, cum vino: Orthopnoicis, cum aqua mulsa: tussientibus, si febrem habuerint, cum eadem aqua: sin minùs, cum vino mulso: lienosis cum aceto mulso: nephriticis cum decocto petroselini: hydropicis cum silari & similium decocto: retentis mensibus cum aqua mulsa in qua decocta fuerit ruta aut dictamnum. Et Aetius ad vocem abscissam cum dupla tragacantha & vino mulso iussit liquefaciendam theriacam: ad scirrhũ lienis, cũ aceto scillitico: ad disentericos, cũ rhois decocto. Paulus in voluulo & intestinorũ doloribus ex aqua calida: si tineæ adfuerint, cuiuscunq. generis extiterint, ex succo mentę, potãdam voluit theriacam: Actuarius verò ad vlcera intestinorum cum sanguine, in aqua sumach: ad epilepsiam, cum oxymelite scillitico. Auicenna

contra

contra canis rabidi morſum,cum cinere cancrorum fluuiatilium,contra ſcorpionis morſum cum mero, contra ventriculi inflationem cum puluere cymini:contra ictericiam, cum Aſari decocto: contra longos lumbricos,cum decocto abrotoni: contra cephalæam,cum ſena: contra elephantiaſim & lepram,cum aqua caſei: quod idem ſenſit & Haly Abbas.Nobis itaque theriacam adminiſtrantibus,ad eius formam & vtendi modum rectè déterminandum , hæc ſint in exemplum , doceántque vltrò ,quibuſcum medicamentis neceſſitate cogente miſcenda ſit theriaca : cuius componendæ explorandæq́ modum , facultates item, & quibus morbis occurrat, vnà cùm recto eius vtendi modo,ſatis, ni fallor,abundè declarauimus: omnibus,quantum nobis licuit, diligenter conſideratis nihil prætermiſimus, quod de ipſa theriaca quæri poſſe videretur. Quare vt rei hunc finem imponamus conuenit.

Deo Trino & vni honor ſit & gloria.

FINIS.